BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
165
D
1-3
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OPUSCULORUM
RECENTIORUM
PARS I.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS CASPARI BARTHEL
Ss. Theologiæ & U. J. Doctoris,
Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ ad utrumque S. Joannem in Haugis Decani, Reverendiſſimi & Celſiſſimi Epiſcopi & Principis Bambergenſis & Wirceburgenſis Conſiliarii Intimi & Eccleſiaſtici, Studii Univerſalis in Alma Wirceburgenſium Univerſitate Pro-Cancellarii, Facultatis Juridicæ, ac totius Univerſitatis Senioris, ibidemque Ss. Canonum Profeſſoris Publici & Ordinarii

TRACTATUS HISTORICO-CANONICO-PRAGMATICUS

LOCO DISSERTATIONIS TERTIÆ

DE

CONCORDATIS GERMANIÆ SPECIALIS

EXHIBENS

COMMENTARIUM HERMENEVTICUM

AD EORUNDEM TEXTUM ET LITERAM.

WIRCEBURGI 1762.
Sumptibus Joannis Jacobi Stahel, Bibliopolæ
a Celſiſſimo ſpecialiter Privilegiati.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTUS OPERIS.

PRÆFATIO

Exhibet ſcopum Operis, & rectum communium Interpretationis Regularum uſum quoad Concordata Germaniæ determinat.

CAPUT I.

Exponit Ingreſſum Concordatorum, aliaque generalia in textu ſparſim, & præcipue ſub finem occurrentia.

CAPUT II.

Agit de Reſervationibus Beneficiorum poſt Concordata reſiduis, & per ea firmatis.

CAPUT III.

Reſtitutam per Concordata Electionum ad Cathedrales & Abbatiales Eccleſias in Germania libertatem, & innovatam iiſdem Confirmationis Politiam explanat.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Introductam quoad inferiora Beneficia menſium alternativam explicat.

CAPUT V.

Annatarum determinationem, variamque earundem per Concordata modificationem enumerat.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIONIS TERTIÆ
DE
CONCORDATIS SPECIALIS

PRÆFATIO

Exhibet ſcopum Operis, & rectum communium Interpretationis regularum uſum quoad Concordata Germaniæ determinat.

SUMMARIA.

I. *Scopus Operis eſt, Jura Nationis Germanicæ, ſalvis Juribus, & authoritate Romani Pontificis, defendere.;*

II. *A quo receſſerunt ii, qui hactenus in materia Concordatorum ſcripſere, ſive Curialiſtæ, ſive Proteſtantes.*

III. *Reſpectu Curialiſtarum in cauſa erant (a) neglectus antiquorum Canonum & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ,*

IV. *Promiſcua (b) Principiorum per Decretales inductorum receptio,*

V. *Authoritas (c) nimia Deciſionibus Rotæ, & exinde enato Stylo Curiæ attributa, &*

Digitized by Google

VI. *Minus diſcreta* (*d*) *abſque prævio examine Doctorum allegatio, eorumque ſequela.*

VII. *Nævi Proteſtantium, quibus a ſcopo noſtro deflexerunt, adducuntur.*

VIII. *Ut, perſpecta utrinque extremitate, ſcopum noſtrum attingamus, rectæ interpretationis Leges ex ordine adhibemus.*

IX. *Et inprimis* (*α*) *ad* literam *Concordatorum provocamus;*

X. *Contra hanc interpretationis Regulam quænam peccent vitia, effertur.*

XI. *Deinde* (*β*) materiam *Concordatorum conſideramus,*

XII. *Quæ ſecundum aliqua irrefragabilem obedientiam, in plurimis reliquis nonniſi rationabile obſequium depoſcit.*

XIII. *Præterea* (*γ*) Authorem, *&* Interpretem *Concordatorum reſpicimus,*

XIV. *Qui non eſt ſolus ſummus Pontifex tanquam una,*

XV. *Sed etiam Imperator & Imperium tanquam pars altera compaciſcens, & intereſſata;*

XVI. *Quibus adverſus præjudicantem forte Concordatis Curiam Romanam reſpective Jus recurſus, vel defenſionis, protectionis, & conſervationis Concordatorum competit.*

XVII. *Porro* (*δ*) Rationem *Concordatorum expendimus, quæ eſt concordia Sacerdotium inter & Imperium, nullo non tempore ſtudioſe in Eccleſia quæſita;*

XVIII. *Sæculo XIV. multum collapſa, tandem vero per Concordata Germaniæ reſtituta.*

XIX. *Novæ querelæ de ejuſdem læſione poſt concordata exortæ.*

XX. *Quid pro conſervanda hac concordia egerit hactenus, poſtuletque Natio?*

XXI. *Quid viciſſim pro ejusdem conſervatione varii egerint Pontifices?*

XXII. *Poſt hæc* (*ε*) Acta *&* Documenta *textum Concordatorum illuſtrantia evolvimus.*

XXIII. *Inde* (*ζ*) obſervantiam *omnis legis & pacti dubii interpretem, tanquam regulam interpretationis hic applicandam, ſtabilimus.*

XXIV.

Digitized by Google

XXIV. *Quænam ad eam conditiones requirantur, recenſetur.*

XXV. *Denique* (r) favorem *Ordinariorum, & Capitulorum Germaniæ diſcrete, & ſine præjudicio Juris Romano Pontifici ex Concordatis quæſiti attendimus.*

XXVI. *Methodus & Syſtema inſequentis Diſſertationis proponitur, & fit concluſio.*

I. QUam prudenti Germana Natio, dum ſua cum Sede Apoſtolica Concordata parabat, temperamento uſa fuerit, ut, facta querelarum diu nimis increbreſcentium æquiſſima compoſitione, multa quidem, præ aliis Nationibus, Eidem ſanctæ Sedi relinqueret, ſed tamen & ſua ſibi, non invidenda certe, jura præſervaret, tum ex bina, quam de hac materia jam præmiſimus Diſſertatione, tum ex hoc, quod promiſſæ a nobis tertiæ Diſſertationis loco modo damus, Opere notius erit, perſpectumque magis, quam ut in ipſo id limine fuſius huc congerere ſit neceſſum. Hæc ipſa autem utriuſque compaciſcentis, Sacræ videlicet Sedis, & Inclytæ noſtræ Nationis Jura in Concordatis aſſerta & ſtabilita cum in præſentiarum ad ipſam literam, & textum eorundem Concordatorum examinare, ac interpretari, ſupremam proinde cœptæ hactenus telæ manum imponere ſit animus; iterum iterumque proteſtamur, aliam nobis metam, finem alium præſtitutum haud eſſe, quam ut noſtræ Nationis Jura, ſalvis per & quoad omnia Juribus Sedi Apoſtolicæ vi ſolennis iſtius pactionis competentibus, ſalva inſuper, quam ceu veri Catholici profitemur, veneramurque, & in hac noſtra lucubratione curæ potiſſimum cordique habemus, ſuprema ejuſdem authoritate, *ſolide, cordate*, & *modeſte* propugnemus, ſalvemus, atque tueamur.

II. Quem tamen finem ſcopumque, adeo ſancte nobis, & inviolabiliter præfixum, ab aliis paſſim neglectum fuiſſe, haud difficulter licet animadvertere. Quotquot enim ſuis hucuſque Commentariis, notis, Diſſertationibus, aliisve operibus hocce Thema

noſtrum prolixius tractare atque illuſtrare conati fuerunt, vel *Curialiſtæ* erant, quos Natio noſtra in actis ſuorum gravaminum *Curtiſanos* paſſim appellare conſueverat, aut Curiæ certe Romanæ addicti; vel econtra caſtra *Proteſtantium* ſequebantur. Inde autem non potuit non fieri, ut ab eo, quem nobis calcandum ſelegimus, tramite ad duo utrinque extrema diſcederetur. *Illi* quippe Juribus Summi Pontificis ad ſummos uſque apices, ultra æquos Concordatorum limites, extendendis ampliandisque ſupra modum ſolliciti, facile Jura libertatesque Nationis, contra ſanæ rectæque interpretationis regulas, reſtrinxerunt, adeo, ut ſupremæ Gratiæ, & meri verique privilegii, a Summo Pontifice conceſſi, locó omne illud a Germanis reputari vellent, quidquid iis per Concordata acquiſitum vel reſtitutum fuit. *Hi* vero Libertatibus, Juribusque Nationis favere nimium, atque conſulere volentes, eo declinarunt, ut non tantum Jura Summo Pontifici in Concordatis conceſſa, tota quanta ſunt, repudiarent, repudiareque ſuaderent ea Catholicis; ſed & ipſam. ſupremam Ejus authoritatem, generalemque ſuperintendentiam ac inſpectionem, velut jugum quoddam intolerabile, excuterent. Ita nimirum fieri amat, ut, ſi rei ſuæ nimium velificetur, ad extremos tandem ſcopulos plerumque impingatur; quos ut cautius nos præterveheremus, omnino e re noſtra fuerat, recta hinc inde, mediaque via ita progredi, ut una ex parte Jura Libertatesque Inclytæ noſtræ Nationis, tanquam non iniqui & injurii noſtris popularibus Patriotæ, & in Germania nequaquam amplius barbara ſcribentes, inſuper habita illa Pſeudo-Politicorum regula: *qui communitati ſervit, nemini ſervit*, præ obtutu haberemus; Ex altera vero parte Jura quoque Summo Pontifici, mediante Tractatu publico, reſervata, & ſolenniter appromiſſa, tanquam ſinceri, veraces, fideique ſemel datæ obſervantiſſimi, & æquabiles Germani attenderemus; Supremam denique ejusdem Romani Pontificis authoritatem, atque inde dependentia Illius Reſervata primigenia, eſſentialia, ipſoque jure divino, ad occaſionem Schiſmatis tollendam, & conſervan-

dam

dam in Eccleſia unitatem, conceſſa tanquam veri Catholici, citra partialitatis tamen notam, ex vero zelo ſecundum ſcientiam & prudentiam, extra Centoculatorum Adverſariorum in his partibus invidiam, nec non extra majoris eorundem abalienationis periculum, & in ſalvo reponeremus, conteſtaremurque, quanto cum reſpectu Caput viſibile Eccleſiæ honoremus, ſemper quidem magnifice de Eodem ſentientes, ſobrie nihilo ſecius in hiſce partibus, & non in Sermone adulationis loquentes.

III. Quodſi vero in ipſos jam fontes, quibus factum, ut ad partiales ejusmodi extremitates hinc inde deflecteretur, penitius inquiramus; is inprimis nævus ex parte Curialiſtarum ſeſe nobis prodit, venerandam ab iis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Ss. Canonum antiquitatem parum in ſubſidium adhibitam eſſe, qua tamen deficiente eo induci neceſſario debebant, ut antiqua ſæcula ex praxi ſequiorum metirentur, facillimeque ſibi perſuaderent, omnia & ſingula, quæ hodie Germanis volunt obtrudere, ſemper ita obſervata, atque practicata fuiſſe. Supremum hoc, in tam delicata cultioris literatiorisque ſæculi ætate, vitium quo longius a nobis amoliremur, quoque manifeſtius oſtenderemus, quam verum ſit tritum illud: *Olim non erat ſic:* præliminaris noſtra de Concordatis Germaniæ Diſſertatio Hiſtorico-Publico-Canonica omnis in eo fuit, ut Canonicarum Electionum, Collationum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, & Annatarum, ceu quæ triplex eorundem objectum conſtituunt, originem, progreſſum, variationes, Diſciplinam, & Oeconomiam, ex hiſtoria, non qualicunque, ſed ſincera, & probata, depromptam in trino, quod complectebatur, capite genuine exhiberet. Quibus fundamenti loco præſtructis cum deinde in Diſſertatione generali de iisdem Concordatis altera eorundem notionem, cauſas, effectus, affinia, & contraria deduceremus, vel invitis nobis ſuggerebatur, recentiora illa, cum novitia Sæculi XII. diſciplina, fabricata Decretalium principia, & enatas exinde regulas Cancellariæ, aliasque circa materiam praxinque beneficiariam poſthac, tempore, tum Pontificum

Avennione reſidentium, tum præſertim luctuoſi illius ſchismatis Sæculi XIV, emanatas conſtitutiones, Declarationes, Bullas, Indulta, Reſcripta, & eorundem Clauſulas nonniſi adhibita prudenti quadam, rationabili, & moderata diſcretione amplectenda eſſe; quamvis hæc omnia Curialiſtæ ſuis in libris promiſcue, & minus conſentanee Regulæ: *Nequid nimis*: adoptarent, & promiſcuam ejusmodi eorundem receptionem apud Germanos, quos alioquin credunt bonos, & ductu faciles, atque in uniformi ſyſtemate hactenus tam arcte ſibi non connectentes noverunt, pariter ſollicitarent, eamque modo quovis promovere, ſummis ſemper in deſideriis haberent.

IV. Atqui hoc ipſum eſt, quod velut alter nævus, ex priore illo profluus, Curialiſtis paſſim attribuitur. Cum enim antiquorum Canonum & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ duce & luce non ita inſtructi, aut neglecto ſaltem ejusdem uſu haud, credimus, animadverterent, olim, in Germania præſertim, canonicas & liberas Epiſcoporum Electiones viguiſſe; ab Epiſcopis primum per ipſam ordinationem, & impoſitionem manus veluti muneri ſuo, & Charactéri Hierarchico propriam inferiores Clericos ad Miniſteria Eccleſiaſtica per decem Sæcula & ultra deputatos fuiſſe; in prima deinde Beneficiorum erectione ſolos itidem Epiſcopos tanquam Primarios & ex ſucceſſione Apoſtolica connaturales ſuarum Diœceſeon Antiſtites, Ordinarios quoque eorundem Collatores fuiſſe, & quamvis ſucceſſive, vel expreſſa, vel tacita eorundem conceſſione, aut indulgentia hujus quidquam juris in Patronos ſive Laicos, ſive Clericos derivaretur, nunquam tamen Romanos Pontifices ante Sæculum XII. canonicis Electionibus liberisque collationibus ſe interpoſuiſſe; facillimum iis erat, ut ex præconceptis, & præformatis, ſecundum ſuppoſititias ab Isidoro Mercatore fabricatas Decretales, in Decreto Gratiani paſſim relatas, opinionibus nova illa, in Canonibus tamen & Hiſtoria genuina (ſaltem ſicut in vaga generalitate ſua acceptari & ad uſus atque praxes quaſi a mero arbitrio pendulas, in hac exteriori univer-

ſæ

ſæ Eccleſiæ Politia, extendi hodie & applicari amant) haud quaquam fundata Decretalium poſteriorum principia: v. g. *Papam eſſe Dominum omnium Bonorum & Beneficiorum Eccleſiaſticorum, Papam ex plenitudine poteſtatis, & vi Primatus de omnibus totius mundi Beneficiis libere & immediate, imo ſolitarie providere, & privative, ſi ita ſibi viſum fuerit, diſponere poſſe &c.* abſque ullo ſcrupulo, præſertim cum in ſuos favores eſſent, amplecterentur, innixasque his principiis Conſtitutiones, Declarationes, Bullas, aliaque Reſcripta Apoſtolica & Clauſulas pro primo veluti ſuorum ſtudiorum fundamento & regula ponerent. Verum Germanicæ Nationi haud ægre ferendum, ſi ſimiles Conſtitutiones, Declarationes & Bullas Pontificias una cum ſuis, quibus innituntur, principiis, ſumma, qua par eſt, modeſtia, ſanoque in ſenſu deprecetur, quemadmodum easdem in binis CLEMENTIS VII. & GREGORII XIII. ſuper Concordata declarationibus jam deprecata eſt per duo Concluſa Judicii Imperialis Aulici, de quibus teſtatum facit Clariſſ. ejusdem ſupremi Judicii Conſiliarius Dn. de SENCKENBERG in ſua Epiſtola præfixa der Sammlung deren Reichs-Abſchieden §. XXI. pag. 51. Conferatur quoque FABRI Staats-Canzley Tom. IX. pag. 776, ubi exhibetur *Copia literarum S. R. I. Electorum, Principum & Statuum Catholicorum ad Comitia Ratisbonæ Conſiliariorum, Legatorum, & Plenipotentiariorum ad ſuam Sanctitatem Summum Pontificem Clementem XI. dd. 22. Nov. MDCCII*, in quibus ſimilis ſuper Concordata Pontificiæ diſpoſitionis modeſtiſſima, occaſione *Præpoſituræ Monaſterienſis*, nervoſa tamen fit deprecatio. Hæc ipſa porro Præfatio paulo inferius conabitur oſtendere, quam ſollicite hac in materia Canones *Cathedræ*, Conſtitutiones *Curiæ* Apoſtolicæ, Leges demum *Cameræ* Pontificiæ ab invicem ſint ſecernendæ. Vid. interim Diſſert. generalis Cap. I. Sect. I. §§ II. III. IV. XII. & XIII, quo loco bina illa, de *Dominio* & *plenitudine* Poteſtatis Pontificiæ, Decretalium Principia jam ſub examen vocata fuerunt.

V. Ex

V. Ex dictis autem a fortiori concluditur, multo minus a nobis Germanis in Lege hac pactitia unilaterales *Romanæ Rotæ deciſiones* ſine diſcretionis trutina attendendas eſſe, in quibus tamen Curialiſtæ præſidii plurimum reponunt. Ex iisdem ſæpius repetitis & pariformibus deducunt *ſtylum Curiæ*, qui ſecundum eorum principia jus facit, & inſtar legis in ſimili poſtmodum caſu obſervari debet. Atenim non eſt, cur privatis ejusmodi Dominorum de Rota, quorum tamen ſicut omnis a Summo Pontifice poteſtas participata, eidem ſubordinata, & miniſterialis, ita etiam animus in Ejusdem favorem tantiſper, & plus æquo ſubinde inclinatus eſt, ſententiis & Deciſionibus multum hic inſiſtamus, cum ipſius adeo Summi Pontificis ſolitariam Diſpoſitionem hac in re reverenter detrectemus. Et quamvis alias, in lege pure ſpirituali, & Eccleſiaſtica, a ſola Romani Pontificis voluntate unice dependente, magna præ cœteris Nationibus authoritate, limites tamen probabilitatis haud excedente, illæ præſertim Rotæ deciſiones, quæ & *Magiſtrales*, & *individuales* audiunt, ſtylumque faciunt, apud nos Germanos polleant; pari tamen firmitate potiri non poſſunt in communi hac noſtrorum Concordatorum lege, quæ mutuas tam Pontificis, quam Nationis velut partium rationes involvit. Neque in malam nobis partem verti poterit, ſi noſtram hoc in puncto ſortem Rotæ Romanæ, tanquam cuipiam ſolius Pontificis Dicaſterio committere, ejusque recepto ſemel ſtylo plene & ultimato acquieſcere recuſemus; ſiquidem ex altera parte facile perſuaſum nobis habere poſſimus, quot non publicas querelas de violata Concordatorum fide, de diſrupta Sacerdotium inter & Imperium concordia, moveret excitaretque Curia, ſi forte vel ſolum Judicium Imperiale Aulicum Viennæ, vel Ratisbonenſia totius Germaniæ Comitia ſola, hac in ſparta, deciderent quidquam, aut præjudicioſum quendam Curiæ Romanæ ſtylum adoptarent. Accedit, quod plures emanatæ hactenus in cauſis Concordatorum Deciſiones non tam in iisdem ad *ſpecialem* caſum *applicandis*, quam potius *generaliter interpretandis* occuparentur. Res in exemplis clariſſime pateſcet: ſic dum Rota *in*

Pa-

Digitized by Google

Paderborn. Præpoſituræ 30. *Maji MDLXXXVIII.* decidit, Dignitates majores vigore Concordatorum reſervatas eſſe; dum *in Colonien. Canonicatus* 17. *April. MDLXXXIX.* decidit, Proviſum Apoſtolicum vigore Concordatorum tres intra menſes haud apparere debere, ſed ſufficere, ſi intra hoc trimeſtre eidem a Sede Apoſtolica fuerit proviſum; dum *in Monaſterien. Decanatus* 26. *April. MDCCIX.* decidit, cum beneficio in menſe Apoſtolico vacante dignitatem etiam alias electivo - confirmativam reſervatam eſſe; certe non tantum legem Concordatorum ſubſtrato caſui applicavit, ſed & ipſum eorundem ſenſum adverſus literam pro domo ſua partialiter nimis fuit interpretata. Tametſi igitur non diffiteamur, poteſtatis quidquam a Rota Romana circa Concordata exerceri; ea tamen alia, quam poteſtas judiciaria eſſe haud poteſt. Totam autem, quanta quanta eſt, poteſtatem judiciariam *ſola legis ad caſus particulares applicatione* contineri, ejusdem vero *interpretationem* penes illum, qui legem condidit, unice relictam eſſe, ex primis Juris Publici Univerſalis rudimentis notorium eſt. Quod canonizatum iſtud apud Curialiſtas principium, *ſtylum Curiæ jus facere*, concernit, jam in Diſſert. Gener. Cap. III. Sect. II. §. IX. dictum fuit, illud ſaltem univerſaliter, & ubique non obtinere: ſtylum Curiæ in facto conſiſtere, adeoque probandum: plurima contra eundem in noſtris partibus recepta eſſe. Verum ſi etiam in noſtra Germania ex regula prudentis œconomiæ & ſtatus, eoquod cauſæ in ulteriori provocatione exinde illuc delatæ ibi pro ultima deciſione remanere regulariter ſoleant, paulo largiorem dicti principii uſum daremus, de iis tamen duntaxat caſibus is intelligendus foret, in quibus Germania reſpectu Pontificis, Ejusque Tribunalium ſubdita & inferior eſt; nequaquam vero de caſu *pacti communis*, in quo neutra pars compaciſcens judicem ſupra ſe agnoſcit, adeo ut nec Concilium generale aliter, quam de conſenſu Nationis Germanicæ deſuper ordinare poſſit. Quo animadverti haud inutiliter & illud poteſt, quod Deciſiones ejusmodi hac in materia non ſatis ſibi cohærentes & connexæ ſint, cum una ex parte quidem ſtatuant, re-

Digitized by Google

ſervationes pontificias odioſas eſſe, ideoque concludenter probandas, reſtringendas, ſtrictèque interpretandas, mox tamen ex altera parte ſubtilibus ſub diſtinctionibus, & ratiocinationibus novas manuum Papalium appoſitiones, ſimilesque affectiones præfigurare & ſuperinducere ſoleant, unde idem effectus, qui ex ipſismet reſervationibus, in præjudicium, & coarctationem Jurium & libertatum Ordinariorum reſultare dignoſcitur, uti in decurſu amplius pateſcet. Confer. quoque Diſſert. Gener. Cap. II. Sect. III. §. V.

VI. Amant denique Curialiſtæ ſuis Rotæ deciſionibus ingentem Doctorum Catalogum, fere ad tædium uſque legentium, ſubjungere, quorum authoritate confiſi, cauſæ ſuæ momenti quoque plurimum credunt accedere, omneque partium, de quo inſimulantur, ſtudium a ſe eo longius removeri, quo plures inter hos, quos recitant, Doctores quoque Germanos fuiſſe deprehenditur. Equidem & nos ſuum quoque authoritati, ea præſertim in materia, quæ *non merum jus*, ſed cum jure *factum*, conſuetudinem, aut obſervantiam involvit, deferri debere, omnino aſſeveramus: aſt illud præterea obſervatum cupimus, authoritatem non *numerandam*, ſed *ponderandam* eſſe. In alleganda Authoritate quisquis tuto hic verſari, ſolidumque ex ea depromere fundamentum intendit, ei non *nomina* duntaxat Doctorum *proferenda*, ſed *intimæ* quoque *rationes*, quibus Doctores ducuntur, *indagandæ* ſunt; nec indagandi finis prius faciendus, quam prona ex hiſce rationibus, ſecundum regulas Hermenevtices exactiſſimas, deducta conſequentia ſeſe prodiderit. Quam parum vero hæc a Curialiſtis fuerint obſervata, exinde liquido confici poteſt, quod allegationes, quas ſolent facere, ſola plerumque authoris mentione, adjectis libro & pagina abſolvantur; Doctores vero, quos paſſim allegant, etiam glorioſa alias Germanici nominis qualitate quoad ſpeciem gaudentes, homines ſint, quamvis non ex officio ſuæ nativitatis & miniſterii, alia tamen quadam dependentia compendiata, quæ in eorum cordibus nativitatis, aut alterius etiam forte incumbentis officii obligationes perſæpe ſuffocat, Curiæ cœteroquin

addi-

Digitized by Google

addictiores, ſuis præventi præjudiciis, & præconceptis Curialiſtarum principiis imbuti, iisdem cum hiſce nævis & defectibus laborantes, lumine tantum complacentiæ mercenariæ tracti, & cæca ſequela, aut ſolo ſuorum Privilegiorum intuitu nativos Curialiſtas imitantes, magis humeris congerentes ea, quæ jam alii eodem humerorum labore congeſſerant ante ipſos, rationum momenta, quibus innituntur, haud ponderantes, ad ea demum omnia non attendentes, quibus carere non poſſunt ii, qui impartiali hac in materia calamo volunt gloriari. Sunt hæc propemodum, quæ Curialiſtarum ſcriptis non ab indigenis duntaxat Germaniæ ſcriptoribus, ſed ab exteris quoque ſubactiori literatura excultis, quorum proinde non poteſt non neuter hic eſſe animus, obmoventur. Id quod liberioris amariorisve calami ſuſpicione tanto nos eliberabit fortius, quanto magis ſolidæ & impartialis veritatis indagandæ ſtudium a nobis efflagitavit, ut morbos primum erueremus, quibus factum, ut ad oppoſitos veritati ſcopulos hucusque impingeretur; atque hiſce feliciter detectis erutisque, facilior deinde per adhibita ſaniora media & diſcretivas regulas ad eandem aditus nobis patefieret.

VII. Ipſi adeo Proteſtantes nullum non lapidem movent, quo recenſita Curialiſtarum principia perſtringant vehementius, & ſimplicem complurium Germanorum Catholicorum, in iisdem cæco ductu amplectendis facilitatem, & levem credulitatem, aut obſequendi promptitudinem, illá aſinæ Balaam, ut ajunt, ſuperiorem, acerrime reprehendant. At hoc nimis; quanquam in uno vel altero puncto haud prorſus male ſentirent, niſi ab uno ad aliud extremum dilaberentur, volentesque evitare Charybdim in Scyllam inciderent. Quod enim interpretationem Concordatorum concernit, non procul admodum, ſi principia Cathedræ Apoſtolicæ huc incidentia excipiamus, a nobis eatenus diſſident, quod hic non partialia unius partis, ſed communia Juris gentium, & Publici univerſalis principia & regulas in ſubſidium interpretationis aſſumenda eſſe, palam & ipſi loquantur; ſed eo

potiſſimum robur ſuum convertunt, ut valorem & efficaciam Concordatorum infringant, atque annullent. Id ex triplici præſertim capite contendunt, dum *imprimis* omnem Pontificis authoritatem jure etiam divino alias competentem penitus eliminantes, & tanquam myſterium iniquitatis traducentes, ſicut omne jus circa ſacra generatim, ita quoque ſpeciatim poteſtatem circa dignitates & Beneficia Eccleſiaſtica privative diſponendi ſummo in Republica Principi Politico attribuunt. Vid. Conringius Tom. Oper. II. Quo præſuppoſito *deinde* adſtruunt, Concordata nulliter inita, aut ſaltem nonniſi ad evertendam Statuum Imperii poteſtatem, & libertatem in ſummum Nationis Germanicæ præjudicium ab Imperatore tepido & callidis ſui Secretarii machinationibus circumvento per Curiam Romanam expracticata fuiſſe; aſſerunt *denique* hæc ipſa Concordata, poſtquam ſolenniter inita fuerunt, a Pontificibus haud aliter, quam in ſuum favorem concorta & obſervata fuiſſe. Exhibentur hæc omnia in der Replica deren A. C. wider der Römiſch-genannten Catholiſchen vermeynten Ableinungs-Schrift Evangeliſcher Stände Gravaminum de A. MDXCVIII. apud Lehman de Pac. Rel. lib. II. c. LXX. his verbis, daß auch die Compactata Germaniæ unbindig, dieweil ſie nicht vermög des Herkommens im Reich aufgerichtet, auch von allen Päbſten anderſt nicht, dann darinnen es ihnen zu ihrem Vortheil gedienet, gehalten, auch nicht, dann zu des Reichs, und der Stände Unterdruckungen expracticiret worden, das bedarf bey Erfahrnen der Reichs-Sachen keine Deduction. Sunt hæc propemodum, ex quibus anſam ſæpe ſæpius hucusque deſumpſerunt Proteſtantes, inſtigandi Principes Catholicos, ut ſuum ſequentes exemplum a Concordatis plane recederent, & ſaltem favorabile illud decretum Concilii Baſileenſis amplecterentur. Aſt nondum evicerunt hactenus, ut a fide ſemel data, & ultra tria ſæcula ſancte fideliterque ſervata deſciſceret Natio, rata utique & firmiter perſuaſa, ſuam Summo Pontifici circa objecta Concordatorum authoritatem, eamque ſecundum

cer-

certum reſpectum ex ipſo jure divino profluam competere, ſuam quoque ſummis Germaniæ Principibus circa idem argumentum poteſtatem eſſe, qua licet tempore ſolennis pactionis ad extorquendam pro anguſtis ejusdem temporis Curiæ Romanæ circumſtantiis majorem libertatem uſi haud fuerint, conceſſerintque plus, quam concedere forte debuiſſent, hanc tamen illis ex jactura remanſiſſe gloriam, quod nulla Natio dicat, minus tunc æquam fuiſſe Germaniam. Neque illud Germanici characteris eſſe, viſum hactenus fuerat, ſi ad quamvis a Curia Romana factam Concordatorum violationem interpoſita fides mox abrumperetur, & reſtaurata tam multo labore Sacerdotii & Imperii concordia diſſolveretur, dum præſertim alia adhucdum media ſimiles Curiæ transgreſſiones avertendi præpediendive ſuppetunt; alias eodem certe modo contra ipſos Proteſtantes procedendum, iique ex proprio ore ſuo judicandi forent, cum frequentius eosdem (de moderatioribus Pragmaticis hic non loquimur) duram illam Catholicis, ita tamen ſcriptam & obſervandam, Pacis Weſtphalicæ legem adhuc ulterius in grave præjudicium eorundem Catholicorum juxta neotericas ſuas adinventiones interpretari, & plus juſto & æquo earundem praxin uſque adeo in manu forti urgere, non paucorum Catholicorum fundata ſit querela.

VIII. Ex hiſce autem omnibus cum extrema undique, undique ſcopulos adverterimus; nihil aliud certe reliquum eſt, quam ut media ad manus ſumamus, quorum ope tutius feliciusque ſcopum noſtrum, media hinc inde, recta proin, regiaque incedentes, attingere queamus. Hæc ipſa vero media haud alia nobis erunt, quam *univerſales omnis rectæ interpretationis leges*, quas ſi in pertractando hocce argumento noſtro rite applicandas hoc loco demonſtraverimus, ſpontanea inde ac velut naturali concluſione profluet, veram hanc germanamque ſemitam fuiſſe, omne illud, quod ſtudium partium ſapit, rite declinandi, & quidquid veritati, juſtitiæ, æquitati, integritatique Germanicæ, ver-

Digitized by Google

bo: quidquid ſcopo noſtro, ſuum cuique tribuendi, conveniens fuerit, quovis meliori modo ſectandi, & pro viribus noſtris aſſequendi.

IX. Atque inprimis quidem ad ipſam Concordatorum *literam* provocamus: hæc quippe certam nobis legem tulit inviolabiliter deinceps obſervandam; nullaque nobis interpretatio videtur melior, quam quæ ex ipſis verbis deſumitur, nulla certior, ac quæ ab ipſo ſic diſponentium ore & voluntate proficiſcitur. Ubi tamen in id curate incumbimus, ut vera & genuina verborum ſignificatio ante oculos ſemper habeatur, quam tutius aliunde haud repetimus, quam ex obvio & naturali eorundem intellectu, ex recta, quæ propitio Jure & Grammatica fieri poteſt, debetque, ſenſus conſtructione & analyſi; diſtortas enim vero ſtudio partium ſuorum Concordatorum hermenevſes, quæ forenſium ingeniorum oblectamenta ſunt, nunquam approbavit Natio pacis & concordiæ amantiſſima; eaque propter & ipſi nos fundamentalem hanc Sacerdotium inter & Imperium legem ad ſenſus peregrinos detorquere, vel ideo religioſum ducimus, ne & nos, & gentem noſtram turpiter dehonoremus; inde autem juſte poſtulantes, ne alii per callidas verborum gloſſas, textusque contorſiones legem hanc conentur reddere eluſoriam, aut nimis vacuam. Porro ad eandem verborum genuinam ſignificationem exactius hauriendam mirifice conducit verborum nexus cum iis, quæ *antecedunt*, & *conſequuntur*, rite obſervatus, neglectis enim hiſce, ſolaque quadam textus particula inſpecta non raro accidit, ut vel ea, quæ ad aſſequendum verum ſenſum ſummopere neceſſaria ſunt, & in quibus rei cardo vertitur, turpiter prætereantur; vel textus evadat perobſcurus, aut demum ſenſus plane alienus affingatur ab eo, quem haberet, ſi ad antecedentia, & conſequentia reſpectus fieret. Merito proinde L. 24. ff. de LL. quæ *de tota lege inſpicienda* rubrum habet, dicitur, *incivile* eſſe, *niſi tota lege perſpecta, una aliqua ejus particula propoſita judicare vel reſpondere.*

X.

X. Nihil autem eſt, quod contra prima hæc rectæ interpretationis elementa offendere magis poteſt, ac vel *mutilatio*, *truncatio aut tranſpoſitio verborum*, vel *inumbratio* cujusdam *ſententiæ* per *adjectionem callidioris punctaturæ*, quæ duo ſane ſuprema ſunt in omni interpretatione vitia. Vim & efficaciam alicujus textus non aliter declinare, aut elidere poſſe, quam *truncando*, ap- vel tranſponendo, ſemper pro deſperata via, & inexcuſabili quodam bonæ fidei, quæ tamen pactorum interpretandorum regina eſt, offendiculo agnitum fuit. Quod vero *interpunctiones* attinet, certum eſt, easdem in noſtris Concordatis eſſe recentioris additionis. Qui enim vel levi tantum quadam notitiæ diplomaticæ tinctura imbutus eſt, compertum habebit, antiquioribus temporibus, ac ea etiamnum ætate, qua noſtra Concordata confecta fuere, tam frequentem, ut hodie aſſolet, ſignorum, aut interpunctionum uſum haud fuiſſe, ſed ibi modo vel *punctum* aliquod, aut etiam *comma* tantum interpoſitum fuiſſe, ubi integer quidam diplomatis paſſus abſolutus fuerat, & nova quædam ac ſeparata a priori materies tractari cœperat. Reliquum ergo eſt, ut ſiquis more hodierno, velit interpunctionum ſignis ſecernere ſententias, naturalem conſtructionis ſitum, & ordinem pro duce revereri debeat. Quisquis igitur de vero Concordatorum noſtrorum ſenſu nobiscum contendere volet, Germanum induat animum, domique ſuæ relinquat, quæ bona interpretatio refugit; literam in iisdem ne truncet, aut contra rectam analyſin grammaticalem & juridicam verba ne translocet, aut conſtruat: litigia enim non habet cum diſceptatore quodam forenſi aut ſcholaſtico, ſed amice ei conveniendum cum hominibus integerrimæ Nationis, quæ contra ſe artem Rabuliſticam exerceri non patitur, ſola vero interpretatione naturali convincitur & perſuadetur.

XI. Ne tamen propterea ſoli literæ, ejusque externo cortici inhærere videamur, ſed ejusdem etiam interiorem ſpiritum & medullam inveſtigemus, in conſiderationem præterea Concordatorum noſtrorum objectum ſeu *materiam* adducimus. Perſæpe enim

lite-

litera, utut de ſe & abſtractim conſiderata varias recipiat ſignificationes, neceſſario tamen ad unam, magisque propriam determinatur, ſi ad ſubſtratam materiam applicetur. Palmarium vero eorundem Concordatorum argumentum eſſe *Dignitates & Beneficia Eccleſiaſtica*, nemo ignorat. Hæc autem tum ſecundum naturam ſuam, tum maxime comparate ad ſtatum noſtræ Germaniæ conſiderata præter ſpirituale Miniſterium, temporalitatis etiam plurimum involvunt, quin & nexum feudalem plerumque important, ob quem per ipſosmet Ss. Canones eadem eidem Poteſtati ſæculari præſervata, & inſimul obnoxia eſſe, indeque huic poteſtati juramenta quoque præſtari ſolere liquet; atque idcirco ad objectorum ex Eccleſiaſticis & ſæcularibus mixtorum claſſem illa eſſe referenda, pluribus jam oſtendit Differt. gener. Cap. I. Sect. III. §. VII. & ſeqq. Ex quo ulterius invicte conſequitur, a ſola poteſtate Eccleſiaſtica, quam quidem ſummam in Romano Pontifice reveremur, quamlibet hanc circa materiam diſpoſitionem unice haud dependere, ſed & poteſtatem Politicam ſuo modo in concurſum legum deſuper ferendarum admittendam eſſe; dummodo interea neutra poteſtas ad præpediendam vel enervandam alteram jure ſuo ex æmulatione abutatur. Quem in finem diverſi illi reſpectus, ſub quibus lex potiſſimum Eccleſiaſtica in materia hac Beneficiaria verſari poteſt, omnino ſunt diſtinguendi; ceu quorum neglectus, & facta confuſio primaria & fontalis cauſa erat, cur & a Curialiſtis, & a Proteſtantibus limites utriusque reſpective poteſtatis, vel Eccleſiaſticæ vel Politicæ ultra modum, & ad alterutrius vel ſublationem vel confuſionem, hactenus extenderentur. Sub triplici nimirum reſpectu ad poteſtatem Eccleſiaſticam præcipue Romani Pontificis Dignitates & Beneficia Eccleſiaſtica referri poſſe, ex triplici legum ab eadem circa hoc argumentum hactenus profectarum Claſſe compertum eſt. Alia quippe earum Claſſis *Canones Cathedræ Apoſtolicæ*; *Regulas Cancellariæ & Curiæ Romanæ* alia, alia demum *Leges*

Came-

Cameræ Pontificiæ complectitur. Ad *Cathedram Apoſtolicam* omnes & ſolæ illæ leges pertinent, quæ ex principiis juris naturalis & legis Divinæ circa materiam Beneficiariam veluti concluſiones & applicationes deductæ ſunt, ſive quæ id unice intendunt, ut digne, & dignis, in utilitatem & emolumentum Eccleſiæ, Dignitates & Beneficia conferantur, præſcindendo, vel parum ſaltem curando, a quonam (reſidente tamen & remanente ſemper intra & penes Eccleſiam poteſtate) dummodo bene, conferantur. Plures hujuſcemodi Canones in Jure Canonum antiquo, quod Decretum GRATIANI potiſſimum exhibet, reperiuntur, eoquod de eo, a quo beneficium conferendum ſit, non multum ſolliciti eſſent antiqui Canonum conditores, cum, obſervante FLEURIO *Inſtit. Jur. Eccleſ.* Part. II. Cap. XV. §. II. jus actualis collationis inter *fructus* & emolumenta dignitatis Epiſcopalis alteriusve haud reputarent, ſed ut *onus* non parum onerans conſcientias conſiderarent. Non deſunt quoque ſimiles Conſtitutiones Canonicæ in jure recentiori Decretalium, ut adeo exinde conſtet, per novitiam Politiam, ope earundem Decretalium inductam, Spiritum Eccleſiæ, qui conſtans ac perpetuus eſt, & eſſe debet, nequaquam immutatum eſſe; interim ex iisdem obſervantur plurimæ, quæ invariabili Cathedræ Apoſtolicæ Doctrinæ exterioris quidquam diſciplinæ, quæ quavis temporum, locorum, aliarumque circumſtantiarum conditione alterabilis eſt, aſperſerint, & intermiſcuerint. Exemplo ſit vel ſola Extravagans: *Execrabilis inter Comm. de Præbendis & Dignitatibus*, in Concordatis memorata, retenta, & innovata, quæ licet, in quantum pluralitatem Beneficiorum tot malis ibi energice deſcriptis obnoxiam damnat, ac prohibet, ad Canones *Cathedræ Apoſtolicæ* ſine dubio revocari debeat; ad calcem tamen adjungit ejuscemodi, quæ ad Conſtitutiones *Romanæ Curiæ* luculenter pertinere dignoſcuntur. Ad *has* quippe revocamus eas ordinationes omnes, quæ actualem & directam Beneficiorum collationem, reſervationem, exſpectativas, aut quamvis aliam circa eandem actualem

collationem, diſpoſitionem, verbo: quæ Politiam & Praxin beneficiariam pro ſcopo habent. Ingentem talium ordinationum numerum ſiſtunt nobis tot Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ, innumeris fere acceſſionibus uſque huc auctæ, in noſtra tamen Germania nonniſi ad ductum §§. I. II. III. Concordatorum receptæ. Quæcunque demum leges taxas pecuniarias, exactiones fructuum, Annatas, Spolia, ſic dictam Componendam, aut quævis alia jura burſalia pro argumento reſpiciunt, ad leges & ordinationes *Cameræ Pontificiæ* pertinent. Specimen nobis inter alias ejusmodi leges exhibet §. IV. Concordatorum infra Cap. V. hujus Diſſertationis paulo curatius evolvendus.

XII. Quemadmodum vero Canonibus Eccleſiæ, ſeu Cathedræ Apoſtolicæ irrefragabilis obedientia debet exhiberi, propterea quod concluſiones ſint ex gemino illo fonte Juris Naturalis Divinique, vel ſcripti vel traditi, indubitanter promanatæ, ita leges, quæ in exteriori diſciplina, & politia fundantur, quæque proinde non ad Cathedram Apoſtolicam, ſed ad Curiam Cameramque Pontificiam trahi debent, hominum conditionibus, negotiorum indoli, temporis, loci, aliisque circumſtantiis, quatenus optatum fructum referant, accommodandæ ſunt, nec niſi obſequium rationabile deſiderant; cum earum nihil vel ex Jure Naturali vel Divino, ſeu ſcripto, ſeu tradito, edoceri poſſit, obſervantia diverſorum ſæculorum, locorum, & Nationum continua repugnante. In Eccleſia quippe, licet quoad fidem & dogmata ſumma ſit conſpicua unitas, æqualis tamen quoad exteriorem diſciplinam, ſecundum diverſa tempora, loca, & Nationes, eſt varietas, ut propterea Sancti Patres paſſim Eccleſiæ applicaverint illud Pſalmiſtæ: „ *Adſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* „ Quodſi proinde fundamentalis ille, & nunquam ſatis deprædicandus aut obſervandus Canon II. *Diſt. IV.* eas in omni lege etiam Civili & a poteſtate Politica lata conditiones requirat, ut ſit ſecundum naturam, ſecundum Patriæ conſuetudines, loco temporique conveniens;

quan-

quanto magis in lege Eccleſiaſtica circa exteriorem duntaxat, & verſatilem politiam occupata easdem adeſſe poſtulamus, a qua, quidquid durum apparet, ac aſperum, quidquid vel ſpeciem tantum, & umbram præfert Dominatus, quidquid non ad ædificationem, ſed deſtructionem tendit, ex intima ſua natura & primigenia indole quam longiſſime abeſſe debet. Cumque præterea legum ejusmodi Eccleſiaſticarum conditio id plerumque ſecum ferat, ut non poſſint non graviſſimas Status quoque Politici rationes involvere, veluti in aprico eſt, in ſubſtrata Dignitatum & Beneficiorum Eccleſiaſticorum materia, quorum intuitu, cum annexos habeant inſignes reditus temporales & integros Electoratus, Principatus, aliasque temporales Poteſtates, Imperii Germanici ſumme revera intereſt, ut rite, puta, non tantum ſecundum Eccleſiaſticas, ſed & politicas Status rationes conferantur; manifeſte conſequitur, rem hic non ſecundum leguleicos apices, & unilaterales, abſtractasque ſubtilitates, ſed in concreto, & in uſu, ſive per Canones ſive per publicas conventiones determinato, ac indoli materiæ accommodato, examinandam, & rationabiles æquitatis limites, in verum utriuſque poteſtatis, & Eccleſiaſticæ, & Politicæ, bonum, attendendos eſſe.

XIII. Hos tamen limites tunc tranſiliri, pronum eſt animadvertere, dum uni poteſtati, ſecluſa altera, in hac lege pactitia illud adjudicatur, quod tamen nonniſi junctis animis, conſiliisque, mutuis tractatibus & conventionibus, ceu medio expeditiſſimo determinari debet. Adminiculante igitur hac ipſa inter Canones Cathedræ, leges Curiæ, & ordinationes Cameræ Pontificiæ diſtinctione unice dimetiri oportet, cujusnam poteſtatis authoritati & Jurisdictioni in hocce tractatu publico, inter duos compaciſcentes erecto ſecundum varios reſpectus ſit deferendum, ſive quis *Auctor*, quis *Legislator*, quis in dubio *Interpres* & *Judex* Concordatorum ſit cenſendus. Quotiescunque ergo in ſæpius dicta Concordatorum lege ratio Canonum Cathedræ habenda eſt, ſive quandocunque res in eo vertitur,

Digitized by Google

ut Beneficia mature, digne, bene meritis, pro bono Eccleſiæ, verbo: ſecundum Canones, præſertim ambitum, avaritiam & intruſionem amoventes, conferantur, annexaque Miniſteria deinceps decenter, ordinate, ſtudioſe & ad jugem Eccleſiæ ædificationem exerceantur, irrepentes abuſus reformentur, negligentiæ Prælatorum ſuppleantur &c.; ſuprema illa, & generalis omnium Eccleſiarum Cura, ſollicitudo, & ſuperintendentia, concredita aut adnata potius Primatui Pontificis cuſtodia & vindicta Canonum ab ipſo exigunt, eidemque tribuunt, ut officio ſupremi Capitis, eoque inimpedibiliter, fungatur. Quamvis enim Primatus Romani Pontificis dominium & proprietatem omnium Beneficiorum nequaquam inferat, utpote quod non tantum omni antiquitati hiſtoricæ, ſed & ipſi quoque rationi, bonum & utilitatem Eccleſiæ ſuadenti, contrariari videtur; involvit tamen ſupremum quoddam & ſacrum *Imperium*, quo Pontifex tanquam *Summus Rector univerſalis Eccleſiæ*, tanquam *Cuſtos Canonum*, Ordinariis Collatoribus ſuperintendit, & præcipit, ut ad horum normam omnia Beneficia idoneis, dignis, & bene meritis conferantur; involvit ſupremam illam jurisdictionem, qua reformat, punit, & agit *Vindicem* contra quoscunque horum *Canonum* prævaricatores. Id quod optime exprimit JOANNES GERSONIUS celebratiſſimus Eccleſiæ & Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius Tom. II. pag. 12. *Omnia*, inquiens, *Beneficia ſunt Papæ, tanquam Ordinatori ſupremo, non tanquam Domino, aut Poſſeſſori, imo nec tanquam immediato Diſpenſatori regulariter & univerſaliter, niſi Prælatorum inferiorum iniquitas aut manifeſta Eccleſiæ utilitas caſibus certis iſtud exigeret.* Quæ GERSONII dicta ſingularia eidem non ſunt, ſed doctrinæ aliorum Virorum poſt conditas etiam Decretales maxime conſpicuorum omnino conformia: Iisdem enim GERSONII verbis ferme S. THOMAS loquitur, dum 2. 2. q. 100. art. 1. ad 7. dicit: *Quamvis enim res Eccleſiæ ſint ejus* (Pontificis) *ut principalis*

Diſpenſatoris, non tamen ſunt ejus ut Domini & poſſeſſoris. Similia quoque Bellarminus habet *in Epiſt. ad Nepot.* contr. 5. loquens ibi de Beneficiorum pluralitate: *Quoniam Papa non eſt Dominus, ſed Diſpenſator.* Concordat hiſce Cardinalis Toletus lib. 5. de Inſtruct. Sacerdot. Cap. 83. n. 3. *Papa autem,* inquiens, *non eſt Dominus bonorum & redituum Eccleſiæ, ſed tantum univerſalis Diſpenſator.* Quodſi proinde contingeret forte, & Summus Pontifex unquam deprehenderet, conſtantes & perpetuos, cum uſu Concordatorum, abuſus connexos eſſe, quibus aliis viis, per Concordata præſcriptis, occurri non poſſet; exigente ita Eccleſiæ neceſſitate, ut Canonicæ fiant promotiones, & proviſiones, Summo Pontifici, tanquam Vicario Chriſti, & Capiti Eccleſiæ poteſtas, ob cauſas utilitatis & neceſſitatis publicæ graviſſimas, ex officio ſupremo Paſtorali, & plenitudine poteſtatis, aliam, qua abuſus iſti emendarentur, determinandi, & diſponendi viam, neutiquam poteſt denegari. Neque denegata hactenus, aut in dubium unquam vocata fuit; quin potius univerſa Germania Catholica ipſum Imperatorem obligatum credidit, ut eminens illud, in Eccleſiam, & Canones, ſibi ſpecialiter competens Jus Advocatiæ, & protectionis fideliter impenderet, Cathedræ Apoſtolicæ authoritatem ſua quoque authoritate validius communiendo, ſacratiſſimos ejusdem Canones, neutiquam attento Statutorum particularium, & ita dictarum Capitulationum, ſive contrariarum conſuetudinum, quando hæc irrationabilia, abuſiva & noxia eſſe dignoſcuntur, obtentu, ſuis etiam legibus, & edictis Pragmaticis firmiori executioni & obſervantiæ demandaret, quatenus ita, mediante hac ſupremi Principis Politici authoritate, ſubditi ad ſuſcipiendos obſervandosque Canones, lege publica confirmatos non tantum inducerentur facilius, & allicerentur, ſed & pœnis, ſi opus foret, temporalibus efficacius conſtringerentur.

Digitized by Google

XIV. Verum potiſſimam, & primariam Concordatorum rationem non tam in condendis ſanciendisque Canonibus Cathedræ, dignam, & ſpiritui Eccleſiæ conformem Beneficiorum collationem præciſe concernentibus, quam in faciendis de *immediata*, vel Pontificis vel Ordinariorum, *Collatione*, de attemperanda *reſervationum nimietate*, de reſtituenda circa Dignitates *libera electione*, de *præſtatione vel denegatione Annatarum*, aliorumque jurium burſalium diſpoſitionibus collocatam fuiſſe, ex ipſo eorundem tenore ſufficienter proditur. Neque (ſint laudes Deo) datum eſt hucusque animadvertere, tales, tamque conſtantes cum uſu Concordatorum abuſus eouſque conjunctos fuiſſe, ut nulla iis medela, viis per Concordata præſcriptis, fieri potuerit. Inde ergo ineluctabiliter conſectaneum eſt, nativam illam, & cum Sede Petri hæreditariam Summi Pontificis authoritatem, quæ in omni loco, tempore & Natione, hoc ipſo, quod circa fidem & Chriſtianam Moralem, ſemper & ubicunque unam, & irreformabilem verſetur, una pariter & irreformabilis eſſe debet, in quæſtionem haud venire; ſed unice agi de ea Pontificis poteſtate & authoritate, quæ *Politiam* & *Diſciplinam* exteriorem non unam in omni loco, ſed diverſarum Nationum genio, juribus, & conſuetudinibus diverſimode accomodandam, tanquam ſuum objectum, reſpicit. Quemadmodum vero in num. XI. & XII. ſat clare oſtenſum fuit, leges ejusmodi Pontificias circa ſtabiliendam Politiam exteriorem occupatas, ob intimam illam, quæ inter Jura Sacerdotii & Imperii, utut alias diſparata, viget, harmoniam & connexionem, graviſſimas fere ſemper Status politici rationes ſimul attingere, vel ſaltem ex eo, quod inſeparabili illa rationabilitatis qualitate carere non poſſint, juribus, conſuetudinibus, moribus, & genio Nationum adaptari debere, nemo certe in malam partem Germanicæ Nationi interpretabitur, ſi quaslibet a Pontifice hoc circa objectum emanatas leges, quales profecto ſunt, quæ circa materiam Concordatorum verſantur, non tanquam opera auguſtum illum legitimi ſucceſſoris Principis Apoſtolorum characterem ſecum feren-

Digitized by Google

rentia, cum cæca ſubmiſſione promiſcue amplectatur, ſed in iisdem recipiendis Imperii quoque authoritatem, & rationes Status conſulat, attendat, & ſequatur, quo magis ita ejus obſequium fiat rationabile, & Pontifici, quæ ſunt Pontificis, quæ vero Imperii, Imperio, Statuique attribuantur. Revera enim & Sacræ Poteſtatis Pontificis, & Politicæ Imperii ac Imperatoris hic jura verti, adeoque & Pontificem & Imperium, velut duas partes, conſiderandos eſſe, ex jam aliquoties dictis liquido apparet. Quodſi vero ipſo lumine naturali nota, & inter gentes quaſcunque moratiores inviolabiliter poſita ſit Regula, quod pars intereſſata Legislatorem, Judicem, aut Interpretem ſe ſola agere non poſſit, quod in ea ardor & paſſio ſæpiſſime dominentur; juſtitia vero, & moderatio, quæ tamen in *Legislatore Judice, & Interprete* qualitates indiſpenſabiliter neceſſariæ ſunt, juſte deſiderentur; quanto magis Religio eandem Regulam confirmare, & quaſi ſacram reddere debet, quæ non tantum ex Apoſtolo edocta, ſed longa etiam experientia, triſti illa quidem, ac perſæpe tædioſa, convicta fuit, altitudinem & ſanctitatem ſolii Pontificii ſanctum non facere, nec a peccato, & paſſionibus ſecurum, ſed Pontificem quoque ex hominibus aſſumptum, atque ſuis circumdatum infirmitatibus eſſe, ut propterea, quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis debeat. Vel ſi demus etiam, mentem Summi Pontificis ab omni ſiniſtri affectus, quantum ſaltem per mortales vires licet, labe immunem nonnunquam & alienam eſſe; cum tamen Principatum omnem adulatio, ut umbra corpus, ſequatur, difficillimusque propterea veritatis aditus ſemper fuerit ad aures Principum; quid contingere facilius poteſt, quam ut tales Pontifici adveniant Miniſtri, qui, ut Apoſtolus inquit, prurientes auribus cum ſincera libertate nequaquam edicant, quid facere Pontifex debeat, aut quid fieri expediat, ſed, pro ſuo aſſentandi ſtudio, & calliditate, tales inveniant rationes, queis Pontifici, quid liberet, liceret. Et revera jam contigiſſe iſtud, ut aſſentatores ejusmodi, quorum ingenia captandus Pon-

tificis

Digitized by Google

tificis favor ad ea omnia facile, quæ ipſi placerent, conterquere poterat, Pontificibus advenirent, imo ab ipſis quandoque coacervarentur, teſtes ſunt omni exceptione majores præclariſſimi illi novem Prælati a PAULO III. delecti, & ſpeciali juramento obſtricti, ut libere, & ſine fuco ſibi exponerent abuſus in Concilio Tridentino poſtea congregato reformandos, eorumque cauſas ſuggererent, inter hoſce purpuratos Patres nobiliſſimum Membrum Eminentiſſimus Cardinalis CONTARENUS turpiſſimos iſtos Pontificum Adulatores graphice depinxit in Epiſtola ad eundem PAULUM III. data dicens ibi: „Quod nonnulli inter illos „nimio quodam affectu ſtudeant Pontificis auctoritatem amplifica„re, adeo ut eorum quidam non vereantur dicere, Volunta„tem Pontificis regulam quandam eſſe, qua ejus actiones dirigan„tur, neque in Jure poſitivo conſtituendo, aut abrogando aut „etiam diſpenſando regulam quampiam Pontifici eſſe conſtitutam.

XV. Studioſe hæc non noſtris, ſed alienis verbis, iisque talibus, quæ non poſſunt non omnibus impartialia apparere, locuti fuimus. Interea tamen ab ulterioribus, quorum ſane plurima aliunde adhuc afferri poſſent, congerendis conſulto abſtinemus, tum ne ſtabilitorum ſemel in generali noſtra Diſſertatione Cap. I. Sect. I. §. II. & ſeqq. principiorum immemores eſſe videamur, tum quod probe gnari ſimus, nihil magis, ac has ipſas de Poteſtate Pontificia abſtractim, & ſine ullo ad actualem ejusdem uſum & exercitium, & ad materiam reſpectu conſiderata quæſtiones, invidiæ præoccupatique animi paſſionibus expoſitum eſſe, quæ ſi animos ſemel occupaverint, vix talia, utut de ſe fortia, & efficacia ſint, niſi depoſitis prius præjudiciis, in medium proferri poterunt, quæ mentes penetrent, easque ad alia amplectenda perſuadeant. Igitur ſepoſitis quæſtionibus abſtractis de ſolitaria & plena, circa materiam Concordatorum, Pontificis poteſtate, quarum etiam luculenta deciſio, ſicut in materiis quibuscunque meræ politiæ & diſciplinæ, ita & in hac noſtra præſenti perſæpe parum refert, ſi alius uſus obtineat; utilior, credimus, labor erit, ſi in id ſoli-

dius

Digitized by Google

dius inquiramus, quale hactenus hujuſce poteſtatis exercitium viguerit, qualis ejusdem uſus, tum per ipſam literam Concordatorum, tum per communem hactenus in Germania uſitatam praxin & obſervantiam, fuerit determinatus. Quodſi vel obtutum figere in ipſum Concordatorum textum libeat, in primo ſtatim limine occurrent ejusmodi, quæ absque longa, & contentioſa conſecutionum per plures ratiocinationes deductione ad oculum demonſtrant, & Pontificem, & Imperatorem, & Eccleſiam, & Imperium, in ſolenni Concordatorum tractatione & confectione tanquam duas partes compaciſcentes conſideratos, atque propterea ipſa Concordata non a ſolo Summo Pontifice, aut Ejus Legato Apoſtolico, ſed „inter FRIDERICUM III. Romanum Imperatorem aliosque Inclytæ Nationis Germanicæ Principes Eccleſiaſticos & Sæculares ex una, & inter JOANNEM Sancti Angeli Cardinalem Diaconum Apoſtolicæ Sedis de latere Legatum, ſufficiente deſuper a Sede Apoſtolica authoritate munitum ex alia partibus, Romanæ Eccleſiæ, & dictæ Nationis nominibus, a partibus ipſis hinc inde approbata, laudata, concluſa, edita & acceptata; proinde non ſolum Romanum Pontificem tanquam *unam*, ſed & Imperatorem, Statusque Imperii tanquam *alteram* partem compaciſcentem & intereſſatam, verum auctorem & conditorem noſtrorum Concordatorum fuiſſe. Nequid igitur ad dicta noſtra ſtabilienda aliunde ex ipſa Concordatorum, quæ inter materias mixtas, ex jam ſupra deductis, reputari omnino debent, indole huc accerſamus, cum, ubi litera clara loquitur, nullus plane petitis aliunde probationibus, ceu quæ in claris ſupervacaneæ ſunt, locus eſſe poſſit. Hiſce autem ſic ſtantibus ſua equidem ſponte id inprimis profluere videbatur, neutri parti, diſſentiente altera, arbitrariam ſancitæ hujus legis pactitiæ immutationem, abaut derogationem licitam eſſe, nihilominus tamen pro majori aſſecuratione ipſemet NICOLAUS V. Summus Pontifex in Bulla: *Ad Sacram*, quæ vulgo nomine Concordatorum venit, ſub finem expreſſis verbis „irritum & inane declaravit, ſi ſecus ſuper his a

„quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contige„rit attentari; voluitque nullam omnino mutationem valituram eſſe, „niſi in futuro Concilio de *Conſenſu dictæ Nationis* aliter „fuerit ordinatum. Et quamvis ulterius de facienda Concordatorum interpretatione nihil apertis verbis in ipſis Concordatis ſancitum habeatur, ſuppoſitis tamen hucuſque allatis, adminiculantibus inſimul Juris publici univerſalis regulis, illud æque prone conſequi videtur, ad eos pertinere hæc interpretari, penes quos eadem condere fuerat; & unde Jus prodiit, inde etiam authenticam ejusdem interpretationem derivari debere. Quodſi proinde aut ſuperveniens textus obſcuritas, aut objecti gravitas, aut præjudicioſarum ſequelarum periculum, aut cauſa quævis alia authenticam Concordatorum interpretationem efflagitent, fieri ea aliter nequit, quam ut ex mutua Summi Pontificis, & Imperatoris, Statuumque Imperii conſenſione amice conveniatur, concludaturque; Et quæ deinde conventa, atque concluſa fuerint, parem cum ipſa Concordatorum lege roboris obtineant firmitatem, obligandique virtutem exerant, eſt neceſſe. Atque propterea Germania unilateralem quandam & ſolitariam, quæ quidem practicata aliquoties fuit, Summi Pontificis interpretationem hactenus recepit nunquam, ſed eam ſemper velut liquido exemplo Bullæ Gregorii XIII. *Quæ in Eccleſiam*: Anno MDLXXVI. editæ jam ſupra Num. IV. oſtenſum eſt, modeſtiſſime deprecata fuit, firmiter confidens, fore, ut quemadmodum eas Summæ Sedis Conſtitutiones, quæ Concordatis, & antiquis ejuſdem moribus attemperatæ ſunt, humili ſemper devotione amplexa fuit, et, pro earum firmiore executione, ſuæ poteſtatis interpoſuit authoritatem, ita Summi Pontificis æquabilis Charitas a ſe nonniſi rationabile & in ipſa Legis natura fundatum obſequium depoſcat, exigatque.

XVI. Verum ex illa, quæ per notoriam in Imperio praxin, & obſervantiam Curiæ Romanæ circa materiam Concordatorum relicta eſt, interpretatione judiciali, complures haud dubie erunt, qui omnino diverſa a noſtris hucuſque allatis principiis conantur

evin-

evincere. Ea quippe ſententiæ aut interpretationi judiciali vis ineſt, ut a partibus ſaltem illico recipi, & veluti lex quædam ad effectum deduci debeat, niſi ab illa ad ſuperius Tribunal, quale tamen ſupra Romanum non datur, per interpoſitam appellationem, aliudve juris remedium provocetur. Atenim non eſt, cur formidemus ejuſmodi, quaſi talia forent, quæ inconcuſſa noſtra principia infirmare, aut labefactare valerent. Nam judicialem quidem, in cauſis mere & vere particularibus, noſtrorum Concordatorum interpretationem Curiæ Romanæ, ex continua praxi, indulgentiaque ſane præ uſu aliarum Nationum ſpeciali privative vindicatam eſſe ultro fatemur. Aſt & illud jure merito prætendimus, eandem, Concordata judicialiter interpretandi, poteſtatem non in præjudicium, ſed ad promptiorem executionem indultam & conceſſam eſſe; quamvis tam facile fieri poſſe haud credamus, ut per ſolam judicialem interpretationem gravamen, aut præjudicium inferatur, quando intra terminos *Judicialis* interpretationis ſe continet, nec ad jura inſimul interpretationis *Authenticæ* digreditur. Hoc enim ſi fieri contingeret, indeque transgreſſis hiſce limitibus, non partibus duntaxat, ſed integræ etiam Nationi Germanicæ commune quoddam præjudicium, aut gravamen inferatur, tum enimvero non indignabitur Romana Curia, ſi re ad Epiſcopos, Capitula, alioſve ordinarios Collatores delata in præjudicio communi, communis ab Imperii Statibus præſertim Eccleſiaſticis, ceu quorum de re potiſſimum ageretur, cauſa inſtituatur, fiatque inprimis modeſta rei repræſentatio coram Pontifice, quatenus ita juxta monitum IVONIS CARNOTENSIS Epiſt. CLIX. inde levamen exſpectetur, unde gravamen illatum fuiſſe, querela facta fuit, hac etiam ſpe certa inde reſultante, fore, ut, quemadmodum Sanctus BERNARDUS Epiſt. CVIII. ait, non pigeat Apoſtolicam Sedem revocare, quod a ſe forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Quodſi vero Summus Pontifex repræſentatis ſibi, ea, qua par eſt, reverentia & modeſtia per dictos Ordinarios gravaminibus congruam ferre

medelam detrectaret, nefas certe arbitrari haud poterit, ſi iidem prægravati Ordinarii Statusque Imperii communi pariter conſilio ad Auguſtiſſimum Imperatorem confugiant, ab eoque protectionem & opem flagitent, præſtolenturque, cui tum per ſuam Capitulationem Art. XIV. §. I., tum per propriam Romanorum Pontificum ſpeciatim CLEMENTIS VIII. in Bulla de die 15. Jan. MDCIII., in qua Imperatorem diſertis verbis defenſorem eorum, quæ jam pridem inter Sedem Apoſtolicam & Nationem Germanicam pacta ſunt & conventa, Concordatorum nominat, conſeſſionem defenſio, protectio & conſervatio dictorum Concordatorum indubitanter eſt aſſerta. Ipſius deinde erit tum pro impoſito ſibi & interveniente Sacramento appromiſſo hocce ſupremæ protectionis officio, tum pro laudabiliſſimo illo, quo ſtudet jura Imperii intacta ſervare, atque tueri, zelo pari cum reverentia intercedere apud eundem Romanum Pontificem, ne inſiſtat cenſuris in Ordinarios ferre ſolitis, eos vero qui Romæ Beneficia ſub- & obreptitie impetrarunt, monitionibus primum, ac dehortationibus, aliisque mediis lenioribus reprimere; quæ ſi inſuper habeantur, illud deinde Sacræ Cæſareæ Majeſtati ægre haud ferendum, ſi eodem ſupremo protectionis officio efficacius utens, eosdem tanquam vere indignos Imperii Cives mediis ſeverioribus & coercitivis indignationis Cæſareæ, denegatæque protectionis compeſcat, aut creſcente magis contumacia, adhibitis etiam per illos, ad quos de jure pertinet, pœnis compeſci curet, faciatque. Quæ porro de juſtitia, ordine, diſcretione, & modo inſtituendi hujuſce Recurſus, impertiendæque Cæſareæ protectionis huc addi poſſent, ea jam ſatis deducta habentur in ſæpius citata noſtra Gener. Differt. Cap. III. Sect. ult., quæ proinde huc omnino conferri meretur.

XVII. Conſideratis Authore, Judice & Interprete Concordatorum penſiculatius ipſam eorundem *rationem*, quæ ſicut ipſius legis & pacti, ita etiam ejusdem interpretationis anima merito dicitur, expendimus, omnino convicti veriſſimo illo CICERONIS

pro

pro A. Cæcin. Cap. XVIII. effato : „ Quæ lex, quod SCtum, „quod Magiſtratus edictum, quod fœdus aut pactio, non infir„mari poteſt, *ſi ad verba rem deflectere velimus, conſilium autem* „*eorum, qui ſcripſerunt, & rationem & authoritatem relinquamus.* Quænam autem ea in ſolenni Concordatorum pactione fuerit, non eſt, cur laboremus multum, ut aliunde quid comminiſcamur, ſiquidem clara proſtet ipſorum Concordatorum litera, diſerte eloquens, *pro ipſius Eccleſiæ unione, Pace & tranquillitate inter Eccleſiam & Nationem prædictam perpetuo ſolidandis & conſervandis diverſa rationabilia & utilia ordinationes & Statuta a partibus ipſis hinc inde approbata, & concordata fuiſſe.* Igitur unica hæc Summorum paciſcentium meta, unicus hic ſcopus fuerat, ut mediante hac ſolenni, & publica pactione diſciſſa jam diu ſatis, & interrupta, Sacerdotium inter & Imperium, Pontificem inter & Nationem Germanicam concordia feliciter reſtauraretur, tutius conſolidaretur, & in futura tempora quam longiſſime, imo perpetuo conſervaretur. Sat quippe exploratum illi habebant, unitatem & concordiam, ſicut in rebus fidei præcipuum & neceſſarium fundamentum eſt, ita in rebus politiæ & diſciplinæ, ſi non adeo neceſſariam, ſumme ſaltem proficuam & conducibilem eſſe. Quemadmodum vero irreformabilis illa fidei unitas, ita etiam ſalutaris hæc in rebus politiæ & diſciplinæ Concordia nonniſi arcta quadam, & amica cum Romano Pontifice communione ceu medio expeditiſſimo reſarcitur læſa, reſarcita vero ſtabilitur magis, conſervaturque. Huic enim tanquam Centro unitatis, & ſupremo Eccleſiæ viſibilis Capiti Primatus non tantum honoris, ſed etiam authoritatis & jurisdictionis præ reliquis Paſtoribus ex ipſo jure Divino conceſſus fuit, ut, quemadmodum Sanctus Cyprianus loquitur, Eccleſia *Una* monſtretur, et, ſecundum verba Sancti Hieronymi, *conſtituto Capite Schiſmatis tolleretur occaſio.* Porro ille ipſe Primatus Romani Pontificis nil aliud eſt, quam integer quidam diverſorum Ju-

Digitized by Google

rium ſpecialium, cæteriſque Eccleſiæ Rectoribus haud communium, cum jure ipſo Divino proditorum (atque inde reſervata *primigenia* & *eſſentialia* audiunt) tum jure, & ſuccedanea obſervantia Eccleſiaſtica accedentium (eaque propter reſervata *ſecundaria & acceſſoria* nuncupantur) complexus, quæ omnia eo unice collimant, ut iisdem ceu totidem adhibitis mediis exoptata illa communio in ſalvo reponatur, repoſitaque ſarta tecta conſervetur. Juſto ſane prolixiores hic eſſemus, & a propoſito noſtro nimium quantum digrederemur, ſi reſervata hæcce ex ordine recenſere ſingula, ex iisque ita recenſitis oſtendere vellemus, quisnam eorum pro laudatæ Concordiæ & communionis conſervatione uſus ſemper in Eccleſia extiterit; confidimus potius, noſtro nos inſtituto penitus feciſſe ſatis, ſi ex iis tantum aliqua, eaque in Scriptura & Hiſtoria Eccleſiaſtica illuſtriora, & quorum in ipſa Concordatorum noſtrorum confectione uſus quidam fuit, huc attulerimus. Atque inprimis quidem *convocatione* & *celebratione* Conciliorum præſertim œcumenicorum quavis ætate juxta exemplum Apoſtolicum habitorum, non ſolum diſſenſiones circa fidem & dogmata, verum etiam plurima alia, quæ diſciplinam & politiam, tranquillitatem proinde externam Eccleſiæ, ejuſdemque cum Principibus temporalibus pacem & unionem concernebant, compoſita definitaque eſſe, ipſa eorundem voluminoſa ſatis Acta eloquuntur, ceu quæ non dogmatum duntaxat copioſos Canones, ſed plura etiam Decreta diſciplinaria ad fovendam procurandamque in hiſce etiam, quantum poſſibile eſt, uniformitatem, concordiam & charitatis communionem efformata complectuntur. Inſignis præterea, & antiquiſſimus pro firmiore hujus pacis & concordiæ retentione in Eccleſia uſus fuit *Legationum* a Romano Pontifice ad Reges & Imperatores factarum, quarum, ut famoſiſſima, ſimul ac jucundiſſima eſt Hiſtoria, ita complura variorum ſæculorum exempla recenſet Illuſtriſſ. PETRUS DE MARCA de Conc. Sacerd. & Imp. L. V. Cap. XV. & alibi paſſim. Demum quanta *pactorum*, *amicabiliumque compoſitionum* in hac ma-

teria

Digitized by Google

teria vis ſemper & efficacia fuerit, inter alia præclariſſima ſane monumenta teſtatur famoſum illud *Pactum* CALLIXTINUM HENRICUM V. Imperatorem inter & CALLIXTUM II. Romanum Pontificem Anno MCXXII. erectum, quo tandem, tentatis in caſſum tot remediis, longum illud HENRICOS præſertim Imperatores inter, & varios Pontifices diſſidium penitus extinctum fuit.

XVIII. Utut autem Eccleſia exoptatam hanc mille votis Sacerdotium inter & Imperium Concordiam ſollicito ſemper ſtudio quæſiverit, recuperaverit, conſervaveritque; perſæpe tamen accidit, ut rurſus illa periclitaretur noviter, aut plane concideret, vel ferente ita temporum injuria, vel ipſis ſubinde mediis in perniciosa extrema declinantibus. Luctuoſiſſimus ſane ſequiorum ſæculorum ſtatus id ſatis demonſtrat, ceu in quibus quam miſerandum in modum hæc ipſa Concordia proſtrata jacuerit, nemo in Hiſtoria Eccleſiaſtica peregrinus adeo & hoſpes eſt, qui non abunde ſibi cognitum perſpectumque habeat. Inter reliquas autem hujus diſſidii cauſas, quas ſingulas hic depromere, hujus loci non eſt, facile palmariam fuiſſe, conſtat enata illa Sæculo XII. ſupraque jam recitata Decretaliſtarum principia, ex quibus, quod avide & paſſim reciperentur, atque ab ipſis, cum e re ſua, vel ſuæ Curiæ fore animadverterent, non negligerentur, ſucceſſive tanquam ex equo Trojano, præter inſignes alios abuſus a congregatis novem illis a PAULO III. Prælatis ſatis perſtrictos, proruperunt quoque exceſſivæ Beneficiorum reſervationes, exſpectativæ, commendæ & uniones in favorem perſonarum, taxæ pecuniariæ, ſpolia, Annatæ, penſiones & innumera alia, quæ non poterant non motus undique & tumultus excitare graviſſimos, præprimis autem in noſtra Germania, cujus jura, præ aliarum Nationum juribus, per reſervationes majorum dignitatum, Principatus etiam temporales annexos habentium, notantiſſime impetebantur. Ad hoſce igitur motus compeſcendos peropportuna, quin imo neceſſaria videbatur *Concilii generalis convocatio*, accedentibus præſertim aliis cauſis, ſtatum itidem Univerſalis Eccleſiæ concernentibus.

tibus. Atque ideo convocatum fuit Concilium *Conſtantienſe* triplici eidem fine præfinito, Schiſmatis ſcilicet diu Eccleſiam jam affligentis extirpatione, Hæreſeos Wicleffiticæ damnatione, & querelarum hactenus a Nationibus factarum compoſitione. Verum primo & altero objecto tum abſolvebatur, itaque occupatum fuit Concilium, ut tertium ſcopum ſuum, querelarum ſcilicet compoſitionem attingere haud potuerit, eodem interim ad MARTINUM V. legitimum Pontificem in ipſa Synodo electum delato, qui etſi ad quinquennium cum Natione Germana tranſigeret, ad totalem tamen conſummationem negotium haud perduxit, ſola reſolutione per Decretum: *Frequens* in ejuſdem Concilii *Seſſ.* XXXIX. ſecuta, ut intra quinquennium alterum rurſus generale Concilium celebraretur, quo tandem Nationum querulantium deſideriis ex aſſe ſatisfieret. Indictum hoc, imo & inchoatum jam tum Anno MCCCCXXIII. fuerat in urbe *Papienſi* ab ipſomet Concilio *Conſtantienſi* ad id deſtinata, ac præſtituta, ſed peſte interveniente ad *Senenſem*, indeque poſtea a MARTINO V. *Baſileam* celebrem Germaniæ urbem translatum, ibique MCCCCXXXI. inchoatum fuit ſub præſidio Legati Pontificii JULIANI *Cardinalis Cæſarini*; verum neque hoc Concilio, Pontifice jam in Seſſ. II. de ejuſdem diſſolutione cogitante, ſuumque Legatum una cum Epiſcopis avocante, parari malis remedium efficax poterat, quamvis in Seſſ. XII. & XXIII. ejuſdem Concilii, ſine præſidio Pontificis continuati, ad vota gravatarum Nationum decideretur. Hoc ergo reparandæ concordiæ medio bis fruſtra tentato, EUGENIUS IV. Summus Pontifex aliam querelas componendi, Germaniamque noſtram ad communionem, obedientiamque reducendi viam iniit, mittens Anno MCCCCXLVI. ad FRIDERICUM III. Imperatorem, & Status Imperii Legatum Cardinalem THOMAM *Sarzanenſem*, cui etiam præviis mutuis communicationibus, & amicis conventionibus, communionem & obedientiam appromiſit Natio, ſub certis tamen conditionibus infra convenientius recenſendis. Aſt cum re ad exitum necdum per-

ducta

Digitized by Google

ducta is ipſe Pontifex præcoce fato eriperetur, ſuffectus eidem ſub nomine NICOLAI V. Legatione antea perfunctus Cardinalis THOMAS *Sarzanenſis* tam paratum ad communionem Germaniæ animum mediis iisdem retinere, magisque ad ſe pertrahere ſtuduit, Legationis propterea ad Imperatorem Statusque Imperii munus ſuo antea in peracta legatione ſocio JOANNI CARVAJALI noviter demandans, qui præviis iisdem amicabilibus, partim cum ipſo Imperatore, Statibusque Imperii, partim cum ÆNEA SYLVIO *Piccolomini* Imperatoris tum Secretario, multam negotii hujus partem habente, communicationibus plenam tandem Sacerdotii cum Imperio Concordiam reſtituit ſolemnibus Concordatis *Francofurti* primum conceptis, poſtea *Aſchaffenburgi* concluſis, quibus multas quidem reſervationes, aliaque, ut onus nimis grave Germana Natio reverenter deprecata fuit, ut ita dilectas ſuas Eccleſias a prægravante ſaltem reſervationum nimietate aliquatenus ſublevaret; multas interea quoque Sedi Apoſtolicæ generoſe reliquit, quatenus ſic ex una parte prima Cathedra ſuum ex poteſtate benefaciendi Germanis Clericis, eosque favoribus devinciendi retineret vigorem; ex altera vero Germana Natio arctiori quodam frequentioris communionis vinculo a Sede Romana dependeret; utrinque vero, rigore Reſervationum nimio provide temperato, aurea illa Sacerdotium inter & Imperium Concordia floreret magis, aureaque reſplendeſceret mediocritas.

XIX. Neque tamen hiſce omnibus id effectum fuit, ut aurea iſta concordia, & mediocritas, absque ullo læſionis periculo, ſalva hactenus & incolumis perſiſteret; quin potius reſuſcitatis partim antiquis illis, de *Dominio & plenitudine Pontificiæ*, circa omnia totius mundi Beneficia, *Poteſtatis*, partim accedentibus etiam novis principiis, videlicet ipſa Concordata præciſam a Summo Pontifice profectam *gratiam merumque Privilegium* continere, eademque eſſe quidem *pactum*, ſed *unilaterale* ſive *claudicans*, ſolam Nationem, non vero eundem Pontificem conſtringens, imo Succeſſores conſtringere nequidem valens &c. querelæ rurſus & gravami-

Digitized by Google

vamina antiqua ſæpius reſuſcitarentur. Vix trigeſimus poſt confecta Concordata annus lapſus erat, quo jam nova gravamina in *Diæta Confluentina* de novis eorundem infractionibus & violationibus, de præjudicioſa regularum Cancellariæ Apoſtolicæ introductione, de reſervationibus aliisque gratiis Apoſtolicis ad exceſſum uſque multiplicatis FRIDERICO III. Imperatori exhibebantur. Vid. LEIBNIZ Cod. Jur. Gent. Diplomat. pag. 439. Quæ omnia additis ſubinde novis gravaminibus præſertim & in ſpecie de multivariis, & diſpendioſis per exſpectativas, aliasque Curiæ Romanæ proviſiones ſubortis litibus innovabantur ſubſequenti Sæculo circa annum MDX. in gravaminibus nomine Nationis Germanicæ cum remediis & Aviſamentis ad MAXIMILIANUM I. Imperatorem transmiſſis, quæ videri poterunt apud GOLDASTUM Tom. II. Conſt. Imp. 119. Item apud LUNIG Reichs-Archivs part. Gener. Conſt. I. pag. 299. Quid? quod in ipſo Concilio Tridentino fuere ex Patribus, qui de prætenſione Romanæ Curiæ attribuentis Summo Pontifici plenam, liberam, & immediatam de omnibus Beneficiis diſpoſitionem acerrime conqueſti fuerint, prout ex eodem Concil. Trid. die 28. Novembr. MDLI. queribundus ſcribebat FRANCISCUS VARGAS, cum enim quibusdam Patribus videretur, diſcutiendam eſſe materiam Beneficialem, notanter ſcribit DE VARGAS, „ejus ſe eſſe opinionis, „ut in hac materia tractanda ante omnia deberet eſſe plena liber„tas, examinandi & decidendi, atque ante omnia neceſſarium eſ„ſe probare, quod jus Papa prætendere queat, *providendi de Be„neficiis*, cujuscunque ſint conditionis; quod ubi fiet, clare ad„ſtruam ex principiis & fundamentis Juris Naturalis, Divini & „humani, nec non ex priſtina Eccleſiæ praxi, ex varia mutatione, „quæ circa Eccleſiæ diſciplinam contigit, ex Jure Canonico pri„ſtino & hodierno, ex naturali ratione, ac ex ea, quam recta „politia requirit, neceſſitate, per hæc omnia principia probaturus „ſum, Romanum Pontificem non habere tale jus diſponendi de „Beneficiis, quali hodie utitur, quod nullatenus minueret ſuam „Dignitatem, aut authoritatis plenitudinem.„ Hucusque DE VARGAS.

Digitized by Google

gas. Et quamvis inde continuata Curiæ Romanæ praxis per ipſum Concilium Tridentinum noviter & provide in variis modificata & deinceps reſtricta fuerit, nihilominus tamen idem uſque modo ſtylus iisdem principiis innixus, quemadmodum ex diverſis Rotæ Deciſionibus, aliisque Commentariis apparet, in ipſa etiam Concordatorum interpretatione & applicatione retentus fuit. Quæ res fecit, ut antiqua gravamina veluti perpetuarentur, & toties, quoties occaſio ſe protulit, in Seſſionibus præliminaribus Electionum Cæſarearum, in Comitiis Imperii, in Judicio Cæſaris Aulico innovarentur, atque ita ad ea tollenda ipſimet etiam Proteſtantes alias ſanctæ Sedi plurimum infenſi ſuo ſuffragio concurrerent. Unde etiam in Electione Caroli VII. Imperatoris Pontificium tunc Nuntium, poſtea Eminentiſſimum S. R. E. Cardinalem Georgium Doria commotum credimus, ut nullo non conatu allaboraret, quatenus deinceps in Capitulationibus Cæſareis queruloſi ejusmodi Nationis Articuli omitterentur; ſed quo, neſcimus, fato eo ipſo tempore contigit, ut novæ de Concordatorum transgreſſione querelæ e Diœceſi *Leodienſi* ad S. R. I. Electores deferrentur, queis factum, ut antiquus Articulus innovaretur, atque ita jam a trecentis annis continua itentidem imminerent, eſſentque metuenda pericula, ne, fomentantibus ſæpe ſæpius Proteſtantibus, antiqua redirent diffidia, & reſtaurata, tot tantisque vigiliis, Concordia deplorandum in modum noviter diſſolveretur. Hæc autem cum ita ſe habeant, ſerio demum incumbendum, ut, quidquid ad deſtruendam aut labefactandam hanc Concordiam quovis modo tendere poteſt, illud omne impoſterum in Concordatorum interpretatione facienda extreme fugiatur, eviteturque; quidquid econtra ad eandem conſervandam, magisque ſolidandam neceſſarium aut ſummopere conducibile eſt, ſollicite procuretur, agaturque.

XX. Fecit profecto Natio tum in ſuis hiſce Concordatis, tum in aliis quoque ſubnatis occaſionibus citius, & plus his, quæ ad reſtituendam, arctiusque impoſterum retinendam concordiam,

& communionem deſiderari a ſe juſto potuere; ſiquidem, quod Nationes reliquæ haud ita præſtiterunt, multa de ſuis, quæ illarum adinſtar prætendere poterat, juribus Sedi Apoſtolicæ per Concordata generoſe dimiſit, inſuperque liberiorem ac frequentiorem Judiciorum in Cauſis Germanicis apud Curiam tractandarum curſum, liberiorem Bullarum & Reſcriptorum Pontificiorum uſum & executionem, more apud alias Nationes Germaniæ etiam confines haud ita uſitato, reliquit, modo ut ſpectabiliorem, magisque venerandam ſuis Civibus redderet Summi Capitis authoritatem, ſervandamque cum eo communionem, quæ in partibus hiſce remotioribus, maxime, poſtquam tanta toleratarum ibidem Religionum diſſentientium mixtura ſupervenit, difficilior alias evadit, non facilitaret tantum, ſed velut inducta quadam neceſſitate, ordinatisque mediis ſucceſſivis & continuis, efficeret inevitabilem. Et ſane, vel defunctorio oculo rationes, ſtatumque noſtræ Germaniæ luſtranti obvie perſuaſum erit, cogitatam illam tam multo labore, unitisque Imperii & Sedis Apoſtolicæ viribus, ope Concordatorum, reſtitutam communionem non ita longe perſtituram, ſed brevi potius in antiquum chaos & confuſionem reciſuram fuiſſe, niſi per relictas reſervationes prompta adfuiſſent Summo Pontifici, adforentque quotidie media, queis gratos Germanorum animos obligare ſibi continuo, devinctosque tenere poſſet; aut prorogatis per Appellationes ad Curiam, ſervato tamen modo & ordine per ſacros Canones præſcripto, faciendas cauſarum plurium Eccleſiaſticarum Judiciis haberet Germania, unde ſervatam hanc cum Romano Pontifice communionem crederet quovis tempore profuturam. Præmiorum etenim diſtributio eſt unum & ſummum illud vinculum, quo ſibi Principes populorum animos devinciunt, & pendere ſolent ab eo omnes, a quo ſperare aliquid poſſunt. Inde autem vice mutua juſtiſſime poſtulat Natio, ne, quæ benignius ab ipſa relicta fuerunt, in abuſus vertantur, & extendantur ulterius, perque factas ejusmodi, ultra literam ſatis moderatam, extenſivas interpretationes, plura indies ſibi ſuis-

que

que Ordinariis jura præripiantur, male alias veritura, ne, quod medium hactenus retinendæ concordiæ communionisque præſentaneum fuerat, in periculoſum ſuboriturarum diſcordiarum fomitem quondam degeneret, teſtante ſatis experientia, legationes, aliaque complura media ſervandæ arctioris communionis ergo olim laudabiliſſime adhibita, hoc ipſo quod in exceſſus vergerent, inque præjudicium ordinariæ jurisdictionis, Legatis ſua philacteria nimium extendentibus, exercerentur, ad diſſidia in apertas propediem flammas erumpentia, ignes ſubminiſtraſſe, & viciſſitudines quam plurimas ſubintroduxiſſe. Poſtulat deinde ulterius, idque jure pariter meritiſſimo, Germana Natio, ne in ſuorum interpretatione Concordatorum ejusmodi paſſim principia adoptentur, iisque inhæreatur, quæ in ſui ſuorumque Ordinariorum præjudicium quoties allegata, toties quoque omni niſu, gliſcente ſubin reſuſcitandarum diſcordiarum periculo, contradicta fuere. Et vero, ut fateamur, quod res eſt, in frequentiori, quam pro adornando hocce opere noſtro ſuſcepimus, Curialiſtarum, aliorumque hanc eandem, quam nos meditamur, Concordatorum interpretationem tractantium pervolutione mirari ſatis non potuimus, quid ſit, quod pro prima veluti, cui reliqua ſuperſtruendæ interpretationis ſtructura firmiter innitatur, baſi eadem fuerint poſita, continuarique ament Decretalium principia, quorum primi natales prima quoque ſubortarum diſcordiarum, & labefactatæ Sacerdotium inter & Imperium pacis ac concordiæ ſemina extitere, & quibus nonniſi ſublatis, proficuus demum in reſarcienda labor eſſe potuit. Procul igitur abeſt, ut, fundamentis ejusmodi poſitis, conformis ad mentem, ſcopum, & rationem Concordatorum interpretatio inſtitui poſſit, ut potius ab eadem mente & ratione, toto cœlo recedatur, quid? quod nova ejusdem fruſtrandæ & annihilandæ incitamenta inde ſuppeditentur. Quare demum & illud æquiſſime poſtulat Natio, ut exulantibus quibuscunque aliis ea ſolummodo, ad ſuorum interpretationem Concordatorum, principia & regulæ

adhibeantur, attendanturque, quæ ipſum jus Naturale ſeu Gentium potius, ad rectam qualiumcunque fœderum, pactorum, Concordatorum, transactionum, Pacificationum, legumque interpretationem ſuggerit atque requirit. Eadem nos unice in decurſu hujusce operis noſtri ad exhibendam genuinam quandam interpretationem obſervaturos & applicaturos eſſe, ſicut jam ſupra conteſtati fuimus, ita repetitis hic vicibus ſpondemus, atque pollicemur.

XXI. Quanquam, ut nihil omnino diſſimulemus, & illud ingenue fateri cogamur, ipſosmet & varios Pontifices pro bono pacis, pro conſervanda hacce concordia & communione ſtrenue laboraſſe, atque adeo non tantum a præjudicioſis Reſcriptis, quæ clamores & querelas excitarunt, ſæpius ad factam tantum repræſentationem ſapientiſſime deſtitiſſe, ſed & ſuo ſubin ex claro Concordatorum tenore quæſito ſummo juri non ita tenaciter inſtitiſſe, quominus diverſa indulta de non vacando in Curia, de eligendo, de non vacando in menſe Papali, largioraque ipſorum menſium Papalium indulta benigne concederent; quæ tamen prætendere haud potuit Natio, nec prætendit unquam, omnino conſentiens effato JOANNIS CARVAJALIS *Epiſcopi Portuenſis*, diu laboraſſe Sedem Apoſtolicam, antequam poſſet aſſequi, ut paterentur Ordinarii gratias in ſuis Diœceſibus dari, & negligendam ideo, aut controvertendam prærogativam non eſſe tam multis acquiſitam moleſtiis. Vid. apud ODOR. RAYNALDUM ad annum MCCCCLXI. num. 67. Atque inde etiam Natio adduci hactenus nunquam potuit, utut a multis intempeſtivis antiquæ diſciplinæ amatoribus & fautoribus, forte etiam Catholicis, ſollicitaretur, ut reſervationes Pontificias vel omnino recuſaret, vel ſaltem ad parvum Concilii Baſileenſis modum veluti poſtliminio reductum iret, pro indubitato habens, antiquam equidem diſciplinam, ſi in ſuo adhuc ſit vigore, laudabiliſſime retineri, conſervarique; aſt æque tamen irreligioſum eſſe eandem, quæ ob graves & ſontioas cauſas, qualis hic arctior inter

Sedem

Sedem Apoſtolicam & Nationem Germanicam concordia & communio ſuberat, immutata aut abrogata ſemel extitit, nullis perpenſis circumſtantiis magisque ex partialitatis ſpiritu, quam prudentis œconomiæ zelo revocare velle. Quo principio optime perſuaſum fuiſſe ipſum Concilium Tridentinum credimus; hoc enim quamvis de reſtituendo, impoſterumque illibate ſervando jure Ordinariorum plurimum cogitaret, atque idcirco etiam Mandata de providendo ſive gratias exſpectativas, aliaque, quibus Juri Ordinariorum obſtaculum fiebat, ſuſtulerit, ſalvas nihilominus ſiverit reſervationes, præclare obſervante Espenio Part. II. tit. XXIII. *De Mand. & Reſervat. Apoſt.* Cap. II. *in fin.*, quibus certorum beneficiorum proviſio juxta Eccleſiarum leges, Concordata, & conſuetudines ad Sedem Apoſtolicam ſub certis limitationibus & modificationibus jam tum devoluta erat, „cum enim, ſolidiſſime ſubjungit citatus Espenius, „ſpectet duntaxat ad diſciplinam, ad quem beneficiorum provi„ſio pertineat, nihil certe juſtius, nihil ad *pacem Eccleſiarum* „*conſervandam* opportunius, quam ut conſuetudines & leges „jam ſtabilitæ „ (ſubintellige a fortiori Concordata & pacta publica) „ſerventur, modo id præcipue curetur, ut beneficio„rum proviſio ad ædificationem Eccleſiæ, & ſine perſonarum „acceptione fiat.

XXII. Ut autem iis omnibus, quorum in hac noſtra interpretatione uſum facere cogitamus, principiis & Regulis Hermenevticis plenior velut lux affundatur, ſedulo pariter inſpicimus & evolvimus *Acta* & *Documenta* noſtris Concordatis confinia, quibus accomodatior ſenſus aut literæ ſignificatio, ſolida mentis & rationis paciſcentium indagatio & aſſecutio, verbo: omnis recta interpretatio egregie juvatur. Solent nimirum legem quamvis, aut conventionem præcedere variæ querelæ, remonſtrationes, amici congreſſus, colloquia, tractatus & alia, quæ omnia nomine *Actorum* & *Documentorum* nobis veniunt, & ſubſecutæ legis aut pacti quaſi fons ſunt, & fundamentum; ſiquis

pro-

proinde, quæ in hiſce propoſita fuere, frequentiori pervolutione apprime ſibi nota fecerit & perſpecta, non poterit non Legislatoris aut compaciſcentium mentem pleniſſime aſſequi, recte obſervante ac monente HOFFMANN in Diſſert. *de ratione interpretandi leges* S. R. J. *publicas* cap. III. §. XII. Sed quod dolenter hic referre debemus, illud eſt, plenam aliquam hujuscemodi Actorum & Documentorum huc ſervientium collectionem a quodam hactenus adornatam nos latere. Equidem GODOFREDUS GUILIELMUS LEIBNIZIUS in ſuo *Codice Juris gentium diplomatico* ad annum MCCCCXXXXVII. brevem aliquem faſciculum documentorum ad Concordata noſtra inſervientium collegit; aſt ultra Concordata Conſtantienſia non aſcendit, neque adjecit illa, quæ eadem Concordata noſtra ſuccedaneo tempore inſecuta fuere, in quibus tamen reperire complura eſt, quæ tam ad illuſtrationem, quam ad interpretationem eorundem haud parum conducunt. E re itaque nobis maxime viſum erat, documentis illis a LEIBNIZIO citato loco congeſtis & ea ſuperaddere, quæ ex LUNIGIO, alibique ſparſim hinc inde deprehendimus, quæque nobis in hacce noſtra interpretatione inſigni uſui fuerunt; ſunt autem ſequentia: I. *Aviſamenta Statuum Imperii a Deputatis Nationis Germanicæ in Concilio Conſtantienſi concepta, & SIGISMUNDO Imperatori anno MCCCCXVI. oblata.* Vid. apud LUNIG. Reichs-Archivs Part. Spec. Cont. I. pag. 29. II. *Acta* Seſſ. XII. & XL. & XLIII. *Concilii Conſtantienſis* anno MCCCCXVII. habitarum. III. *Concordata Conſtantienſia* inter MARTINUM V. & Nationem Germanicam anno MCCCCXVII. ibidem in Concilio confecta, reperiuntur apud LEIBNIZ. cit. loco, & in der neuen und vollſtändigen Sammlung der Reichs-Abſchieden, Part. I. pag. 111. editionis Francofurt. Hæc typum, baſin & fundamentum concipiendis *Aſchaffenburgenſibus* fuiſſe, ex eo facile conſtat, quod in his & multa placita, & verba fere eadem, quæ in *Conſtantienſibus* habentur, retenta fuerint, ut adeo laudatus LEIBNIZIUS cit. loc. pag. 396. in rubr. ad Concordata *Aſchaffenburgenſia* recte nota-

rit,

Digitized by Google

rit, hæc poſteriora ad priora, ſcilicet Conſtantienſia, ſe referre, ex iisque lucem capere, *adeoque ea male vulgo negligi.* IV. *Acta* Seſſ. XII. & XXIII. Concilii *Baſileenſis* apud Harduinum Collect. Conc. Tom. VIII. V. Receſſus Imperii *Moguntinus* de anno MCCCCXL. puncto gravaminum Nationis Germanicæ, & valoris Conciliorum, qui ſub nomine *Aviſamentorum Moguntinenſium* alias venit, & exhibetur in ſupra laudata Sammlung deren Reichs Abſchieden Part. I. pag. 161.; perperam vero a Lunigio ſupra cit. Reichs-Archivs Part. ſpec. Contin. I. pag. 32. ad annum MCCCCXXVI. & ante initium Concilii Baſileenſis refertur. VI. Aviſata in comitiis *Aſchaffenburgenſibus* anno MCCCCXLVII. puncto Sedis Apoſtolicæ confecta; extant apud Lunig *Spicileg. Eccleſiaſt.* Part. I. fol. 315. VII. *Bulla* Eugenii IV. Papæ: *Inter cætera deſideria*: de A. MCCCCXLVII. ſeptimo Idus Februarii ſuper diverſis Indultis, diſpenſationibus, ac conceſſionibus datis Friderico Regi Romanorum & Principibus Germaniæ, qui receſſerant a neutralitate, & obedientiam ei præſtiterant. Vid. Sammlung deren Reichs-Abſchieden cit. Part. I. pag. 174. VIII. *Epiſtolæ* Æneæ Sylvii, qui quam multam partem in negotio Concordatorum habuerit, jam ſupra dictum fuit. IX. *Gravamina* Anno MCCCCLXXIX. in Diæta Cleri *Confluentina* concepta, & Friderico III. Imperatori nomine totius Cleri Moguntinenſis, Colonienſis, & Trevirenſis exhibita. Reperiuntur apud Lunigium *Spicileg. Eccleſiaſt.* Part. I. pag. 354. & apud Leibnizium *Codic. Jur. Gent. Diplomat.* pag. 439. X. *Gravamina Nationis Germanicæ* ſub Maximiliano I. Imperatore de Anno MDX. extant pariter apud Lunigium Reichs-Archivs Part. Gener. contin. I. pag. 299. XI. *Ejusdem Nationis gravamina* ſub Carolo V. Imperatore in Comitiis *Norimbergenſibus* Legato Pontificio exhibita apud Goldastum Conſt. Imper. Tom. II. XII. *Gravamina Prælatorum* de anno MDCXLI. in Comitiis *Ratisbonenſibus* apud Limneum Mantiſſ. 9. in Capitulat. Cæſar. &c. &c. Sufficiat hic fontes hoſce indigitaſſe, qui quantum in interpretatione noſtra

F in-

influxum habuerint, ſequentia edocebunt. Supervacaneum proin exiſtimamus, pluribus id hic exponere, longiusque immorari.

XXIII. Poſt hæc ad *obſervantiam* quoque attendimus, quæ optima legum quarumcunque & pactorum interpres per notorias regulas Juris deprædicatur, quæque in ambiguitatibus, ſiquæ ex ipſa lege, adhibitis præſertim aliis interpretationis regulis, remanent, locum, & vim legis obtinere dicitur. Neque enim jus fasque eſſe credimus, e reliquarum, quas jam præmiſimus, ſanæ interpretationis regularum cenſu eliminare hic eam, quam tamen in aliis legibus tum Eccleſiaſticis, ſive publicæ illæ ſint, ſive privatæ, modo ex ipſo jure Divino, circa quod utique nulla prævalet conſuetudo aut obſervantia, tum etiam politicis & pragmaticis noſtri Imperii, imo in ipſis etiam pactis inter Gentes liberas ſancitis præcipuum, præ reliquis etiam Canonibus Hermenevticis robur habere, ex quotidiano uſu & praxi compertum eſt. Neque aliud nobis (ut cætera, quæ a Curialiſtis obmoveri ſolent, in Diſſert. noſtra Gener. Cap. III. Sect. II. §. XIV. & ſeqq. jamjam allata, ibique ſufficientibus reſponſionibus evacuata hic taceamus) ex iis perſuadere hactenus potuimus, quod in Actis Germaniæ publicis, veluti Receſſ. Imp. de anno MD. tit. 44. §. 3. & omnibus Capitulationibus Cæſareis, ſpeciatim in Noviſſ. Art. XIV. §. III. inhæſivo tenore perenniter dicatur, *vivendum & ſtandum eſſe firmiter Concordatis, contraventiones tollendas.* Quodque unicus tantum Concordatorum abrogandorum modus in iiſdem ſit bis expreſſus: *ſi in futuro Concilio de conſenſu Nationis aliter fuerit ordinatum.* Quodſi enim inprimis illa verba: *vivendum & ſtandum eſſe firmiter Concordatis*, ſecundum omnem rigorem exactiſſime perpendamus, haud plus certe nobis innuere videntur, ac aliæ quæcunque clauſulæ, vel ipſis legibus aut pactis inſeri, vel in ſpecialibus decretis, mandatis aliisque literis legum aut pactorum ſubſequis exprimi ſolitæ, queis vel Legislator vel compaciſcentes firmiorem legum, pactorumque obligationem,

Digitized by Google

quam poſſunt efficaciſſime, inculcare intendunt: Sicut autem clauſulis ejusmodi, utut energicis & prægnantibus, nemo hactenus id virium ineſſe credidit, ut circa vel contra pactum, aut legem tali clauſula roboratam nulla queat oſtendi conſuetudo vel obſervantia, præſertim ſi hæc ſit temporis immemorabilis; ita pariter verbis ſupra citatis, totiesque in Actis Imperii publicis repetitis plus quidquam, contra communem ejusmodi clauſularum naturam, attribui poſſe, nequaquam exiſtimamus. Porro ſubſequentia verba ſignanter loquuntur: *Contraventiones tollendas*: Quam longum autem ſit *Contraventiones*, praxes, abuſus, uſurpationes inter, & legitimam præſcriptionem, conſuetudinem aut *obſervantiam* diſcrimen, nemo eſt, qui ignoret. Denique, quod poſtremum attinet, veriſſimum eſt, nonniſi unicum *abrogandorum* Concordatorum medium, idque repetita vice in iisdem expreſſum eſſe. Rurſus vero aliud eſſe *abrogare* Concordata, aliud eadem *interpretari*, luce meridiana clarius eſt. Jam ſupra ſemel Num. XIII. curate animadvertimus, circa *interpretationem* in Concordatis ſpeciale nihil diſpoſitum fuiſſe, inde ergo prono alveo conſectaneum eſſe videtur, regulas ſanæ interpretationis, quæ alias adhiberi ſolent, una omnes, excepta nulla, hic quoque applicari & poſſe, & debere, ſiquidem per ſe ſatis pateſcat, ubi exceptio deficit, regulæ generali & communi procedendi modo locum ſuum inveniri.

XXIV. Nequis tamen nos facile ex his redarguat, viam nos latiſſimam ſic aperire, claram Concordatorum literam quavis data occaſione eludendi, aut iisdem certe, prætenſa quadam conſuetudine aut obſervantia, ſubdolis conatibus contraveniendi; notatum inprimis velimus, obſervantiæ nos prius locum nullum concedere, niſi literam, vel deficientem, aut non comprehendentem, vel dubiam, vel certe non ſatis claram deprehenderimus, haud immemores eorum, quæ ſupra num. IX. diximus, literam ſcilicet claram prorſus, certam nobis legem tuliſſe inviolabiliter poſthac obſervandam, nullamque nobis interpretationem videri meliorem,

Digitized by Google

ac quæ ex ipſa litera deſumitur. Hac vero deficiente, nihil profecto reliquum eſt, quam ut ad obſervantiam, literæ dubiæ indubiam interpretem confugiamus. Neque etiam deeſſe in Concordatis ſaltem aliqua, quæ inſpecta ſola litera vel non comprehenſa, vel plane indeciſa maneant, vel ſuis certe adhucdum obſcuritatibus involuta, ex decurſu noſtræ diſſertationis apparebit. Præterea quoque ad ipſam hanc, quam pro indubitata interpretationis Regula ſtatuimus, obſervantiam *certas conditiones* & qualitates requirimus, quibus omnino fit, ut non adeo ſit facilis eludendorum, aut fruſtrandorum Concordatorum, obmota quadam obſervantia, occaſio. Enimvero cum obſervantia jus ſit, vel Regula per traditionem inducta, qua in rebus & negotiis jure ſcripto non ſatis eliquatis ordinandis, expediendisque utimur; hæc ipſa vero traditio nitatur diuturno uſu, quo ſæpe aliquid factum conſtet; merito inprimis ad obſervantiam deſideramus *diuturnitatem temporis*, & *frequentiam actuum*, ut exinde nobis conſtet, veram aliquam obſervantiam, non novam uſurpationem hic ſubeſſe. Quanta autem diuturnitas temporis, qualis & quanta actuum frequentia ad eam ſit requiſita, mathematice ut a nobis definiatur, exigi non poteſt, cum verſemur in moralibus, certo etiam reſpectu inter liberas Gentes vigentibus. Hanc ſaltem in prudenti & morali æſtimatione fundatam regulam ſuppeditamus: Tanta requiritur diuturnitas temporis, tanta actuum frequentia, quanta ſufficit, ut tacitus utriusque partis compaciſcentis, & Sedis Apoſtolicæ & Nationis Germanicæ conſenſus inde erui queat. Ob eandem vero rationem, quod tacitus utriusque partis conſenſus intervenire debeat, illud ulterius requirimus, ut obſervantia, quæ in vim Regulæ hermenevticæ hic allegatur, ſit *bilateralis*, & a *neutra parte oppido contradicta*, neque ſit ſtylus aliquis aut praxis ab una tantum vel altera parte hactenus clandeſtino artificio uſurpata, quam potius inter abuſus, & contraventiones reputamus, & a vera quadam, ac non ſpuria obſervantia merito excludimus. Denique cum ex dictis obſervantia in diuturno uſu, adeoque in fa-

ctis

ctis conſiſtat, facta autem prudentiſſimos lateant, indeque probari debeant; merito non allegationem, ſed *probationem* obſervantiæ a parte allegante inſtituendam requirimus. Abſolvitur autem illa probatio per deductionem plurium actuum in eodem genere cauſæ uniformium, ex quibus aliquid tacito utriusque partis conſenſu hactenus ita, & non aliter practicatum fuiſſe, demonſtratur. Hæc ipſa vero deductio actuum fit vel per teſtes fide dignos, vel per Documenta authentica, quæ ſi ex rerum geſtarum commentariis, qui in Archiviis aſſervari ſolent, deſumantur, tutiſſimum eſt; vel denique per Scriptores fidei dignos, non partiales, quatenus hi rem aliquam a longo tempore ita & non aliter, non contradicente alterutra parte, eſſe peractam, in ſuis libris perhibent. His demum qualitatibus & conditionibus inſtructa quædam obſervantia præſertim circa literam Concordatorum vere dubiam & obſcuram, ſi a Curia Romana allegari, probarique poterit, non refragabitur Natio, eandem in vim, & locum ipſius legis pactitiæ admittere, mutuo autem exinde poſtulans, ut talis in favorem ſuarum Eccleſiarum allegata & probata, vel etiam per ſuffragantem amplioris ante & ultra Concordata tenti hactenus privilegii famam titulata obſervantia ſive univerſalis, ſive particularis pariter apud Romanam Curiam non detrectetur.

XXV. At vero quodſi in caſu dubiæ, aut ſubobſcuræ literæ, vel neutri parti ſuffragetur obſervantia, vel pars utraque de eadem contendat, alteram hanc ad ſenſus dubii interpretationem regulam adſtruimus, Ordinariorum hoc in paſſu & Capitulorum *favorem* eſſe potiſſimum reſpiciendum. Quantum autem omni æquitati Canonicæ conforme, & conveniens hoc ſit principium, non moramur ulterioribus argumentis ab intrinſeco, ut vocant, petitis demonſtrare, ne actum agamus, illaque, quæ pro hujus dignitate objecti in Diſſ. generali Cap. II. Sect. III. §§. VII. & VIII. jam copioſe ſatis adduximus, faſtidioſe hic repetamus, id ſolum ſufficere rati, ſi, quæ ineluctabilibus ibidem argumentis confe-

ſta fuere, ipſa quoque Curialiſtarum authoritate validius hic corroborentur. Et ſane Viri in Curia Romana celebratiſſimi, & famigeratiſſimi Eminentiſſimus Cardinalis VINCENTIUS DE PETRA, & JOANNES BAPTISTA RIGANTIUS, ille in ſuis commentariis ad Conſtitutiones Apoſtolicas Tom. V. pag. 5. num. 4., hic in ſuis itidem Commentariis ad regulas Cancellariæ Tom. I. pag. 9. diſertis, & explicitis verbis idem ſtatuunt principium, confirmantque. Poſterioris ipſiſſima verba, pro majori dictis fide facienda, huc referre conſultum duximus. *Concordata*, inquit, cit. pag. n. 83. *ſunt Nationi Germanicæ favorabilia, & in dubio ejus favore ſemper contra Pontificem interpretanda.* Hanc ſuam aſſertionem confirmat addita authoritate GONZALEZII ad Reg. 8. Gloſſ. 25. num. 9. SIMONETTI de Reſerv. Quæſt. 99. num. 24. CHOKIER ad Reg. Cancell. Gloſſ. 11. n. 10. ROT. Deciſ. 108. n. 1. *Coram Puteo.* Neque in hujus uſu & applicatione Regulæ mentis nobis eſt, ullatenus recedere ab ea, quam uterque eidem adjecit, moderatione & temperamento, dum inquiunt: *Favor Germanicæ Nationis utcunque maximus non eſt adeo extendendus, ut rationem deſtruat, Concordatis vim inferat*; Vid. RIGANTIUS cit. Tom. I. pag. 12. num. 124; quin potius ſancte iterum aſſeveramus (id quod Differt. general. cit. loc. jam aſſeveravimus) nos nequaquam animo decreviſſe, regula hacce in uſum deducta Sedis Apoſtolicæ reſervata jura, contra expreſſum Concordatorum tenorem, irreligioſe impugnare, omnino cenſentes, pacta iſthæc publica germana fide eſſe ſervanda, atque eo potiſſimum fine cuſtodienda, ut hiſce tanquam medio perquam opportuno inferiorum Ordinariorum cum Summo Pontifice, & omnium Eccleſiarum præcipue Germanicarum tanquam remotiorum cum Romana, antiquiſſimo veluti unitatis centro, communio firmius colligetur; cui etiam Eccleſias Germanicas adſtrictius quidem, juxta Canones tamen & pacta, co- & ſubordinatas eſſe ultro fatemur, neutiquam de æquali cum Gallia libertate hic contendentes.

XXVI.

XXVI. Atque hæ ſunt communes illæ omnis ſanæ rectæque interpretationis regulæ, quas ad illuſtrandum Concordatorum noſtrorum textum eo ordine adhibere modo, & in uſum deducere lubet, ut in *primo* hujus diſſertationis Capite *Ingreſſum* Concordatorum, aliaque *generalia* tum in textu, tum ſub finem obvia; in *altero Reſervationes* per Concordata firmatas; in *tertio* liberam & canonicam *electionem quoad Dignitates majores* reſtitutam; in *quarto alternativam* per menſes *collationem quoad Beneficia minora, & inferiora* inductam; in *quinto* demum *Annatarum determinationem* & *modificationem* iisdem illuſtranda atque interpretanda nobis aſſumamus. Sicuti autem in ordinanda hac integra Diſſertatione *methodo* uſi ſumus *naturali*, Capitum ſcilicet diviſionem adornando, prout ipſe Concordatorum textus nobis ſuggeſſit, ita & in elaborandis ejusdem quinque Capitibus eandem *methodum naturalem* ducem potiſſimum ſequemur, de paſſu ad paſſum ex ordine procedendo, quin tamen *methodum artificialem* extra conſpectum omnino dimittamus, artificialem materiarum connexionem non penitus negligendo. Quoniam vero hic ipſe intermixtus methodi artificialis uſus in decurſu ſæpius flagitat, uni vel alteri Concordatorum paſſui diffuſioribus meditationibus inhærere, ne tamen exinde methodus naturalis nobis præcipue propoſita turbetur, conſultum duximus, ſingulos quosque numeros novi paſſus interpretationem ordientes tam in præfixis cuilibet Capiti ſummariis, quam in ipſa deductione aſteriſco notare, quo facilius & illi juvari inde queant, qui ſubinde nonniſi unius alteriusve paſſus interpretationem deſiderant.

CAP. I.

CAPUT I.

Exponit Ingreſſum Concordatorum, aliaque generalia in textu ſparſim, & præcipue ſub finem occurentia.

SUMMARIA.

I. *Ingreſſus.*
II. * *Duplex eſt forma Concordatorum, una ſub Schemate pacti, altera ſub ſtylo Bullæ.*
III. * *Stabilitur vera Chronotaxis Bullæ.*
IV. *In praxi hactenus ſola Bulla nomine Concordatorum veniebat;*
V. *Verum præmiſſis quibusdam circa textum originalem obſervationibus*
VI. * *Aſſeritur, originale pacti præferendum eſſe in dubio originali Bullæ;*
VII. *Imo, aliis quibusdam in exemplaria Concordatorum ſub utraque forma conceptorum obſervationibus hic prænotatis,*
VIII. *Aſſeritur pariformiter, ipſa etiam Exemplaria Tractatus Exemplaribus Bullæ præferenda eſſe.*
IX. * *Expediuntur reliqua, quæ ex Ingreſſu Concordatorum illuſtrationem & interpretationem capiunt.*
X. * *Fit progreſſus ad explicationem clauſulæ bis in Concordatis obviæ*: niſi in futuro Concilio de conſenſu Nationis aliter fuerit ordinatum.
XI. * *Genuina ejusdem ſignificatio & effectus explicantur.*
XII. * *Removetur objectio ex hac clauſula in præjudicium Concordatorum deſumpta.*
XIII. * *Paſſus ſub finem Concordatorum poſitus*: In aliis autem &c. *notis Hiſtoricis illuſtr‹tur.*
XIV. *Ejusdem hodiernus adhucdum, & valde notabilis effectus juridicus quoad vim & efficaciam Conciliorum generalium exponitur.*

XV.

XV. *Quod ex allato in extenſo Brevi Apoſtolico Eugenii IV. fortius ſtabilitur*

XVI. *Ac præcipue ad Concilium Tridentinum extenditur.*

XVII. * *Clauſulæ finalis Concordatorum explanatio remiſſive allegatur.*

I. DUm in præfigenda huic Operi noſtro Præfatione prolixiores hactenus eramus, mens certe nulla fuit, ſteriles, inutiles, & otioſos, quos ipſimet lectura haud dignos reputaremus, ſermones miſcendi, ſed regulas, & principia ejusmodi præſtruendi, quorum ſynthetica applicatione totum opus noſtrum abſolveretur. Quantum ea ſoliditatis, fundatique, & nemini malevolentis, omnibus vero bene ſentientis animi habuerint, illud eſt, quod a prudenti & impartiali benevoli pariter Lectoris judicio exſpectamus. Iisdem vero præmiſſis manum nunc operi admovemus, ipſamque Concordatorum interpretationem aggredimur, ubi tamen, recta differendi methodo, materiæque utilitate ſic rurſus exigente, ſingulare inprimis Caput deſtinamus iis, quæ tum in ingreſſu, tum ſparſim alias, tum præcipue etiam ſub finem Concordatorum velut generaliter diſpoſita fuere, neque ad ſpecialia illa, de quibus Concordata ſigillatim diſpoſuere, objecta commode referri queunt. Inter hæc enim reperiri complura haud indigna, quæ utilibus, multumque favorabilibus reflexionibus curate animadvertantur, ex ſequentibus dilucide apparebit.

II. * Ante omnia vero hic obſervatum velimus, textum Concordatorum tam in *originalibus*, quam in tranſumptis *exemplaribus* ſub *duplici* forma expeditum proſtare. Alia enim in forma exhibentur *ſub ſchemate pacti*, quatenus nimirum ea inter JOANNEM CARVAJALEM Cardinalem Legatum de latere miſſum, & inter FRIDERICUM III. Imperatorem, plurimorum S. R. I. Electorum, aliorumque ejuſdem Nationis tam Eccleſiaſticorum, quam Sæcularium Principum conſenſibus accedentibus concluſa, lau-

Google

data, acceptata, & ſubſcripta fuere; in alia vero *ſub ſtylo Bullæ*; nam poſtquam dicta Concordata inter Imperatorem & Legatum Apoſtolicum feliciter confecta & edita fuerant, Imperator, nonnullique alii Status Imperii tum Eccleſiaſtici, tum Sæculares Nicolao V. Summo Pontifici humiliter ſupplicari fecerunt, ut illis, *pro firmiori eorum ſubſtantia, robur Apoſtolicæ firmitatis adjicere, nec non authoritatem potiorem, & decretum interponere dignaretur*, qui deinde eadem per *nonnullos ex Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus magnorum maturitatis, authoritatis, & literaturæ viros diligenter examinata & diſcuſſa, ac tanquam rationabilia, & ſalubria tam Eccleſiæ, quam Nationi inventa de eorundem aliorumque Cardinalium conſilio & aſſenſu Apoſtolica authoritate & ex certa ſcientia approbavit, ratificavit, laudavit, acceptavit, ſpecialisque Bullæ patrocinio communivit.* Prior expeditio per formulam quandam in aliis quoque ſolennibus contractuum & pactorum inſtrumentis uſitatam inchoatur his verbis: *In nomine Domini, Amen. Anno a Nativitate ejuſdem &c.* Finitur vero per ſubſcriptionem ac ſigillationem & Imperatoris & Cardinalis Legati illis verbis: *Ad fidem igitur & robur ac teſtimonium omnium præmiſſorum nos* Fridericus *Romanorum Rex, & nos* Joannes *Cardinalis Legatus ſupradicti chartam præſentem noſtris appenſis mandavimus communiri ſigillis.* Poſterior præmiſſo conſueto ſtylo Bullari incipit: *Ad Sacram Petri Sedem &c.* & definit: *Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo Kalendis April.* vel ut alii ponunt, *XIV. Kalend. April. Anno Pontificatus noſtri ſecundo.*

III.*

III. * Adnotandum hic venit, circa *datam* Bullæ varios eſſe Authores: Alii enim inprimis, uti *Bullarium Magnum*, GOLDASTUS, LIMNÆUS, & *Continuator* LONDORPII *datam* ejuſdem ponunt in *Kalendis Aprilis.* Alii vero, BRANDENUS ſcilicet, ANDLERUS, MULLERUS, SCHILTERUS, HEISSIUS & LUNIGIUS referunt eam ad *decimum quartum Kalendas Aprilis.* Hiſce autem relatis aſſerit DU MONT *Corp. diplomat. Tom. I. part.* 3. veroſimiliorem, & exactiorem datam illam, quæ a poſtrema Authorum Claſſe referebatur; cui & nos facile aſſenſum præſtamus, quod *Kalendæ Aprilis* ſive ſecundum diem Incarnationis, ut fert ſtylus Bullaris, ſive ſecundum diem Nativitatis Dominicæ, ut alias & ordinarie fieri ſolet, computatæ *anno ſecundo* Pontificatus NICOLAI V., quo Bulla edita fuit, haud correſpondeant. Hoc ut rite intelligatur, ulterius adnotamus ex eo, quod Bulla confirmatoria, quæ utique Concordatis poſterior eſſe debet, datetur ſub Anno MCCCCXLVII; ipſa vero Concordata ſub A. MCCCCXLVIII., nonnullos eorundem Editores fuiſſe, qui vanos puncto veræ *datæ* ſcrupulos moverent, & latens quoddam vel amanuenſis vel typi mendum ſubeſſe crederent. Atenim non attenderunt illi, opinamur, ad ſtylum Bullarem Romæ obſervari ſolitum, ſecundum quem initium novi anni in Bullis computatur *a die Incarnationis Dominicæ*, qui eſt *nonus Kalendas Apriles* ſive vigeſimus quintus Martii. Unde autem conſequitur, quod *dies quartus decimus Kalendas Apriles MCCCCXLVII.* ſecundum ſtylum Bullarem ſit *dies XIX. Martii MCCCCXLVIII.* ordinariæ computationis, quæ a die Nativitatis inchoatur. Porro in Bulla hac NICOLAI V. Concordatorum confirmatoria computum anni Dominici juxta ſtylum Bullarem factum eſſe, inde inprimis planum evadit, quod annus iſte aliter in Concordatis, aliter in Bulla eorundem confirmatoria appelletur; in Concordatis quippe ipſis dicitur: *Anno a Nativitate ejuſdem:* in Bulla vero *Anno Incarnationis Dominicæ*, manifeſto indicio, quod aliter, ſcilicet ſecundum computum ordinarium a die vel octava Nativitatis in-

inchoatum in Concordatis, aliter nimirum ſecundum ſtylum & computum Bullarem in Bulla dictus annus Dominicus numeratus fuerit. Accedit præterea, quod Bulla hæc confirmatoria juxta omnes emanaverit *anno* a Pontificatu Nicolai ſecundo, hic vero cum primum juxta Bullarium M. electus fuerit die XI. Martii, coronatus die XIII. Martii anno MCCCCXLVII. ordinariæ computationis, inde conſequitur, quod nulla dies etiam extrema anni MCCCCXLVII. ordinariæ Computationis, bene vero jam Dies XIVta Martii ejusdem anni MCCCCXLVII., ſed ſecundum ſtylum Bullarem computati, in annum ejusdem Pontificis ſecundum potuerit incidere.

IV. Inde vero, quod ſub duplici forma Concordata noſtra prodierint, factum fuit, ut complures quidem, qui ea in ſuis Commentariis, aut Collectionibus retulerunt, ſub duplici etiam forma exhiberent; interim tamen multi quoque, ii præſertim, qui Curiæ Romanæ magis favebant, ſub ſola forma Bullæ, neglecto ipſo pacto, eadem ſiſterent; nonnulli demum, quos inter in ſpecie Leibniz. *in ſuo Cod. Jur. Gent. Diplomatico* computandus eſt, non attenta Bulla ſolum Tractatum exhiberent. Uſu vero tam in Curia, quam apud Nationem Germanicam iſtud invaluit, ut, quoties Concordatorum Germanicorum mentio fieret, ad ſolam Bullam eorundem confirmatoriam, neglecto ipſo tractatu, reſpectus & attentio haberetur. An ſatis bene? ſequentes obſervationes edocebunt.

V. Equidem textus originarius ſub utraque, vel ſub alterutra forma conceptus non ita paſſim in manibus privatorum pervolitat, ut ad ſingulos paſſus conſuli facile queat. Optandum tamen nihilominus foret, ut frequentior ejusdem pervolvendi copia & facultas daretur, cum ſatis conſtet, utriusque conceptionis originariæ exemplaria in duobus maxime peccare, & *primo* quidem in eo, quod omiſſas in originalibus ſecundum ſtylum antiquiorem interpunctiones ad morem hodiernum pro libitu apponant; *ſecundo* vero in eo, quod paragraphos novis

a ca-

a capite paginæ lineis, numerisque ciffrarum diſcernant, disjunganturque; cum tamen in neutrius expeditionis originalibus inſtrumentis tot videantur interpunctiones; utriusque porro ſcripturæ originalis ab initio uſque ad finem tanta ſit continuitas, ut nullus verſiculus, abrupto lineæ filo, de novo incipiat. Quantum vero genuina & naturalis textus ſignificatio per arbitrarias ejusmodi interpoſitiones, & paragraphorum ſejunctiones vitiari obſcurarique poſſit, de ſe ſatis patet, nec allegatis exemplis ſpecialibus hoc loco, ubi adhucdum generalibus inhæremus, demonſtrare opus eſt. Supereſt igitur, ut in tali caſu vitiati, aut obſcurati textus, deficiente quoque inſpiciendi originalis facultate, ad naturalem ejusdem, quam regulæ Grammaticæ ferunt, conſtructionem confugiamus, & ad earundem ductum ſigna & interpunctiones apponamus. Hiſce tamen adhibitis, quodſi vel vitium latens, vel obſcuritas tolli non poſſit, tum demum aliud utique nihil reſtaret, quam ut vel ipſa originalia conſulerentur, vel ſaltem tranſumpta exemplaria ſingulis Metropolitanis conceſſa, quibus juxta ipſam Concordatorum diſpoſitionem *in judicio vel extra ſtandum, & per omnia plena fides, tanquam ipſi cartæ originali* eſt adhibenda.

VI. * Aſt quid agendum in caſu hactenus equidem nondum proſtante, ubi non tantum tranſumpta Metropolitana, ſed ipſa etiam originalia ita inter ſe diſcreparent, ut aliud textus *Pacti*, aliud textus *Bullæ* exhiberet? Nulli plane dubitamus, quô minus hoc loco textui ſub ſchemate pacti publici edito firmiter ſit inhærendum. Enimvero cum JOANNES Cardinalis Legatus plena in hac parte, & ſufficienti pro conficiendis Concordatis authoritate & poteſtate a Summo Pontifice & Sede Apoſtolica munitus ac ſuffultus fuerit, Metropolitanis inſuper Germaniæ conceſſerit, *ut ſuper Concordatis præſentibus* (in forma Tractatus publici conceptis) *ſinguli petentibus quibuscunque, quantum opus eis videbitur, ſub ſuis ſigillis tran-*

ſumpta concedere valeant, utque tranſumptis eisdem in judicio & extra ſtetur, & adhibeatur tanquam chartæ originali plena fides; porro Nicolaus V. Summus Pontifex prædicta Concordata, *facta & procurata diligenti eorum examinatione, ac diſcuſſione, prout a partibus ipſis concluſa fuerunt, Apoſtolica authoritate, & ex certa ſcientia approbaverit, ratificaverit, & acceptaverit*; invicte conſequi videtur, laudatum Pontificem neque potuiſſe, neque etiam voluiſſe, ſine expreſſo conſenſu Nationis, in iisdem Concordatis, prout jacent ſub data 17. Febr. MCCCCXLVII. ſubſtantiale quid immutare, aut iiſdem contrarium ſæpius dictæ ſuæ conſtitutioni inſerere, ſed potius intendiſſe, omnem eorum ſubſtantiam bona fide conſervare, & ſui ſcripti patrocinio communire. Inde autem ulterius eruitur, ſuſcitata controverſia circa textus veritatem principaliter ad originalia tractatus, tanquam formam & normam ideandæ Bullæ, recurrendum eſſe.

VII. Neque vero in originalibus ſolum, prout hactenus oſtenſum fuit, ſed & in Exemplaribus textum tractatus, textui Bullæ præferendum eſſe, ex ſequenti num. VIII. manifeſtum reddere conamur, dum interea hoc numero alias quasdam circa exemplaria Concordatorum obſervationes, ordinis & claritatis cauſa præmittemus. Scilicet utriusque expeditionis originariæ diverſa extant exemplaria, *Latina*, *Germanica*, *Gallica*, a variis Authoribus, quorum potiſſimos refert Dumont *Corps Diplomatiq. Part. III. in rubrica & inſcriptione ad Concord. Germ.* collecta & in lucem edita. *Germanica & Gallica* exemplaria, quorum alterum a Goldasto potiſſimum *in ſuis Conſtit. Imper. Tom. I. pag.* 408. & ex eo a Limneo *Capit. Imper. & Reg. Mantiſſ. VIII. ad Capit. Carol. V.*, alterum ab Heissio in ſuo libro intitulato, *Hiſtoire de l'Empire Tom. III. pag.* 304. exhibetur, tantæ non ſunt authoritatis, & fidei vel ex eo etiam, quod meræ ſint verſiones a privatus

tis Authoribus adornatæ, cum authenticum vel originale ſola lingua latina conceptum eſſe conſtet; quamvis inſuper citatus DUMONTIUS notet, aliunde etiam GOLDASTI exemplar Germanicum ſatis mendoſum & nullius momenti eſſe. Major utique fides & authoritas habenda eſt Exemplaribus *Latinis*, tum quod linguam originariam retineant, tum quod eorum Editores originarium textum paſſim indigitent, e quo ſuum exemplar deſumpſere. Sed an ea æqualis ſit in utriuſque expeditionis Exemplaribus, utra vero exemplaria alteris ſint præferenda, ex ſequentibus ſat clare colligi poterit.

VIII. Quæ ſub Schemate tractatus prodiere hucuſque Exemplaria, uniformem retinent lecturam, nec in ullo verbo inter ſe variant. Sed quam ingentes ſint & notabiles verborum differentiæ & variationes in iis, quæ ſub forma Bullæ emanarunt, jam ſæculo ſuperiore advertit a VORBURG in *Trismegiſto Canonicali*, & hoc currente ſæculo DUMONTIUS *cit. loco Not.* 2. ita ſcribens: *on a vu, & conferé toutes les Copies, qu' on cite ici* (ſcilicet ex *Bullario magno*, *ex* BRANDENIO, GOLDASTO, ANDLERO, SCHILTERO &c. &c.) *& l' on y a reconnu un grande Variation dans les mots.* Ex his autem nemo non facile animadvertet, conſpirantia illa in forma tractatus & pacti publici emanata Exemplaria longe præhabenda eſſe variantibus hiſce, quæ Bullam NICOLAI V. ejusdem tractatus & pacti confirmatoriam exhibent; ſiquidem ipſa naturali ratione ſatis perſuadeamur, validiſſima eſſe argumenta, quæ a teſtibus conſpirantibus contra variantes depromuntur. Atque inde etiam LEIBNIZIUM permotum credimus, quod *ſuo Codici Jur. Gent. Diplomatico* omiſſa Bulla ſolum tractatum Concordatorum infereret, his in Rubrica præmiſſis verbis: *Hæc ſcilicet ſunt recepta Concordata Nationis Germanicæ, quæ proſtant ſub forma Bullæ* NICOLAI V. . . . *Nobis autem ipſum tractatum exhibere placuit.* Ne tamen hacce noſtra obſervatione uſum Bullæ confirmatoriæ penitus eliminare, aut neglectui habere videamur, utrumque & Tractatum & Bullam, ſicuti hactenus egimus, ita

&

Digitized by Google

& impoſterum conjungemus, ſimulque ita præ oculis habebimus, ut, quæ in uno forſan obſcurius dicta appareant, ex altero ſupplere magis, & illuſtrare ſtudeamus; quatenus vel his etiam oſtendamus, nunquam nobis animum fuiſſe, vel exceſſu, vel defectu ullibi offenſam incurrere.

IX. * Præter hactenus dicta, ex ingreſſu vel Procœmio Concordatorum ſub utraque forma editorum velut nativo ſuo fonte & propria Sede decretoriam ſuam deciſionem capiunt generales illæ & velut præjudiciales Quæſtiones, quas Curialiſtæ ſequioribus ſuis Principiis imbuti, & præventi non tam in ſolida quadam ratione, quam meris & ſubtilibus adinventionibus nixas adverſus naturam, qualitates, & effectus Concordatorum adſtruere & fovere ſolent: An nimirum Concordata *vim veri ac bilateralis pacti*, *& naturam tractatus publici utraque ex parte æqualiter ligantis* habeant; an & quo ſenſu dici debeant *perpetua*; an iisdem non tantum NICOLAUS V., *ſed & omnes ejus Succeſſores* ligati hactenus fuerint, & adhucdum ligentur? &c. &c. Omnia hæc tot tantisque invictis monumentis ex hoc ipſo Concordatorum ingreſſu probari poſſunt, ut pro re liquidiſſima merito haberi, atque proinde in clara luce & plena meridie cæcutire aut ſtudioſe oculos claudere videri debeant illi, qui hac in re alienas a nobis partes amplectuntur; terminis quippe, ut ajunt, terminantibus ibi dicitur, Concordata hæc *inter unam & alteram Partem, Sedis Apoſtolicæ, Eccleſiæ Romanæ, & Nationis Germanicæ nominibus, pro unione Pace & tranquillitate inter Eccleſiam & Nationem perpetuo ſolidandis & conſervandis a partibus ipſis hinc inde approbata, laudata, concluſa & acceptata fuiſſe.* Quoniam tamen in Diſſertatione noſtra ſecunda, quæ propterea generalis inſcripta fuit, hæc ipſa copioſe, & adductis etiam refutatisque contrariis argumentis pertractata fuere, diutius iiſdem hic immorari nolumus, ne nauſeam tædiumque lectoribus faceſſamus; attingere tamen ea placuit,

cuit, ex quo ſemel propoſuimus, hac in Diſſertatione plenum quendam, & exactum commentarium ad ductum ipſius textus Concordatorum ob oculos ſiſtere.

X. * Sunt hæc ferme ea, quæ ex Ingreſſu Concordatorum huc adducenda & ſpecialibus reflexionibus communienda fuerant. Porro autem in ipſo eorundem contextu bis clauſula hæc exprimitur: *curratque hæc obſervantia, & duret ordinatio deinceps, niſi in futuro Concilio de conſenſu Nationis aliter fuerit ordinatum.* Adjecta enim eſt duobus Concordatorum Articulis, quorum altero de alternativa menſium, altero de ſolutione Annatarum agitur. Sed ad utrumque hunc ſtabiliendum aut concedendum ſicut difficillime, teſtantibus Actis hiſtoricis, præſertim Concilii Conſtantienſis, Pontifices induci potuerunt, ita ad conſervandum poſthac majorem cautelam & curam abundantiorem ſibi neceſſariam eſſe, credidit Natio. Rationes autem, quæ hanc abundantiorem, & majorem præcautionem exigere videbantur, cum ſpeciales utrique, & alterutri tantum propriæ ſubſuerint, ſuo inferius loco proprio Cap. IV. & V. commodius recenſendæ reſervantur. Effectus tantum & ſequelas ejusdem clauſulæ utrique Articulo communes, ſed tamen reliquis Concordatorum §§. haud præjudicioſas, huc unice agglomeramus.

XI. * Tria potiſſimum ſunt, quæ veram & genuinam ejus ſignificationem, omnemque, qui in ea continetur, effectum velut generaliter aperiunt, quamvis complura ſint alia, quæ ex tribus hiſce, ceu totidem inde deducta corollaria, proniſſime profluunt; *Primum* in eo eſt, quod vi hujus clauſulæ quæcunque *ſolitaria* Romani Pontificis diſpoſitio, ſicut ex ſupradictis in univerſa Concordatorum materia, ita tamen ſpecialiter in duobus iſtis Articulis clauſula hac prægnantiſſima communitis abeſſe omnino debeat. Inde quicunque æquus eſt, & impartialis rerum æſtimator & arbiter, facile dijudicabit, quid de Bulla Gregorii XIII., quid de aliis Conſtitutionibus Pontificiis, quid de Rotæ decisionibus, quid de aliis Reſcriptis Romæ con-

cedi ſolitis contra Articulum Concordatorum de alternativa menſium tractantem, hacque clauſula roboratum impingentibus ſit ſentiendum. *Alterum* in eo ſtat, quod *unicus* inducendæ in duobus hiſce articulis mutationis modus ſit *ordinatio futuri Conlii*, cui & Pontifex & Natio firmiter & inviolabiliter ſtare debeant. Quamvis enim alias in Curia Romana haud arrideant ſententiæ illæ de authoritate Conciliorum, eorumque etiam penes Pontificem obligatione in Conciliis Conſtantienſi, & Baſileenſi multum aſſertæ, neque etiam nobis eaſdem hoc loco ſtabilire vel animus ſit, vel locus permittat; recogitandum tamen omnino eſt, hanc obligationem in pactum hic deductam eſſe, adeoque tametſi alias liberior forte ſit Pontifici circa Canones & Statuta Conciliaria poteſtas; hoc tamen loco, ex fide ſaltem a ſemetipſo interpoſita, eandem omnino reſtrictam & ſemotam eſſe. *Poſtremo* denique cum vi iſtius clauſulæ placito & ordinationi Concilii conſenſus quoque Nationis Germanicæ accedere debeat, illud inprimis præcaveri voluit, ne, cum forte pauciores Germaniæ Epiſcopi Concilio adeſſent, abſque prævio tractatu cum iis, quorum intereſt, novæ reſervationes ultra dictam menſium alternativam, aut novæ taxæ pecuniariæ induci poſthac poſſent, evidenti argumento exinde reſultante, Concordata noſtra tum temporis conſiderata, adeoque impoſterum etiam conſideranda eſſe ut verum pactum publicum, inter Sedem Romanam & Nationem Germanicam circa materiam non mere Eccleſiaſticam, ſed mixtam, ſive partim Eccleſiæ, partim Reipublicæ profanæ communem initum, in quo cum utraque pars tanquam æqualis, & nullum ſupra ſe Judicem agnoſcens haberi debeat, nulla ordinatio etiam Conciliaris absque conſenſu utriusque partis compaciſcentis ſtatuta prævalere, aut locum ullum habere poſſit.

XII. Ex eo vero, quod hæc clauſula duobus tantum ſupradictis Concordatorum Articulis ſit inſerta, proindeque ad eoſdem tantum ſit reſtringenda, nemo arguat, in reliquis ſaltem liberiorem Pontificis eſſe circa Concordata authoritatem; atque adeo,

cum

Google

cum exceptio manifeſte firmet regulam, ſaltem in hiſce eundem Pontificem de plenitudine poteſtatis derogare Concordatis poſſe, aut quovis alio modo iisdem contravenire. Nequit enimvero hæc plenitudo poteſtatis, quæ eſſet ad fidem contra Jus. Naturæ frangendam, conciliari cum plenitudine ejusdem fidei, quam inviolabiliter ſervandam ſolenniſſime Nationi quoad totum tractatum ſpopondit Pontifex, neque cum plenitudine juſtitiæ, cujus eximia cultrix Sedes Romana nullo non tempore extitit. Porro nec ulla apparet ratio, quid ſit, cur forte Concordata in binis ſupradictis articulis, non vero in reliquis, ac proinde in tota ſua latitudine tanquam verum pactum & tractatus publicus conſiderari debeant. Eo autem firmiter ſtante, quod ſcilicet natura veri pacti Concordatis, quaqua patent, ſit inſita, prout ſatis in Diſſert. generali Sect. I. Art. II. demonſtratum fuit; jam confectum eſt, regulas communes de pactorum obligatione, immutatione, aliisque, ubi ſpeciales non appoſitæ ſunt, ad amuſſim tenendas & obſervandas eſſe; quæ proinde, cum ſatis clare inſinuent, in materia pacti nullam partem, inconſulta altera, juris ſibi quidquam, & poteſtatis vindicare poſſe, abunde patet, quid horum competat Pontifici, licet ſpecialis quædam clauſula, quam ſpecialis ratio ſpecialibus articulis pro ampliori cautela adponendam efflagitavit, univerſo Concordatorum tenori, vel ſingulis eorundem articulis adjecta non fuerit.

XIII. * Inter ea, quæ ad calcem Concordatorum habentur, memoratu inprimis dignus eſt ſequens paſſus: *In aliis autem, quæ per felicis recordationis Dominum* EUGENIUM *Papam Quartum pro Natione præfata uſque ad tempus futuri Concilii permiſſa, conceſſa, indulta, atque decreta, & per memoratum ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam* NICOLAUM *confirmata fuere, in quantum illa concordiæ præſenti non obviant, iſta vice nihil extitit*

immutatum. Clariſſime hiſce verbis indigitantur, novoque velut robore firmantur puncta illa Concordatis præambula, quæ a Natione propoſita, & ab EUGENIO IV. acceptata, appromiſſa, conceſſa, & indulta fuerunt. Conſtat autem ex Actis Hiſtoricis, Imperatorem, & Principes Imperii Nationem univerſam repræſentantes, cum Legati EUGENII IV. a ſua, in qua ab octennio hactenus perſtiterunt, neutralitate eosdem revocare, & ad obedientiam eidem EUGENIO IV. præſtandam pertrahere conarentur, in *Conventu Francofurtano* anno MCCCCXLVI. unanimi conſenſu concluſiſſe, a ſe impoſterum EUGENIUM IV. pro vero Pontifice agnitum iri, dummodo nonnulla Nationi Germanicæ indulgeret; quæ etiam EUGENIUS IV., dum ad ſe per ſolennem Legationem ab Imperio deputatam deferrentur, auditis in Conſiſtorio Secreto Legatis conceſſit, promiſit, indulſit. Hæc inter conceſſa & appromiſſa equidem nonnulla erant, quæ mox omnem ſuum effectum conſecuta, hodie nullum amplius effectum Juridicum habent, mereque ad illuſtrationem hujus materiæ ſubſerviunt. Qualia ſunt: I. quod *Decreta Baſileenſia* per ALBERTUM II. Romanorum Regem in Germania introducta ſuo in vigore permanere debeant, uſque dum vel cum Legato Pontificio aliter concordatum, vel in futuro Concilio aliter ordinatum fuerit. Id quod conceſſit EUGENIUS IV. per *Breve Apoſtolicum* Nonis Februarii Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVI, quod incipit: *Ad tranquillitatem & commoda* extatque apud LUNIG. *Spicil. Eccleſ.* Part. I. fol. 310. & in der neuen und vollſtändigen Sammlung der Reichs-Abſchieden Part. I. pag. 177. II. Quod collationes Beneficiorum, diſpenſationes, aliæque collationes a tempore neutralitatis hucusque authoritate ordinaria factæ impoſterum firmæ permanere debeant, nemoque in iis turbari, aut impediri queat; quo ſuper conferatur Bulla: *Inter cætera deſideria:* ejusdem EUGENII IV. ſeptimo Idus Febr. anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVI. edita apud eundem LUNIG. loc. cit. pag. 311. und in der Sammlung der Reichs-Abſchiede, cit. Part. I. pag. 175. III. quod ſpecifica gra-

vamina

vamina Eccleſiarum Trevirenſis & Colonienſis tolli debeant; qua de cauſa ſpeciale etiam Reſcriptum EUGENII IV. emanavit, prout colligitur ex Bulla mox citata §. 12. circa fin. ubi dicitur: *Super Eccleſiis autem Trevirenſi & Colonienſi, de quibus in petitionibus Regis, Archiepiſcopi Moguntinenſis & Marchionis præfatorum ſpecialis eſt poſitus Articulus, per alias noſtras literas deſuper editas, ſpecialiter providimus, prout in eis latius continetur.*

XIV. Præter hæc tamen duo alii Articuli a Legatis Nationis propoſiti, & ab EUGENIO IV. acceptati, promiſſi, & conceſſi fuerunt, qui revera conſiderationem merentur, & notabiles adhucdum hodie effectus juris producere poſſunt, & de quibus maxime ſupra adducta Concordatorum verba ſunt intelligenda. *Prior* eorundem hic erat, quod ad menſem Majum anni ſequentis MCCCCXLVII. in uno quinque nominatorum Germaniæ locorum Concilium generale per Pontificem convocari, taleque impoſterum frequentius celebrari debeat. *Poſterior* in eo conſiſtebat, quod Concilii generalis Conſtantienſis, ſicut & cæterorum militantem Eccleſiam repræſentantium poteſtas, auctoritas, honor & eminentia literis Apoſtolicis approbari debeat. Utrumque hunc Articulum eos inter, quos Natio ſibi præliminariter a Pontifice appromitti voluit, principalem ac præ reliquis omnibus eidem Nationi curæ cordique fuiſſe facile deprehendemus, ſi vel levi oculo varia illa gravamina & Aviſamenta a Natione, durante diſſidio, concepta percurramus, in quibus omnibus utriusque hujus articuli ſpecifica quædam mentio, expreſſiſſima tamen, & maxime energica in Aviſamentis Moguntinis de anno MCCCCXL., poſtquam in iis §. I. generaliter diſpoſitum erat, quod cuicunque parti adhærendum eſſet, ante omnia provideri deberet, ne authoritas Conciliorum generalium infirmetur &c. &c., §. inſequenti II. ſic hiſce verbis: *Inprimis quia Baſileæ hucusque non eſt nominatus aliquis locus pro futuro Concilio celebrando juxta formam Conſtitutionis: FREQUENS, ita quod jam pendeat terminus alicujus Concilii: expedit,*

Digitized by Google

quod ille, cui facienda eſt hæc adhæſio, omnes & ſingulas conſtitutiones olim in Conſtantienſi Concilio, ſuper authoritate, honore & reverentia ſacrorum generalium Conciliorum promulgatas approbet, recipiat, & provideat : & mox in eiſdem literis Bullatis conficiendis ſuper præmiſſis promittat, ſeu polliceatur, ſe œcumenicum vel ſaltem generale Concilium indicere velle, quantocius id fieri potuerit, in loco rebus gerendis accommodo, ubi perſonaliter, ſi poterit, alioquin ſi nequeat, per Legatos Apoſtolicos plena poteſtate fulcitos Concilium ipſum proſequatur cum effectu. Promittat inſuper, operam ſe daturum, quod in hujuſmodi celebrando Concilio per Nationes procedatur, ſicut in prioribus Conciliis reperitur obſervatum. Nam per hoc veritas prodibit in lucem : & illi, qui ex alia parte, ſeu ſub alia obedientia remanebunt, poterunt aptiſſime nobis conſolidari : Papa etiam, cui adhærebitur, ex hoc authoritatem ſuam, & Apoſtolicæ ſedis augebit & confirmabit, quando videbitur ab omnibus ſinceritas ſua in factis Eccleſiæ DEI. Prolixius hæc equidem integra, non minus tamen ſtudioſe ex dictis Aviſamentis a nobis huc afferri debuerunt, tum ut exinde ſaluberrima & efficaciſſima Nationis, pro reſtituenda retinendaque imposterum concordia, ſenſa & conſilia clariſſime ſub oculos cadant, tum ut ſimul cognoſcatur, quanto affectu & reverentia Sedem Apoſtolicam ejusque legitimum poſſeſſorem Romanum Pontificem eadem Natio, vel in ipſa neutralitate tum temporis adhucdum perſiſtens, nunquam non fuerit proſecuta.

XV. Duplici autem huic, de quo hactenus dictum erat, poſtulato in *Conventu Francofurtano* de anno MCCCCXLVI. innovato, & inter articulos Legatorum Imperatoris, & Imperii Eugenio IV. oblato. reſpondit idem Summus Pontifex per ſpeciale Reſcriptum in forma Brevis ad Imperatorem, & Epiſcopum Moguntinum, & Marchionem Brandenburgenſem, ceu qui nomine totius Imperii ſuos Legatos ad Pontificem deputabant, directum, cujus itidem tenorem integrum ex Lunigii *Spicil. Eccleſ. Part. I. pag.* 314. huc tranſcribere vel ideo viſum eſt, quod nullam omnino ejuſdem mentionem & applicationem a Canoniſtis Germanis

hacte-

hactenus factam eſſe, non ſine admiratione deprehenderimus. Sic autem orditur: *Ad ea ex debito Paſtoralis officii libenter impendimus curas noſtras, per quæ reformatio univerſalis Eccleſiæ, pax & concordia inter Chriſti fideles oriantur, ſchiſmata atque hæreſes de agro Domini funditus extirpentur. Cum itaque vos hactenus multiplicatis vicibus apud Nos per veſtros Oratores inſtiteritis, ut novum quoddam generale Concilium in Alemanniæ partibus in uno de quinque locis, videlicet Conſtantia, Argentina, Moguntia, Wormatia, Treviris propter Eccleſiæ neceſſitates convocaremus, Nos veſtræ petitioni propter multiplices rationabiles cauſas, & quia Regum, & Principum aliorum diverſa ſententia fuit, rationabiliter annuere non potuimus. Nunc vero quia perſuaſum nobis eſt, hac via maxime provideri poſſe Eccleſiæ caſibus emergentibus, & Reges & Principes præfatos facile ad hoc conſenſum præbituros, ſi per vos fuerint opportuna cum inſtantia requiſiti; Nos, etſi abſque convocatione novi Concilii alia via rebus Eccleſiæ melius conſuli poſſe arbitremur, cupientes tamen Vobis & Nationi Veſtræ, quam ſingulari ſemper affectione Apoſtolica Sedes proſecuta eſt, quantum cum Deo poſſumus, complacere, conteſtamur, apud Reges & Principes Chriſtianos curam & diligentiam adhibere fideliter, ut ad votum veſtrum trahi valeant & conduci, ita quod in uno ex quinque locis conſentiant generale Concilium convocari, quod infra decem menſes a die datæ præſentium computandos intendimus experiri, & ſi conſenſus ejusmodi haberi poterit, in fine dictorum decem menſium generale Concilium ad decimum octavum immediate ſequentem initiandum in uno ex prænominatis locis in Nomine Domini convocabimus; in eventum vero, quod ad aliquem ex dictis locis Nationis Germanicæ cæteri Reges & Principes deflecti non poſſent, convocabimus nihilominus infra præfatos decem menſes generale Concilium in alio loco rebus gerendis accommodato, infra decem & octo menſes, ut præfertur, conſequentes initiandum; tam ut vobis rem gratam faciamus, quam ut Eccleſiæ neceſſitatibus ſuccurratur.* Concilium autem generale Conſtantienſe, Decretum: FREQUENS., ac alia ejus decreta, ſicut cætera alia Concilia Catholicam militantem Ec-

cle-

Digitized by Google

cleſiam repræſentantia, ipſorum poteſtatem, authoritatem, honorem & reverentiam, ſicut & cæteri Anteceſſores noſtri, a quorum veſtigiis deviare nequaquam intendimus, ſuſcipimus, amplectimur, & veneramur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum A. Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVI. IX. Febr. Pontificatus noſtri A. XVI. Poſt editum hoc Breve Apoſtolicum proteſtabatur equidem EUGENIUS IV. ſpeciali Salvatorio, quod refertur in der Sammlung deren Reichs Abſchieden Part. I. pag. 178. „Se, quoniam propter imminentem ſibi ægritudinem non potuit „omnia per Nationem petita, & a ſe conceſſa cum ea integritate „judicii & conſilii examinare & ponderare, quam rerum magnitudo „& gravitas requirit, per quæcunque dictis Imperatori, Archiepiſcopo, Marchioni, Prælatis, Principibus ac Nationi reſponſa & reſpondenda, conceſſa & concedenda non intendere in aliquo derogare doctrinæ Sanctorum Patrum, aut Sedis Apoſtolicæ privilegiis & authoritati; „ cum tamen non obſtante hoc Salvatorio hic in Concordatis quoad ea, quæ per eundem EUGENIUM IV. Summum Pontificem pro Natione Germanica permiſſa, conceſſa, indulta & decreta fuerunt, nihil dicatur eſſe immutatum; de cætero etiam nec per NICOLAUM V. EUGENII Succeſſorem, nec per poſterius aliquod Concilium eorum quidquam deprehendatur eſſe retractatum; exinde vel a poſteriori ſufficienter colligi poteſt, nihil in conceſſis hiſce, quod regulis & Doctrinæ Sanctorum Patrum aut eſſentiali & inabdicabili Sedis Apoſtolicæ Authoritati & privilegiis, derogaret, offendi, eorum proinde valorem & conſtantem obligationem pactitiam in vim hujus Concordatorum loci a Natione poſſe jure optimo urgeri atque manuteneri.

XVI. Quanti vero Nationis Germanicæ interſit, binos hoſce articulos ab EUGENIO conceſſos, & in Concordatis firmatos in viridi ſemper obſervantia vigere, nemo eſt, qui non clariſſime id intueatur. Enimvero vi primi ex pacto ſe obligavit Nationi Summus Pontifex ad inſtantiam ejusdem ſingulis decenniis Concili-

cili-

Digitized by Google

cilium generale convocare, id quod expreſſis verbis idem ſtipulatus eſt per Decretum Concilii Conſtantienſis Seſſ. XXXIX. quod incipit: *Frequens generalium Conciliorum celebratio;* & videre eſt apud HARDUINUM Tom. VIII. pag. 855. quodque ſpecificam approbationem tulit in ſupra laudato Brevi Apoſtolico EUGENII. IV. illis verbis: *Concilium autem generale Conſtantienſe, Decretum:* **Frequens** &c. *ac alia ejus Decreta &c. &c. ſuſcipimus, amplectimur & veneramur.* In vim *alterius* pari modo ſe adſtrinxit Summus Pontifex, ne tam facile ſolo Decreto ab eodem emanato authoritas Canonum Conciliarium tollatur, aut infirmetur, id quod tamen Curialiſtæ ex ſuis principiis prætendunt; imo hodie poſt Tridentinum ulterius progreſſi dicunt, ejusdem Sacroſancti Concilii Decretis reformatoriis vel ſolo Reſcripto Pontificio libere etiam tacite derogari poſſe; cujus fundamentum palmarium repetunt ex illa clauſula: *ſalva ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ authoritate;* quæ in fine *Præfationis Seſſ. VII. de Reformat.* adnexa, eique ſimilis *Capite* XXI. *Seſſ.* XXV. inſerta legitur. Has præconceptas Curiæ opiniones jam plures Doctores Ultramontani, præſertim Galli, ex genuino hujus clauſulæ ſenſu nequaquam erui poſſe, gravibus demonſtrarunt argumentis, *tum* ex ipſa hujus clauſulæ *litera*, *tum* ex *aliis* præfati Concilii *Decretis*, *tum ex circumſtantiis celebrationis & durationis* ejuſdem potiſſimum depromptis. Ex ipſis quidem clauſulæ *verbis* id recte contenderunt, nequaquam per ea Sedis Apoſtolicæ *voluntatem*, ſed *authoritatem* ſervatam eſſe; perperam proinde verba detorqueri, ſi Summum Pontificem, pro ſuo arbitrio, quolibet etiam contrario Reſcripto Canonibus ejusdem Concilii poſſe vel cenſeri tacite derogare, exinde prætendatur. Præterea, ſi hæc clauſula *cum aliis* ejusdem Concilii *Decretis & Clauſulis*, præſertim vero cum illa, quæ in eadem Seſſ. VII. *Cap.* VI. *de Reformatione* habetur, quæque ad propoſitam multum accedit, nec ab ea niſi verbis diſcrepat, conferatur, verus & genuinus ejusdem ſenſus haud alius deprehendetur, quam, ſi Pontifex validis ex rationibus expedire ducat, ut ab obſervatione Decretorum Concilii ceſſet in quibusdam

Digitized by Google

circumſtantiis, Concilium tunc libenter acquieſcere, ut Pontifex illa non obſervet in quibusdam circumſtantiis, quia Pontifex magis, quam alius Epiſcopus habet jus diſpenſandi a Decretis Conciliorum generalium, eaque temperandi, cum ſit Caput Univerſalis Eccleſiæ, quam illa repræſentant. Quoad *circumſtantias celebrationis* Concilii obſervari inprimis meretur, quod convocatum illud fuerit ad reducendos diſſentientes a noſtra ſancta Religione, maxime Proteſtantes, qui idcirco multoties invitati, imo enixe rogati fuere ad conveniendum. Patres autem ignorare non poterant, quod attribuendo Pontifici imperium abſolutum, meroque ejus arbitrio ſubſtans, removerentur potius a reditu ad Eccleſiam, quia conſtans eorundem querela erat, quod Pontifices Eccleſiam deſpotice, & a Canone pactove quocunque prorſus libere regerent, imo declaraverant, hanc fere unicam ſuæ ſeparationis cauſam fuiſſe. Proinde vel Concilium non egiſſet ſat conſequenter ad propoſitum ſuum, vel apparet ſatis veroſimile, quod mero Pontificis arbitrio ultra morem reliquorum Conciliorum Decreta ſua ſubjicere non voluerit. Illud etiam animadverti omnino debet, quot & quantis ſumptibus, laboribus, vigiliis & difficultatibus convocatio & celebratio hujus Concilii conſtiterit. Quænam autem hic veri ſpecies ſubeſſe poteſt, quod Concilium tot annorum & laborum opus durabili ſuo vigore carere voluerit; id quod revera feciſſet, ſi de ſubjiciendis arbitrio Summi Pontificis Decretis ſuis cogitaſſet. Demum hæc ipſa Tridentini Clauſula licet non expreſſe, tamen tacite, ſemper omnibus anteriorum Conciliorum Canonibus appoſita cenſeri debet; quare autem in Tridentino aliquoties exprimenda videretur, non fiebat, ut per eandem novæ quidquam poteſtatis Summo Pontifici attribueretur, ſed ut antiqua illa, & ex Jure Divino vi Primatus eidem competens poteſtas, & authoritas contra impugnationes Proteſtantium ſtabiliretur firmius, & apertius conſolidaretur. Sicuti vero reſpectu aliorum Conciliorum dicta clauſula tacite iisdem ſubintellecta id non operatur, ut in ejus vim Pontifex libere, & per ſolum Reſcriptum contrarium Canonibus hiſce tacite derogare cen-

ſeri poſſit ; ita neque intuitu Canonum Tridentinorum eidem Clauſulæ expreſſis verbis appoſitæ id adſcribi poteſt, cum taciti & expreſſi eadem vis eſſe clare dignoſcatur. Sed utut fortia & convincentia allata hactenus argumenta appareant, fortius tamen & ſpeciale pro noſtra Germania argumentum ex eo, quem hactenus præ manibus habuimus, textu Concordatorum depromi poſſe credimus, ceu ex quo omnino confectum eſt, Summum Pontificem in vim pacti ſe eo obligaſſe, ut impoſterum Conciliorum authoritas, poteſtas, honor, & eminentia firma ſtet, nec iisdem tam facile & pro libitu poſſit vel cenſeatur etiam tacite derogari. Caute igitur atque ex ſcientia pragmatica ſobrie de poteſtate Papali hac in parte loquendum eſt, & ſtatuendum, ne linguas acuamus adverſariorum noſtrorum ad conclamandum & comprobandum id, quod Sanctæ Sedi affingunt, in tempore ſcilicet neceſſitatis, & exigente convenientiæ lege, poſſe Eandem & ſolere pacta publica & ſolennia inire, ſed ita, ut hac lege deinceps ceſſante ceſſet obligatio, vel ſaltem iis derogare præfatæ Sanctæ Sedi ex plenitudine poteſtatis liberum & integrum remaneat.

XVII. * Reliquum jam eſſe videri poſſet, ut & illius clauſulæ, quæ ſub finem Concordatorum his verbis effertur : *Per hoc autem, quod in Concordatis hujusmodi, ſive quibusvis aliis eorum occaſione conficiendis literis propter compendioſiorem deſcriptionem Alamannia ſpecialiter appellatur, Natio ipſa cenſeri non debet a Germanica Natione diſtincta, ſeu quomodolibet ſeparata :* brevem & ſuccinctam quandam explicationem hic ſubjungeremus ; quoniam tamen jam in noſtra Differt. Gener. Cap. II. Sect. I. integra ſub Rubrica: *Deducitur, quinam Concordatis obligentur*, omnem, quæ huc incidit, materiam nos exhauſiſſe credimus ; ulterioribus ea repetere, modo ſuperſedemus, Capitique huic generali finem imponimus, ut eo citius ad ſpecialia ſequentibus Capitibus explananda pertingere queamus.

CAPUT II.

Agit de Reſervationibus Beneficiorum poſt Concordata reſiduis, & per ea firmatis.

SUMMARIA.

I. *Nomen & origo Beneficii Eccleſiaſtici evolvitur.*

II. *Ejuſdem notio, & notabilis huc pertinens diviſio exponitur.*

III. *Notio, & Diviſiones Reſervationis ponuntur.*

IV. *Regulæ quædam generales circa Reſervationes obſervandæ traduntur.*

V. * *Origo, progreſſus, & fata reſervationum uſque ad Concordata noſtra ſtrictim recenſentur.*

VI. *Agitur inprimis de reſervatione Juris ſcripti; & ſpeciatim de ejusdem antiquitate, & originaria ſede.*

VII. *Quis ejusdem verus Author ſit, declaratur.*

VIII. * *Verba, quibus tum in jure communi, tum in noſtris Concordatis reſervatio Juris ſcripti effertur, explicantur.*

IX. *Ultra hæc ad Juris ſcripti reſervationem trahi non poſſe ea, quæ de Extravag.* Execrabilis, *&* ad Regimen *Concordatis noſtris inſerta, tum ex ipſo eorundem Concordatorum litera, tum ex aliis momentis conficitur.*

X. *Speciales Reſervationis Juris ſcripti prærogativæ in Concordatis etiam uſu obtinentes adducuntur, & primo quidem, quod ſit* perpetua.

XI. *Secundo quod ſit reliquis reſervationibus* in multis favorabilior, *& in quibus favor ille conſiſtat.*

XII. *Collatio Beneficii vi dictæ reſervationis intra menſem a die factæ vacationis a Summo Pontifice maturari debet, & quid de maturanda formi, & legali Proviſi inſinuatione ſit dicendum.*

XIII. *Menſe hoc elapſo Proviſio pertinet ad Ordinarium jure poſtliminii,*

Digitized by Google

nii, vel jure conſolidationis actus & exercitii cum jure habituali; non vero jure devolutionis.

XIV. * *Fit progreſſus ad alteram in Concordatis reſiduam reſervationem contentam in Extrav.* Execrabilis, *& quæ hujus Extravagantis occaſio fuerit, ex monumentis Canonum hiſtoricis recenſetur.*

XV. *Contenta hujus Extravagantis ex ſede ſua originaria ſpecifice exponuntur;*

XVI. *Et quadam explicatione illuſtrantur.*

XVII. *Nonniſi unicum, idque ſecundum beneficium vi hujus Extravagantis ſecundum ſe conſideratæ reſervatum eſſe oſtenditur.*

XVIII. * *Afferuntur Verba, quibus eadem Extravagans in Concordatis refertur, & innovatur.*

XIX. * *Quænam ſint illa beneficia incompatibilia, de quibus in textu Concordatorum mentio fit.*

XX. * *Reliqua Concordatorum verba huc pertinentia exactius explicantur,*

XXI. * *Indeque conficitur, vi literæ Concordatorum primum, non ſecundum Beneficium reſervatum eſſe;*

XXII. *Quanquam praxis hactenus in Germania uſitata aliud tulerit.*

XXIII. * *Adducitur tertia, eaque ampliſſima reſervationis ſpecies in Concordatis retenta, earum ſcilicet, quæ in Extravagante* ad Regimen *continentur.*

XXIV. *Duplex earundem claſſis veluti generalis adſtruitur, in diverſas iterum ſpecies diviſa.*

XXV. * *In prima Claſſe generaliter dignitates, & beneficia* quocunque *modo in Curia vacantia reponuntur, quo ſpecifice pertinent* (*a*) dignitates & beneficia per depoſitionem, vel privationem per Summum Pontificem, *vel* authoritate ejusdem factam vacantia.

XXVI. * *Vacantia*, (*b*) *per* translationem *a Summo Pontifice ſeu authoritate ejusdem factam.*

XXVII. * *Vacantia*, (*c*) per caſſationem electionis, aut repulſam poſtulationis *in Curia factam.*

Digitized by Google

XXVIII. * *Vacantia*, (*d*) *per* reſignationem, vel renunciationem *coram ſummo Pontifice factam.*

XXIX. * *Vacantia* (*e*) *per* promotionem *in Curia factam.*

XXX. *Hac tamen reſervatione non obſtante, ſolent ſæpius Epiſcopi Germaniæ ante ſimilem promotionem in menſe Turnarii ſua beneficia reſignare;*

XXXI. *Vel etiam ex Indulto Apoſtolico retinere; quod Indultum retentionis veram, & novam collationem importat, ut adeo poſt obitum talium Prælatorum nova horum beneficiorum retentorum collatio a Curia Romana prætendi haud poſſit.*

XXXII. * *Vacantia*, (*f*) per aſſecutionem pacificam *aliarum dignitatum & beneficiorum incompatibilium.*

XXXIII. *Proponitur altera reſervationum Claſſis in Extrav.* ad Regimen *comprehenſa, beneficia ſcilicet per obitum certorum Curialiſtarum vacantia.*

XXXIV. *Huc referuntur* (α) beneficia Cardinalium.

XXXV. *Explicatur Clauſula huc in Concordatis appoſita*: quamdiu officia actualiter tenebunt; *aliorumque verborum in textu occurrentium fit interpretatio.*

XXXVI. * *Speciali quoque nota & interpretatione hic digna ſunt* (β) *beneficia* ſeptem Notariorum.

XXXVII. * *Item* (γ) *beneficia* verorum Commenſalium

XXXVIII. * *Reflectitur ad Clauſulam ſub finem hujus paſſus Concordatorum appoſitam:* ubicunque dictos Legatos &c. rebus eximi contigerit ab humanis.

XXXIX. *Fit Concluſio hujus Capitis.*

I. Cum ex jam dictis in Præfatione ſatis luculentum ſit, Concordata noſtra palmario circa Beneficia Eccleſiaſtica Germaniæ, ceu objectum ſuum principale, verſari: haud inordinata hic erit differendi methodus, ſi eorundem veram & exactam notionem hic præfigamus, antequam de ipſa eorundem reſervatione, aliiſque per Concordata factis deſuper diſpoſitionibus prolixiorem diſcurſum tam in hoc, quam in ſequentibus Capi-

Digitized by Google

Capitibus inſtituamus. Debet autem nomen Beneficii ſuam originem Juri feudali; & Scriptoribus mediæ ætatis, teſte Du Fresne in ſuo Gloſſ. verb. *Beneficium* idem ac *feudum* ſignificabat, quo nihil aliud indicabatur, quam certus quidam fundus, ſive prædium, quod viro nobili, & militi ad remuneranda præſertim ipſius ſervitia militaria a Principe ad dies vitæ utendum fruendum concedebatur. In Eccleſia & nomen & res ipſa *Beneficii* diu erat incognita; quippe illa in tribus primis perſecutionum ſæculis bona aut prædia poſſidebat nulla, ſuorum vero Miniſtrorum neceſſariam ſuſtentationem e quotidianis fidelium oblationibus deſumebat. Et quamvis, pace dein reſtituta, Eccleſia bona & prædia poſſidere cœperit, ea tamen Clericis ſingulis utenda fruenda haud concedebantur, ſed redituum exinde provenientium quarta pars (præter hanc enim alia Epiſcopo, alia fabricæ, pauperibus alia reſervabatur) diſpenſantibus Epiſcopis, aut eorum Oeconomis inter Clericos ad eorundem neceſſariam & congruam ſuſtentationem, pro majori minorive cujusque merito & indigentia, diſtribuebatur. Atque inde ratio peti debet, quod illa Eccleſiæ ætate miniſterii collatio ab ordinatione fuerit indiſtincta, & quod nulli plane ejusdem extent Canones, qui contra ſimoniacas beneficiorum collationes, innumeri fere, qui contra ſimoniacas ordinationes detonuerant. Hac tamen reditus Eccleſiaſticos diſpenſandi ratione non obſtante, quin potius firmiter ſubſiſtente, jam ſub finem Sæculi V. & initium VIti ex Epiſtola Symmachi Pontificis, quæ refertur apud Gratianum C. XVI. q. I. c. LXI. & ex *Can. XXIII.* Concilii *Aurelianenſis I.* habentur veſtigia, aliquibus Clericis, præſertim Parochis ruri in Cura animarum ad inſtituendum populum degentibus, & aliis ſubin in compenſationem meritorum *terrulas* ac *prædia* nonnulla, ex quibus ſuam ſuſtentationem ad tempus vitæ perciperent, utenda conceſſa fuiſſe; quæ *terrularum prædiorumque* conceſſio ſpeciem quandam beneficii referebat; imo exinde *Beneficia Eccleſiaſtica* primum appellari cœpiſſe, Cardinalis Baronius ad annum DII. ſuper citata Symmachi Epiſtola hiſce reflectens ſcite monet.

net. Verum probe obſervandum, ex ipſa litera adductorum Canonum 1.) raras admodum fuiſſe primitus conceſſiones haſce, neque *lege* quadam *ordinaria*, ſed tantum ex ſingulari aliqua neceſſitate, vel ob ſingularia alicujus perſonæ merita factas eſſe, 2.) terras & prædia per conceſſiones haſce acquiſita a Clericis illis non in vim *tituli*, ſed jure quodam mere *perſonali* poſſeſſa eſſe, adeo, ut poſt ipſorum mortem ad Epiſcopi diſpoſitionem totaliter reverterentur, a quo demortui ſucceſſor ea rurſus petere, noviterque obtinere debebat. Sed cum deinde valde incommodum videretur, jus percipiendi ab Epiſcopo itentidem repetere, & ab ejus quaſi liberalitate recipere, cœpit illud impoſterum non perſonis, *ſed Eccleſiis* ſeu *titulis* annecti, ut proinde, quicunque in officio, & miniſterio alicui ſuccederet, hoc ipſo, & absque nova Epiſcopi conceſſione jus percipiendi fructus ex bonis titulo annexis haberet, & conſequeretur. Quæ quidem diſciplina non eodem tempore, nec ubique, aut aliquo decreto Conciliari introducta, ſed paulatim de una Eccleſia ad aliam tranſiit, tandemque occaſione diſceſſus a vita communi per Chrodogangum Epiſcopum Metenſem antehac inſtituta univerſaliter obtinuit, & recepta fuit. Hac enim diſſoluta cum ſucceſſive triplex illa *menſarum*, *fundorum*, *& ædium* diviſio adſtrueretur, invaleſcente potiſſimum ſecunda illa *bonorum ſive fundorum* diviſione moderna beneficia Eccleſiaſtica ad normam & formam antiquorum feudorum ſive beneficiorum Longobardicorum erigebantur. Sicut nimirum viris nobilibus & *militibus* præſertim ad remuneranda ipſorum *ſervitia militaria* certi fundi ſive prædia utenda fruenda a Principibus concedebantur, ita & Clericis tanquam *militibus Chriſti & Eccleſiæ* ejusmodi prædia ad uſumfructum indulgebantur, eum in finem, ut *militarent* Eccleſiæ, & *aſſidua* eidem *ſecundum ſuam vocationem* præſtarent *obſequia*. Rurſus quemadmodum illa nonniſi per *laicalem*, ita & hæc per *Canonicam* duntaxat *inveſtituram* poterant obtineri. Demum utrisque & Vaſallis militaribus & Canonicis nunquam prædiorum iſtorum Dominium, ſed uſusfructus,

isque

Digitized by Google

isque ad dies vitæ limitatus concedebatur. Et quamvis poſtea per Jus Germanicum maxime factum fuerit, ut feuda iſta ſæcularia non tantum in hæredes ſanguinis ſucceſſoria, ſed etiam per alios contractus in ſucceſſores exteros transferibilia evaderent; Eccleſiaſtica tamen Beneficia nunquam aliter, quam ad dies vitæ absque omni, eadem in alios transferendi jure conceſſa fuerunt, & adhucdum hodie concedi ſolent; ſiquidem Eccleſia conſtanter voluerit viam manere liberam, atque apertam de Miniſtris idoneis ſibi providendi; noluerit vero unquam *Sanctuarium Dei hereditate poſſideri*, ſuaque miniſteria & officia per pacta & transactiones privatorum conferri, aut alienari, eo vel maxime, quod miniſteria eſſent publica arbitrio privatorum & commercio neutiquam ſubnoxia, ſed per ſpecialem ſemper vocationem, & induſtrioſæ perſonæ electionem aut deſignationem conferenda.

II. Ex relata hactenus erectione & conditione Beneficiorum, utut variis temporibus varia, invariatus tamen Eccleſiæ ſpiritus elucet; & licet ſenſim circa proventuum Eccleſiaſticorum diſpenſationem diſciplina invaluerit diverſa a priſtina, Eccleſia tamen eodem ſemper ſpiritu procedens miniſteria Eccleſiaſtica nonniſi dignis & idoneis conferri, annexumque eisdem jus percipiendi proventus ex bonis Eccleſiæ non alium in finem aſſignari voluit, quam quo ab initio ſtipendia & alimenta ſingulis Clericis ab Epiſcopo diſtributa fuere, ut nimirum, *qui Altari ſervit, de Altari vivat*, utque poſſent Clerici vacare legi Domini, quemadmodum piiſſimus Rex EZECHIAS præcipiens populo habitantium Jeruſalem, ut darent partes Sacerdotibus & Levitis. II. *Paral. Cap.* XXXI. *v.* 4. Atque exinde enatum eſt axioma illud Canoniſtis familiare: *Beneficium datur propter officium*: ac deinceps duo ſemper in Beneficio copulative ſpectata fuerunt, *officium* ſcilicet ſive miniſterium Eccleſiaſticum tanquam *principale*; *et Jus percipiendi reditus* Eccleſiaſticos *tanquam minus principale & acceſſorium*; ex quibus unice vera & genuina notio Beneficii Eccleſiaſtici hauriri debet. In ea tamen ponenda nonnihil differunt Canoniſtæ

Digitized by Google

& Theologi: *Illi* quidem a temporali, ſive jure percipiendi fructus ratione officii, *hi* vero a ſpirituali, ſive Officio Eccleſiaſtico ſuam definitionem ordiuntur: ſed cum utrique in eo conſentiant, principale, dignius, primarium, & ut loquitur Andreas Vallensis ad Tit. *de Præbend.* §. *I.* *n.* 4. *fundamentum* & *cauſam* Beneficii Eccleſiaſtici eſſe Officium, ſive Miniſterium, Jus vero percipiendi reditus tanquam acceſſorium ſpectari debere; nihil eſt, quod in effectu differant, amborumque proinde definitio in idem recidere videtur: ſic autem Canoniſtis definitur. Eſt *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ ratione Officii ſpiritualis autboritate publica & Eccleſiaſtica inſtitutum, & Perſonæ Eccleſiaſticæ a Perſona Eccleſiaſtica collatum mediante inſtitutione Canonica.* Sunt porro inter Beneficia alia *majora*, quæ & in noſtris Concordatis, & alibi paſſim *dignitates*, *perſonatus*, *officia* audiunt, alia *minora: Illa* ab *his* in eo differunt, quod ſpecialem quandam juriſdictionem, imperium quoddam ſacrum, ſacram adminiſtrationem, non raro temporalem etiam ſibi acceſſoriam, ſive præeminentiam quandam, & prærogativam honorificam ſibi adnexam habeant, quæ tamen omnia Beneficiis ſic dictis *minoribus* haud ita *conveniunt*.

III. Porro *collatio* illa & *Inſtitutio Canonica*, de qua antea dictum fuit, in prima Beneficiorum erectione fiebat ab Epiſcopo, ſicuti antehac per eundem *ordinatio*, *aſſignatio*, & *diſpenſatio fructuum* fieri debebat. De *immediata collatione* a Summo Pontifice facienda ne cogitabatur quidem extra fines Eccleſiæ Romanæ, & Diœceſin Pontificis propriam, vel in Diœceſibus aliorum Epiſcoporum extra caſum ſupplendæ negligentiæ; imo nec hoc poſtremum lege ordinaria fiebat: obſervante enim Hieronymo a Costa in Tr. *de origine & propag. provent. Eccleſ.* pag. 105. „ante „jus novum decretalium *non facile* reperire eſt, *ob negligentiam „Ordinariorum recurſum* patuiſſe *ad Sedem Apoſtolicam* pro colla„tione beneficii; ſed ſi qua difficultas oriebatur, *in Synodo pro„vinciali* terminabatur.„ Igitur ſucceſſu temporis modo, ac per

len-

lentos veluti gradus factum fuit, ut Pontifices aliquorum primitus, deinde plurium, plurimorum denique, & fere omnium beneficiorum collationem ab Ordinariis ad ſe avocarent, ſimulque iiſdem Ordinariis inhiberent ſub pœna nullitatis, ne contingente vacatura vacans beneficium ipſimet conferre præſumerent. Atque inde demum Reſervationes introductas eſſe novimus; hæ enim nihil aliud ſunt, quam *avocatio proviſionis ab Ordinariis ad diſpoſitionem Summi Pontificis, cum inhibitione vel expreſſa, vel tacita, ad collationem adveniente vacatura procedendi, addita hinc inde etiam pœna nullitatis.* Vid. Rebuff. *Prax. benef. part. I. tit. de Reſerv.* Sunt autem Reſervationes aliæ *ſpeciales*, queis certum aliquod & determinatum Beneficium; *generales* aliæ, quibus generaliter omnia alicujus Eccleſiæ, Diœceſeos aut Regni integri beneficia a diſpoſitione Ordinariorum ad illam Summi Pontificis avocantur. Citius priores, poſteriores ſerius introduci cœpere, ut jam alibi ſatis notatum eſt. Alia rurſus eſt reſervatio *clauſa in corpore Juris*, alia *non clauſa*, vel prout in terminis Concordatorum effertur, alia *Juris ſcripti*, alia *non ſcripti*, de quibus tamen plura differendi in decurſu hujus Capitis locus & commodior, & magis proprius erit.

IV. Interea hic generaliter circa Reſervationes quaſcunque obſervamus, eas 1. in regula *odioſas*, adeoque *reſtringendas*, neque 2. *iisdem omnia, & quæcunque Beneficia ſubnoxia* eſſe. *Prius* quod attinet, compertum eſt, omne illud, quod eſt in præjudicium tertii, detrahit poteſtati ordinariæ, & corrigit jus commune, recte odioſum dici; quantum vero reſervationes Epiſcopis ſint præjudiciales, eorumque detrahant ordinariæ poteſtati, quantum proinde a jure communi, quod Ordinariis facultatem conferendi Beneficia tribuit, recedant, ex jam ſæpius dictis ſatis liquet. Inde ergo merito easdem *reſtringendas* eſſe arbitramur, quod hac illarum reſtrictione collatio beneficiorum ſecundum primigeniam ſuam naturam ad ordinarios Collatores facilius revertatur. Poſterius inde conficitur, quod inprimis beneficia in

Digitized by Google

Commendam mere temporalem conferri ſolita, atque alia *manualia* ex eo ſic dicta, quod eorundem poſſeſſores ad arbitrium ſuperioris amoveri ab iiſdem poſſint, ſub eas non cadant. Hæcce enim Beneficia, cum non ſint *perpetua*, proprie & ſtricte dicta Beneficia non ſunt, adeoque reſervationibus, quæ ex ſupra dictis odioſæ & reſtringendæ ſunt, neutiquam ſubjacent. Ex hoc ipſo porro, quod non ſint perpetua, ſed ad nutum Superioris vel Collatoris revocabilia, non ſunt tantæ æſtimabilitatis, ut inter reſervata computentur; fierique demum facillime poſſet, ut reſervatio Pontificis eluderetur, ſiquod tale beneficium temporale auctoritate Ordinarii removeretur. Sub iiſdem *deinde* reſervationibus non comprehenduntur *Beneficia Juris Patronatus Laicalis*, vel *mixti*, ſi id *laicis ex fundatione, vel dotatione Eccleſiæ* competat. Juri enim ejuſmodi Laicorum titulo maxime oneroſo quæſito Summus Pontifex non intendit derogare, prout apertiſſime conſtat ex Epiſt. XIII. Gregorii IX. *ad Nobiles Angliæ* data, in qua, dum antehac Barones dicti Regni conquererentur, Mandatarios Pontificios etiam Beneficia *Juris Patronatus Laicalis* ſibi deberi vigore Mandatorum hactenus contendiſſe, declaravit, quod „intentionis ſuæ non fuerit, nec exiſtat, ut Beneficia in Regno „Angliæ conſtituta, *quæ ad præſentationem pertinent ſæcularium Pa-„tronorum, auctoritate ſua cuiquam conferantur*, quod ipſum *Epiſt. ſubſeq.* XIV. Othoni Cardinali ſuo in Anglia Legato ſignificavit. Et quanquam hæc a Gregorio IX. reſpectu unius tantum Regni Anglicani dicta eſſe, ex tenore conſtet; teſte tamen Espenio *Jur. Eccleſ. Univerſ. Part. II. Tit. XXIII. Cap. I. n. XX.* hæc reſtrictio & interpretatio dein *generaliter* invaluit, & hodie retinetur. Sacris porro Canonibus res ſummæ ingratitudinis ſemper viſa fuit, auferre Laicis juris quidquam, quod ex ſua in Eccleſias liberalitate obtinuere; idque omne nullo non tempore ſollicite caveri voluerunt iidem ſacri Canones, quo a tali in easdem Eccleſias liberalitate & munificentia abſterreri ullo modo benefici fideles poſſent. Quid? quod ſi res penitius inſpiciatur, & ſecundum rigorem

Digitized by Google

gorem conſideretur, ab ejuſmodi reſervatione vix omnis injuſtitiæ labes ſufficienter amoveri poſſet, cum jus ejuſmodi Laicis intenderet præripere, quod tamen ipſis, ſicut jam antea animadvertebatur, non titulo quodam gratuito, ſed oneroſo, & ſuæ beneficentiæ remuneratorio conceſſum fuit. Atque poſterior hæc regula ita univerſalis eſt, ut, quamvis prior regula locum non habeat in reſervatione Juris ſcripti, ſeu clauſa in Corpore Juris, quemadmodum magis infra dicetur, ideoque hæc ſit aliis reſervationibus fortior, & amplioris prærogativæ; habeat tamen hoc cum aliis reſervationibus commune, quod ad Juris Patronatus Laicalis Beneficia non extendatur, veluti latius deducit CAROLUS FEVRET. *tract. de abuſu l. 2. c. 6. n. 13.*

V. * Ut propius jam ad intentum noſtrum accedamus, *ex Diſſertatione noſtra præliminari* de hac materia *Cap. II.* recolligenda ſunt paucis origo, progreſſus, & fata reſervationum uſque ad Concordata Germanica, quo facilius ex hiſce obſervatis rationem & occaſionem depromere valeamus, cur de eorundem imminutione, modificatione & attemperatione tam ſerio in iisdem Concordatis cogitaretur. Jam paulo ante, num. III. ſcilicet hujus Cap. obſervatum fuit, *ſucceſſive, leniter & pedetentim* Summos Pontifices collationibus beneficiorum ſe ingeſſiſſe, quin illa ſtatim *immediate* ipſi conferrent, ſibique privative reſervarent. Sæculum duodecimum medium erat, quo *preces* duntaxat interpoſuit ADRIANUS VI., *rogando* per literas recommendatitias *Epiſcopum Pariſienſem*, ut certo cuidam Clerico pauperi, de Eccleſia bene merito, & eminenter digno beneficium primo vacans conferre vellet. *Conf. cit. noſtra Diſſert. Prælimin. Cap. II. Sect. III.* §. *III.* Exemplo harum precum Pontificiarum *Imperatores* quoque eodem Sæculo *precibus* apud Collatores ordinarios uſos fuiſſe, quæ etſi ſenſim in *Jus* tranſirent, adhucdum tamen hodie nomen *primariarum precum* retinere, notat THOMASSINUS *de Vet. & Nov. diſc. Part. IV. L. 2. c. 21.* Sed *Pontifices* mox *ultra* progreſſi ſuis precibus *monita*, & *mandata* addiderant: ALEXANDRI enim III.,

qui immediatus Adriani ſucceſſor erat, jam *armatæ preces* fuerant; *monendo* enim & *mandando* rogavit, idque forſan ideo, quod preces ejus non ita paſſim & ſemper admitterentur. Vid. *cit. Diſſert. loc. cit.* §. IV. Aſt & monitionibus mandatisque haud amplius proficientibus, Succeſſores Pontifices *executoriales literas* adjunxerunt, imo & *Executores* conſtituerunt, qui cenſuris aliisque pœnis Eccleſiaſticis Ordinarios compellerent, ut Clericis ab ſe commendatis de beneficiis vacantibus providerent. Exemplum deſuper proſtat *in Cap.* XXX. *de Reſcript.* Mandata autem hæcce, & literas executoriales *prævenire* ſæpius ſtuduerunt Epiſcopi, non tantum infinitis ferme, cum duo Proviſi & Apoſtolicus & Ordinarii concurrerent, litibus, ſed & incomparabilibus Eccleſiarum damnis exinde propullulantibus, quod Ordinarii, ut prævenirent Pontificem, collationes Beneficiorum *ſine delectu perſonarum* præcipitarent, ſæpiusque minus idoneos deficiente *maturiore* deliberatione inſtituerent. Medelam huic malo afferre crediderant per *Exſpectativas* certis perſonis datas, quatenus certa beneficia vacatura hiſce & non aliis conferrentur. Verum hæ exſpectativæ ſemper plenæ viſæ fuere triſtis exitus, & dare anſam voto captandæ mortis; Inde alia *Exſpectativarum* ſcilicet *mentalium* ſpecies ſubinventa fuit, queis Pontifices certum ſibi beneficium reſervarent, quin tamen perſonam ſpecifice nominarent, ac deſignarent, cui Beneficium conferre vellent; ſed nec hæ credebantur ſufficere ad votum illud & periculum avertendum, ac propterea æque atro ſemper calculo notatæ fuerunt. Hiſce demum Exſpectativis ſucceſſerunt *reſervationes* primitus *ſpeciales* & particulares, a quibus pedetentim ad ampliores & *generales* progreſſus fiebat. Ampliſſimo demum, & exceſſivo earundem numero per regulas Cancellariæ Pontificiæ introducto. Deſuper autem cum in binis Conciliis *Conſtantienſi* & *Baſileenſi* querelæ graviſſimæ excitarentur; iisdem tandem per *Concordata Germaniæ* modus ita ponebatur, ut ex iis, quæ antehac viguerant, reſervationibus tres tantummodo, eæque ſub certis etiam modificationibus per & poſt

Con-

Digitized by Google

Concordata reſiduæ manerent, in iisque confirmarentur, videlicet: I. *Reſervatio Juris ſcripti*, II. *Reſervationes in Extrav.* **Execrabilis** & III. *Reſervationes in Extrav.* **ad Regimen** *inter comm.* contentæ; prout ex ipſo Concordatorum tenore apparet: *Sanctiſſimus Dominus noſter* NICOLAUS PAPA V. *ſuper proviſionibus Eccleſiarum, Beneficiorum quorumcunque utetur Reſervationibus Juris ſcripti, & conſtitutionibus Execrabilis & ad Regimen &c. Conſtitutionibus modificatis ut ſequitur.* Hoc ipſo igitur ordine, per ipſum Concordatorum textum nobis ad manum dato tres hæ reſervationum ſpecies diſcutiendæ, & imposterum examinandæ ſunt.

VI. Ac primo quidem de Juris ſcripti reſervatione, quia prima omnium & antiquiſſima eſt, agendum. In cujus tamen antiquitate inveſtiganda, ſi ad primos uſque fontes redire velimus, ultra aſcendere haud licet, quam ad *Capit.* II. *de Præb. in* VI. quod communiter tanquam primigenia reſervationis hujus antiquiſſimæ ſedes recte aſſignatur. Tametſi enim auctor hujus Capituli, pro majori novo huic ſuo ſtatuto authoritate conciliandа, provocaverit ad *antiquam conſuetudinem*, „quæ collationem „Beneficiorum apud Sedem Apoſtolicam vacantium ſpecialius „cæteris Romanis Pontificibus reſervavit„; hujus tamen antiquæ conſuetudinis adnotante THOMASSINO *de diſc. Vet. & N. Tom. II. L. I. c.* 8. *n.* 2. „*monumentum* exiſtit *nullum*, ac *ne veſtigium qui-* „*dem* in Gregorianis Decretalibus„; quæ THOMASSINI adnotatio ſuum omnino robur exinde capere debet, quod ipſum quoque principium, cui hæc & omnes aliæ ſubſequentes reſervationes tanquam ſuæ fundamentali baſi innituntur, iisdem GREGORII IX. Decretalibus adhucdum fuerit incognitum. Primus enim inter Romanos Pontifices legitur Author dicti Capituli, qui in ſua hac Decretali ſtabilire conatus fuit, quod „Eccleſiarum, perſona- „tuum, Dignitatum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum „plenaria diſpoſitio ad Romanum Pontificem noſcatur pertinere,

ex

ex quo principio, ceu nativo ſuo fonte, reſervationes omnes profluxiſſe, jam ſupra in Præfatione diximus. Quotquot porro poſt evulgatum Sextum Decretalium Decretaliſtæ hactenus fuere, queis hujus ſtabilimentum principii curæ cordique fuit, hac citata antiquiorem quandam Decretalem necdum detexere, qua firmare iſtud, & provectiorem eidem vendicare antiquitatem poſſent; prorſus ut fruſtra & immerito præfatam THOMASSINI obſervationem infirmare contendat RIGANTIUS *Tom. I. Comment. in Reg. I. Cancell.* §. I. n. 10. & 11. per allegationem *Cap.* XXVI. *de Præb. & Cap.* XXIII. *de Accuſ.*, ex quibus apertum fieri credit, jam tempore INNOCENTII III. beneficiorum apud Sedem Apoſtolicam vacantium reſervationem viguiſſe. Loquuntur equidem citata duo Capitula de bina Collatione beneficiorum apud Sedem vacantium per INNOCENTIUM III. facta, neutiquam vero aſſerunt, probantve, feciſſe id INNOCENTIUM *vigore reſervationis*, quam *antiqua quædam conſuetudo* jamjam ſtabiliiſſet. Neque etiam duo hæc INNOCENTII facta eandem antiquam conſuetudinem introducere poterant, cum longe ſint alia, quæ ad eam introducendam per notorios textus requiruntur. Vero igitur quam proxime accedit, ſi non ſit ipſa inconteſtabilis veritas, bina illa beneficia ab INNOCENTIO III. non *jure reſervationis*, cujus vel ipſum etiam nomen in GREGORII Decretalibus ignoratur, ſed *jure potius præventionis* collata fuiſſe; quo diu ante inductas reſervationes Pontifices & Ordinarios adverſus ſe invicem uſos fuiſſe, antecedente Num. dictum fuit. Porro ſi fides habeatur MOLINÆO *ad Reg. Cancellariæ de infirm. reſignant. num.* 172. hoc jus præventionis Pontifices primitus in beneficiis tantum *apud Sedem vacantibus* exercuerunt, id quod plauſibiliter ab Ordinariis toleratum fuiſſe dicit ad vitandam diuturnam vacationem Eccleſiis damnoſam. Poſtquam autem ad vacantia etiam in partibus illud extenderunt, vacantia apud Sedem, ſive in Curia jure reſervationis conferre cœperunt. Quæ omnia ulteriorem etiam illuſtrationem accipiunt ex GLOSSA ad Cap. *Statutum de Præb. in* VI. ubi ratio factæ *in*

Cap.

Digitized by Google

Cap. 2. reſervationis hæc inſinuatur, ne Papa per ordinarios *præveniretur*: „Habebant, inquit *Gloſſogr.*, Epiſcopi ante conſtitu„tionem CLEMENTIS Procuratores in Curia, qui ſtatim, ac vacabant „beneficia, conferebant illa, & ſic *præveniebant* Papam, unde „motus CLEMENS promulgavit Conſtitutionem.„ Nondum ergo dictis ſuis Capitulis evicit RIGANTIUS, anteriorem ſupra citato *Capitulo II.* beneficia apud Sedem Apoſtolicam vacantia Pontifici *reſervantem* conſuetudinem ex Decretalibus Gregorianis fundamentum habuiſſe; id quod nec aliunde etiam evinci ſatis poteſt; quin potius ſummopere exinde ſuſpecta redditur, & ſubleſtæ plane fidei iſta conſuetudo, quod nullus ſubſequentium Pontificum, qui Capituli hujus conſtitutionem ex poſt innovarunt, declararuntque, velut GREGORIUS X. *Cap. ſubſequenti* III., & BONIFACIUS VIII. *Cap.* XXXIV. ad antiquius quoddam Conſtitutione *Capituli II.* factum provocaverit, deque ea, quam citata Conſtitutio allegat, conſuetudine altiſſime omnes ſiluerint.

VII. Hiſce tamen omnibus non obſtantibus ſunt nonnulli, qui, ut prætenſam dictæ Conſtitutionis antiquitatem firmius ſtabiliant, diu eam ante GREGORIUM IX. conditam eſſe, ſibi perſuadere velint, ejusdem auctorem CLEMENTEM III., qui plures annos GREGORIUM anteceſſerat, exinde jactantes, quod moderna inſcriptio *Cap. I. de Præb. in VI.*, quæ indubie ad hoc quoque *Capit. II.* referri debet, ſic habeat: CLEMENS III., *alias IV.* Verum præterquam, quod ea, quæ ſuperiori Num. X. jam dicta ſunt, hoc ſententiam ſatis convellant, teſtante Gloſſa moderno Corpori Juris Canonici appoſita *in vetuſtioribus Codicibus conſtanter legitur*: CLEMENS IV., ut proinde moderna inſcriptio BOETIO EPONI *Lib. II. de Jure ſacro num.* 184. haud infundate in dubium & ſuſpicionem vocetur, ſiquidem ſatis veroſimile non appareat, tam notabilem ſui Anteceſſoris Conſtitutionem, in qua non tantum reſervatio recens inducitur, ſed & favorabile illud principium, *Papam eſſe Dominum omnium Beneficiorum*, eorundemque plenariam diſpoſitionem ad ipſum pertinere, apertius, ac unquam alias in antecedenti quadam

Decretali aſſeritur; a Coelestino III. immediato Clementis III. Succeſſore, ut Molinæus equidem loc. ſupracitato contendit, *ignoratam*, a Gregorio IX. in ampliſſima ſua Decretalium collectione *omiſſam*, & a Bonifacio VIII. primum in Sexto Decretalium *relatam* eſſe, qui tamen in Bulla præfationis eidem Sexto præmiſſa verſ. *ſane cum* diſerte eloquitur, ſe in hac ſua collectione edere Conſtitutiones Pontificum Decretalibus Gregorii IX. poſteriores. Hiſce omnes, quorum hodie exactior criſis eſt, ita ſe convictos credunt, ut ne dubitent amplius, quominus ſæpe fatam Conſtitutionem negent Clementi III., aſſerant vero IV., ceu qui & Gregorium IX. ſerius inſequebatur, & in ea propius incidebat tempora, queis veras & proprie dictas reſervationes initium ſuum habuiſſe ſupra Num. V. retulimus. Quin & ipſi Curialiſtæ, utut majorem huic reſervationi antiquitatem conentur vindicare, ingenue fatentur, Decretalem *Cap. II.* non Clementi III., ſed IV. adſcribendam eſſe; inter quos ſæpius citatus Rigantius loco ſupracitato *Num.* 3. & 4. ita inquit: *Et hæc reſervatio ob vacationem apud Sedem eſt antiquiſſima, inducta ex antiqua conſuetudine, ut in Capit. II. de Præb. in* VI. *cujus auctor vel fuit* Clemens III. *Anno MCLXXXVIII., ut poſt alios exiſtimat* Bursat. *Conſ.* 126. *n.* 93. *vel, ut alii melius cenſent*, Clemens IV., *qui Sedem Apoſtolicam implere cœpit anno MCCLXVI.*

VIII. * Statuit in adducto hactenus *Capitulo II.* Author ejusdem Clemens IV. *Authoritate Apoſtolica, ut Beneficia, quæ apud Sedem deinceps vacare contigerit, aliquis præter Romanum Pontificem . . . conferre alicui ſeu aliquibus non præſumat.* Hanc porro hujus Conſtitutionis ſententiam expreſſis magis verbis retulit, ſimulque extendit Bonifacius VIII. *in Cap.* XXXIV. *de Præb. in VI.* ſæpe allatum Capitulum II. eo declarans, per Beneficia apud Sedem Apoſtolicam vacantia intelligenda eſſe ea ſola & omnia Beneficia, „quæ per mortem, ſive obitum naturalem Beneficiati non „tantum *in ipſa Curia Romana*, ſed et in *locis eidem Curiæ vicinis*,

ſive

Digitized by Google

„*ſive ultra duas diætas legales non diſtantibus*, niſi, dum defunctus „Curialis eſt, locus ejusmodi vicinus proprium ejusdem defuncti „domicilium extiterit, ſubſecutum vacare contigerit. Quæ Bonifacii VIII. interpretatio a ſubſequentibus Pontificibus retenta, & in uſum deducta, ſpeciatim vero a Benedicto XII. Extravaganti *ad Regimen de Præb. inter comm.*, præter plures alias reſervationes noviter ibidem inductas, quoad ipſa etiam verba inſerta, indeque ad noſtra Concordata translata fuit ſub ſequenti tenore: *Nec non quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam Curiam venientium, ſeu etiam recedentium ab eadem, ſi in locis a dicta Curia ultra duas diætas legales non diſtantibus jam forſan obierint, vel eos in antea ab hac luce tranſire contigerit; & etiam ſimili modo quorumcunque Curialium, peregrinationis, infirmitatis, ſeu recreationis, vel alia quacunque cauſa ad quævis loca ſecedentium, ſi eos antequam ad dictam Curiam redierint, in locis ultra duas diætas, ab eadem Curia, ut præmittitur, non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non exiſtat ibidem, jam forſan deceſſerint, vel impoſterum eos contigerit de medio ſubmoveri, etiam nunc per obitum hujusmodi vacantia, & impoſterum vacatura . . . ordinationi, diſpoſitioni, ac proviſioni noſtræ de ipſorum fratrum Conſilio authoritate Apoſtolica reſervamus.* Occurrunt in hisce Concordatorum verbis nonnulla, quorum exactior quædam notio his danda, & obiter tantum præmittenda vi-

detûr. *Diæta* iter unius diei ſignificat, computatis pro die viginti milliaribus Italicis arg. L. 1. ff. *Siquis cautionibus:* quæ viginti milliaria *Italica*, quatuor *Germanica* conficiunt. *Loca* igitur *ultra duas diætas legales a Curia non diſtantia* illa dicuntur, quæ ultra XL. Italica, octo vero Germanica milliaria a Curia non abſunt; & in uno talium locorum, ſiquem mori contingat, in loco Curiæ vicino obiiſſe, indeque ejus beneficia, quæ poſſedit, in Curia vacare dicuntur. *Curiæ* porro ſignificatione quid innuatur, varii varie ſentiunt. Nonnulli enim cum PANORMITANO *ad Cap.* VI. de Jurej. n. 16. & FELINO ibid. n. 9. locum intelligunt, *in quo Papa præſens eſt:* alii vero *arg. Clement.* III. *de elect.* locum indigitari volunt, in quo ſive *præſente*, ſive *abſente* Pontifice, *ejus Cancellaria, cauſarum, & literarum Audientia eſt*; in citata enim Clementina §. *Sane*: nomine loci *Audientiæ* Curiam notari ſatis conſtat. Sunt demum, iique potiſſimum Curialiſtæ, quos inter præeminet RIGANTIUS *Comm. in Reg. Cancell. Tom. I. pag.* 378. *n.* 9. *& ſeqq.* qui ad utrumque locum, tam ubi adeſt Papa, quam ubi Audientia & Cancellaria Pontificis moratur, eandem extendunt, nixi Conſtitutionibus nonnullorum Pontificum, PII II. & III., CLEMENTIS VII., VIII., & noviſſime BENEDICTI XIII; in quibus cum Romani frequentiorem Pontificum ab Urbe diſceſſum ægre ferrent, timentes, ne abeunte Pontifice in perpetuum Curia privarentur, dicti Pontifices declararunt, Romæ toto abſentiæ Pontificiæ tempore nonnullos Officiales, & Curiales relinquendos eſſe, apud quos non minus, ac apud ipſum Pontificem Curia Romana foret. In tanto de Curiæ ſignificatione diſſidio licet ſaltem quoad effectus alios, de quibus nimirum in citatis Bullis Pontificiis ſermo, & ſcopus erat, v. g. ut Curiales utrobique ſervientes omnibus & paribus Curialium privilegiis gaudeant, una eademque Curia in utroque loco conſtitui, ſive, uti RIGANTIUS *cit. loco n.* 12. dicit, ad utrumque locum extendi videatur; atque ita in uno loco, quemadmodum citatæ Bullæ loquuntur, *in Capite*, in altero *in Corpore* Curia adeſſe intelligatur; quoad hunc tamen effectum, ubi ſcilicet

de

Digitized by Google

de *vacatione* & *Reſervationibus Beneficiorum* agitur, fundatius eſſe cum Navarro *de Dat. & Promiſſ. not.* 17. *num.* 29. & Wiestner *Inſtit. Canon. Lib. III. Tit. V. n.* 80. cenſemus, Curiæ nomine eum tantummodo locum venire, in quo cauſarum atque literarum Apoſtolicarum Audientia & Expeditio fieri ſolet. Accedit, quod, quamvis præfatæ Bullæ etiam de caſu *vacationis Beneficiorum* loquantur, uti potiſſimum de Bulla Clementis VIII, id facile affirmari poteſt; eæ tamen omnes ſint Concordatis noſtris recentiores, & poſteriores, ab una itidem duntaxat parte compaciſcente, Romano ſcilicet Pontifice emanatæ, locum proinde habeant regulæ illæ generales, de quibus tum in Diſſert. noſtra generali, tum etiam hic ſupra in præfatione ſatis dictum fuit.

IX. * Cæterum in verbis Concordatorum præcedente numero relatis totum & omne illud continetur, & abſolvitur, quod in iiſdem de reſervatione *Juris ſcripti ſeu clauſa in Corpore juris* quovis modo diſpoſitum fuit. Haud enim fundata ſatis illa nonnullorum ſententia nobis videtur, qui ultra hactenus dicta reſervationi Juris ſcripti eas quoque, quæ in binis Extrav. Joannis XXII. & Benedicti XII. *Execrabilis* & *ad Regimen* continentur, annumerare, hocque illas nomine inſignire volunt, eo quod dictæ Extravagantes Corpori Juris Canonici ſaltem moderno annecti, ejusque partem conſtituere ſoleant. Nam hæc ſi firma foret, atque ſubſiſtere poſſet ſententia, vix ullum amplius inter hanc Juris ſcripti et alias Juris non ſcripti reſervationes diſcrimen animadvertere liceret, quod tamen in ipſis jam ſupra relatis Concordatorum verbis: *Sanctiſſimus Dominus noſter* Nicolaus Papa V. *ſuper proviſionibus Eccleſiarum Beneficiorumque quorumcunque utetur reſervationibus Juris ſcripti, & Conſtitutionibus Execrabilis & ad Regimen modificatis*: ſatis aſſeritur. Quamvis proinde in iiſdem Concordatis noſtris paulo ſuperius Beneficia apud Sedem Apoſtolicam *quocunque modo* vacantia

tia Summo Pontifici reſerventur, non tamen hæc omnia, ſed ea præciſe, quæ *per obitum* apud dictam Sedem vacant, ad reſervationem Juris ſcripti referri queunt. Communis porro hodieque paſſim recepta Canoniſtarum doctrina huic nonnullorum ſententiæ omnino contradicit, atque teſte GOMESIO *ad Regul. de Triennali Quæſt.* 31. antiquus Gloſſator Regularum Cancellariæ aſſerit, „quod, licet per viginti tres annos legendo & practicando revolverit Jus „Canonicum, nihilominus non repererit niſi *unicam reſervationem* „*in Corpore Juris clauſam, quæ eſt illa, qua de in dicto Cap.* 2.„ Teſtatur inſuper ESPENIUS *Jur. Eccleſ. Part. II. Tit. XXIII. de Mand. & Reſerv. Apoſt. Cap. III. n. VI.* ex eo, quod BONIFACIUS VIII. in citato *Cap.* XXXIV. exponens Decretum CLEMENTIS IV. tantum loquatur de vacatione *per obitum*, receptum eſſe ſignanter in Gallia, quod *ſola vacatio contingens in Curia per obitum* cenſeatur *vacatio ad mentem* CLEMENTIS IV., & conſequenter ſola beneficia vacantia per obitum in Curia ſeu loco vicino Curiæ habeantur *pro reſervatis reſervatione clauſa in Corpore Juris*: provocatque ad PINSONIUM *de Beneficiis ad verbum* Canonica §. 9. *n.* 5. & PERARDUM GASTELLUM *in prax. Cur. Rom. pag.* 186. *edit.* 1693. Et vero ſi ipſam dictarum reſervationum in Extravagantibus *Execrabilis* & *ad Regimen* contentarum naturam acuratius examinemus, mox pateſcet, illas ex mente Authorum non *perpetuas*, ſed *temporales* tantummodo fuiſſe, *donec nimirum miſerationis divinæ clementia nos univerſalis Eccleſiæ Regimini præſidere contigerit*, uti loquitur BENEDICTUS XII. *in citata ſua Conſtit.* ad Regimen: cum econtra Reſervationes Juris ſcripti, hoc ipſo, quod clauſæ dicantur in Corpore Juris, & ex natura ſua non poſſint non eſſe *perpetuæ*, ut pluribus mox dicetur; ſponte ſua conſequi videtur, illas, de quibus in citatis Extravagantibus ſermo eſt, inter has computari non poſſe. Et licet Extravagantes iſtæ ſoleant hodie Corpori Juris Canonici adjungi, atque cum Decreto GRATIANI & Decretalibus unum hodie volumen ſeu Corpus conficere, tamen clauſæ in Cor-

pore

Digitized by Google

pore Juris non habentur, ſed *extra* Decretum & Decretales *vagari* ex ipſo ſuo, quod hodiedum retinuerunt, nomine dicuntur.

X. Atque ea quidem, quæ hactenus dicta fuerunt, ex clara Concordatorum litera ſuam determinationem, ac explicationem capiunt. Sunt autem & ulteriora quædam reſervationi Juris ſcripti omnino peculiaria, quæ, quamvis in expreſſis & ſpecificis Concordatorum terminis haud contineantur, ex Jure tamen communi huc accerſiri, probeque adnotari, & *in ipſo etiam Concordatorum uſu ſuum pariter vigorem retinere* omnino debent. Ubi enim in certa materia quoddam Jus particulare ſpeciale diſpoſuit nihil, Juris communis placita ſectanda, atque retinenda eſſe, trivio notum eſt. Atque ita ſingularis hæc præ aliis reſervationibus reſervationi Juris ſcripti, ſive clauſæ in corpore Juris prærogativa ex ſolo quidem Jure communi competit, atque eatenus per hanc Juris communis diſpoſitionem a communi reliquarum conditione ac regula recedit, quod ſit *perpetua*, nec cæterarum inſtar reſervationum cum morte Pontificis exſpiret, & extinguatur; ſalva nihilominus hæc præeminens qualitas & nota eidem reſervationi remanere debet in ipſis etiam Concordatis, ceu Jure Germanicæ Nationis ſpeciali, utut ejusdem ſpecifica ibi mentio nulla facta fuerit. In Diſſertatione noſtra generali *Cap. II. Sect. II.* latius equidem deductum fuit, in regula reſervationes per Extravagantem *ad Regimen* & *Regulas Cancellariæ* originarie inductas, ac in Concordatis retentas, non obſtante eorundem Concordatorum perpetuitate, Sede Pontificia vacante ceſſare, menſes omnes durante eadem vacatione eſſe menſes Ordinariorum, proindeque ab iisdem, haud exſpectato termini trimeſtris lapſu, quæcunque vacantia beneficia conferri poſſe: non enim illa Concordatorum perpetuitas in odium Ordinariorum detorquenda, ſed in eorundem favorem interpretanda eſt, ceu quæ potiſſimum ob gratiam & favorem Ordinariorum ſpeciali Clauſula hac bis ibidem appoſita fuerit indulta & roborata, prout ex ſupradictis Cap. I. Num. X. ſqq. ſatis dilucidum eſt. Neque porro veroſimile apparet, compaciſcentem

Na-

Nationem Germanicam per ſua Concordata conditionem ſuam reddere voluiſſe deteriorem ac duriorem, ſibique in hoc ad ſuam utilitatem erecto pacto plus detrahere, quam Pontifices per Regulas Cancellariæ aliarum Eccleſiarum Epiſcopis detrahere conſueverant, aut fuiſſe quidquam in Concordatis in pactum & transactionem deductum, de quo tamen antehac controverſia non extiterat, quin potius certiſſimum fuerat, nullam per Extravag. *Ad Regimen* & Regulas Cancellariæ Sede vacante reſervationem inductam fuiſſe. Hæc tamen omnia, aliaque *cit. loc.* fuſius deducta ſuam limitationem, & exceptionem patiuntur in Reſervatione *Juris ſcripti*, quæ licet in dicta *Extravag. ad Regimen* & Regulis Cancellariæ contineatur, & renovata fuerit, non tamen in iisdem, ſed in Jure communi & ſcripto, *ſedem ſuam originariam* habet; ſicut proinde Jus commune & ſcriptum, exſpirante Pontifice, non exſpirat, ita nec Reſervatio eodem introducta, & Beneficia hanc ſub reſervationem cadentia Sede vacante æque, ac repleta, ſemper reſervata manent. Hæc porro diſpoſitio cum ex ipſo Jure communi Concordatis anteriori profecta fuerit, oppido pateſcit, eandem potuiſſe per Concordata in pactum deduci, atque revera etiam deductam eſſe, quin tamen ſua Ordinariis Germaniæ conditio durior exinde, ac deterior evaderet, plusque ab ipſis exigeretur, quam antehac ab illis, & etiamnum hodie a reliquis Ordinariis deſideratum fuit. Quodſi igitur vacans aliquod in Curia Beneficium ante mortem Pontificis ab eodem collatum non fuerit, vel Sede vacante vacare illud primum contingat, Jus Ordinariis Collatoribus conferendi tale beneficium haud competit, ſed in ſalvo eſt reſervatio, uſque ad elapſum menſem a die factæ vacationis, quem intra ſi collatio a Pontifice facta non fuerit, ceſſare demum reſervationem, jusque beneficium hactenus vacans conferendi velut poſtliminio ad Ordinarios reverti, ex infra dicendis abundantius pateſiet. Niſi tamen beneficium tali modo vacans, aut ante mortem Pontificis non collatum, ſit *Parochiale ſive Curatum*: tum enimvero diſpoſitio *Cap. XXXV. de Præb. in VI.* locum etiam in Concorda-

cordatis habet, ceu per quod ſtatuitur, „ut *de Eccleſiis Parochialibus*, ne ipſarum vacatio diutina periculum valeat animabus adferre, per eos, ad quos pertinet, poſſit libere ordinari, *Conſtitutione* felicis recordationis CLEMENTIS PAPÆ Prædeceſſoris noſtri *de Beneficiis apud Sedem ipſam vacantibus*, per alium, „quam per Summum Pontificem, minime conferendis, vel alia „quavis contraria ſuper hoc edita *non obſtante*." Qua tamen favorabili allati Capituli diſpoſitione non comprehendi beneficia tantum habitu Curata, ſeu ſic dictas *Parochias habituales*, vel ut alii vocant, *primitivas*, recte monet FRANC. *in Cap. cit. XXXV. n.* 2. latiusque deducit GARCIAS p. 5. *de Benef. Cap. I.* a num. 104. tum quod tempore dicti Capituli a BONIFACIO VIII. conditi de iſtis *Parochiis habitualibus* modo a Succeſſore ſuo CLEMENTE V. firmius ſtabilitis necdum cogitaretur, tum quod intuitu earundem ceſſet peculiaris illa ratio, in *cit. Cap.* addita, ne ipſarum vacatio diutina periculum valeat animabus adferre.

XI. Gaudet inſuper Juris ſcripti reſervatio altera hac non minus conſiderabili prærogativa, conſenſu omnium Canoniſtarum firmata, quod reliquis reſervationibus omnibus *in multis* ſit *favorabilior*, *tum ob reverentiam loci*, *ubi Sedes Apoſtolica reſidet*; ut inquit GASTELL. in ſupra cit. *Praxi Curiæ Rom.* pag. 186. tum ob ſuam, qua de ſupra etiam ſatis dictum fuit, *antiquitatem*, tum demum vel maxime ob *ſummam cauſæ*, qua innititur, *rationabilitatem*, ne ſcilicet Eccleſias diutius vacare, ſuisque deſtitui Miniſtris contingat, ſi Ordinarii prius debeant certiorari, & ſæpius nonniſi poſt longius intervallum acquirant notitiam de morte in Curia defuncti, quæ tamen & facilior, & propior advenire Pontifici, vacantis proinde beneficii collatio maturari magis ab eodem poteſt. Atque inde etiam factum ſuit, ut non tantum in noſtris, ſed & in Concordatis Gallicanis, quin & in ipſo etiam *Concilio Baſileenſi*, licet utrobique cæteræ reſervationes omnes ſublatæ fuerint, hæc una reſervatio in ſalvo permanſerit. Notanter vero ſuperius dictum fuit, hanc reſervationem cæteris

eſſe *in multis* favorabiliorem; permulta quippe ſunt alia, ubi præſertim ea *comparate* ad Jus primigenium *Ordinariorum* & *Laicorum titulo oneroſo* quæſitum ſpectatur, in quibus pari cum reliquis reſervationibus ſorte fruitur, atque una cum iisdem inter odioſa & reſtringenda computari debet. Sic *Num. V. hujus Cap.* jam dictum fuit, ſub ea, ſicut ſub reliquis aliis reſervationibus, non comprehendi beneficia *manualia*, & quæ ſunt *Juris patronatus Laicalis* vel *mixti*, ſi Laicis id competat ex fundatione, vel dotatione Eccleſiæ, cujus haud alia eſt ratio, quam quod quoad hunc reſpectum æquali cum cæteris cenſu odioſa ſit, & exinde reſtringenda. Sic porro *Num. IX.* hic uberius commonſtratum fuit, eadem ſub reſervatione non beneficia qualitercunque, ſed tantum *per obitum & mortem naturalem* in Curia, vel locis vicinis vacantia teneri, quod litera Concordatorum, ubi de hac reſervatione agit, præciſe de caſu *mortis* loquatur, quæ in præjudicium Ordinariorum ex dictis in præfatione ulterius non eſt amplianda. Sic demum ubi *dubium*, utrum vacatio Beneficii in vel extra Curiam contigerit, ſtante dubio merito præſumitur, Beneficium non in, ſed extra Curiam vacare: hoc enim caſu, ſicut in præcedentibus, Jus Ordinariorum liberum cum reſervatione Pontificia concurrit; Jus vero Ordinariorum cum ex dictis in præfatione fortius ſit, favorabilius & amplioris prærogativæ, ac quælibet reſervatio, ceu quæ vinculum eſt Juris iſtius liberi, merito & hic quoque reſervatio reſtringenda, Jus vero Ordinariorum ampliandum, & pro eo præſumendum erit, quo magis ita ad Jus primigenium redeatur. Et vero ſicut in dubio, utrum vacatio in menſe Apoſtolico, an vero Ordinarii contigerit, per notoria ex infra dicendis pro menſe Ordinarii præſumitur, adeo, ut manente dubio Collatio Ordinarii Pontificiæ præferatur, non obſtante etiam majoris Pontificiæ authoritatis prærogativa; Ita ſimiliter in præſenti dubio vacationis in Curia, præſertim poſt Concordata Germaniæ, poſt quæ factum illud, ex quo inducitur reſervatio Pontificia, juxta ipſas

Rotæ

Rotæ deciſiones concludenter probari vel deſuper conſtare debėt, dicendum eſſe, par omnino ratio jubet. Ex quibus prono proinde alveo conſequitur, favorem illum, quo gaudere hanc Juris ſcripti reſervationem ſupra diximus, non eſſe *generalem*, & qua late illa conſiderari poteſt, ſed *quoad certos duntaxat intuitus vel ad Pontificem*, vel *ad ipſas Eccleſias* reſpicientes. Intuitu *Pontificis* favor ille in his ſe exerit, 1.) quod *illimitatius* cæteris hæc reſervatio ſit *recepta* undique, & ejusdem *obſervantia vigeat*; 2.) quod niſi *ſpecialis & individua* de illa fiat *mentio*, non cenſeatur eidem *derogatum*; neque 3.) in facultate vel indultis conferendi quæcunque beneficia addita etiam clauſula *motus proprii*, comprehendatur, & nec ipſi etiam Cardinales vigore ſuorum indultorum Beneficia in Curia vacantia conferre poſſint; quodque demum 4.) ſit *perpetua* ac tempore Sedis vacantis quoque perduret, ſi nimirum intra menſem a die beneficii vacantis labentem, & electio novi Pontificis & dicti collatio beneficii maturetur. Intuitu vero *Eccleſiarum* favor hujus reſervationis potiſſimum in eo conſiſtit, quod ſuo haud diu carere miniſterio, ſed per maturatam intra menſem collationem de novo ipſis miniſtro provideri debeat.

XII. Quippe ut de beneficiis apud Sedem Apoſtolicam, ſeu in Curia vacantibus, adeoque ſub reſervationem Juris ſcripti cadentibus intra menſem a Pontifice proviſio fiat, expreſſe *Cap. III. de Præb. in VI.* cautum eſt. Et ſic ſpeciale hoc eſt reſervationi Juris ſcripti, quod, ut ait *Gloſſ. ad d. Cap.* „ cum in aliis „detur majus tempus *Cap. 2. de Conc. præbend.*, hic detur ſolum „menſis.„ Porro vero menſis iſte currit a die *vacationis*, quo ſcilicet, ut *laud. Cap.* loquitur, *Dignitates vel Beneficia vacaverint*, non vero a die *habitæ notitiæ*; quod, ut bina vice advertit *Gloſſ.* tum ad *Cap. II.* præcedens, tum ad idem modo dictum *Cap. III.* „Statutum in favorem Eccleſiarum, *ne contingeret beneficia diu* „*vacare*, non autem in odium Summi Pontificis negligentis, quia „tunc nonniſi a tempore ſcientiæ curreret præſcriptio; neque etiam, ut magis infra ibid. a *Gloſſa* obſervatur, tempus iſtud cur-

reret *ignoranti.* Immerito proinde, & absque ullo fundamento, annotante itidem Gloſſa, „tenuit Guil. tempus iſtud, de quo ſit „mentio *in princ. hujus Gl.;* currere a tempore ſcientiæ; nam per hanc (præſcriptionem a die vacationis) reditur ad jus commune: „extendenda eſt igitur, ut de facili ad ſuam naturam redeat „*Diſt. XXXV. c. ab exordio. ff. de pact. L. ſi unius.* Præſertim „ubi ſtatuens contra ſe ſtatuit; alias enim quare non ſic ex- „preſſiſſet a tempore ſcientiæ? Hactenus Gloſſa; Ex qua cum indubitate adeo conſtet, Proviſionem Pontificiam in caſu reſervationis Juris ſcripti tam arcto termino incluſam eſſe; multo minus integrum erit, *Proviſo Apoſtolico morari* inſinuationem ſuæ Proviſionis *Ordinario formiter* faciendam; alias certe haud efficaciter ſatis utilitati Eccleſiarum, utut a Pontifice maturata collatio fuerit, proſpectum conſultumque foret. Et vero cum in reſervatione menſium ex infra dicendis, *intra tres menſes a die factæ vacationis* non tantum *collatio* a Pontifice *peragenda*, ſed & a *Proviſo inſinuanda ſit*, *arctior* omnino hic, ubi *ſpecialis ratio utilitatis* Eccleſiæ habita fuit, terminus eidem Proviſo currat, neceſſe eſt, adeo, ut re etiam integra poſt lapſum menſis adveniens Proviſus non aliter effectuationem ſuæ Proviſionis prætendere, & urgere penes Ordinarium queat, niſi moram prius omnem purgaverit, pleneque de juſto & legitimo impedimento, ob quod citius inſinuare haud potuerit, edocuerit; Cujus probationis modum, & exemplum ex ipſa *Regula Cancellariæ de veroſimili Notitia* derivare, haud difficile forſan foret.

XIII. Menſe igitur, de quo hactenus dictum eſt, elapſo, ſi vel Collatio a Pontifice omiſſa, vel de eadem formis & legitima inſinuatio a Proviſo neglecta fuerit, collatio ad eos, ad quos alias pertinet, ad Ordinarios videlicet revertitur, ut nimirum vel per ſe ipſos, aut ipſis in remotis agentibus per ſuos Vicarios generales in eorum Diœceſibus exiſtentes, quibus id Canonice commiſſum fuerit, conferre valeant; *Conf. ante cit. Cap. III. de Præb. in VI.* Sunt hic nonnulli, qui exiſti-

iſtimant, Jus hocce collationis velut ex capite *ſupplendæ* Pontificis *negligentiæ* ad Ordinarios reverti, atque inde vel omnino quid paradoxum, & omni Juris ordini contrarium hic ſubeſſe credunt, cum negligentiam ſuperioris ab inferiori ſuppleri haud deceat, aut conveniat; vel ſaltem hunc favorem Ordinariis conceſſum hac via *odioſum* reddere conantur. Atenim non eſt, cur hoc caſu devolutionem quandam a Pontifice ad Ordinarium, quæ utique a ſuperiori ad inferiorem fieri nequit, comminiſcamur, cum longe connaturalius, & fundatius per viam *conſolidationis actus & exercitii* cum Jure habituali id fieri, perſuaſum habeamus. Scilicet Jus primitivum Ordinariorum, & poteſtas conferendi beneficia ordinaria quoad actum ſecundum, ut loqui amant, ſive exercitium per inductam reſervationem, ceu per injectum quoddam obſtaculum, vinculatur, ligatur, & reſtringitur, remanente interea ſemper penes eosdem Ordinarios dictæ poteſtatis actu primo, ut vocant, vel habitu; Quodſi vero intra menſem Sedes Apoſtolica vacans Beneficium non contulerit, ceſſat reſervatio, proindeque impedimentum hactenus liberæ Ordinariorum poteſtati injectum tollitur, removeturque; eo porro ſublato poteſtas illa etiam quoad actum libera evadit, atque ex jure hactenus impedito fit impoſterum liberum & expeditum, ut adeo potius jure poſtliminii, vel ſi, mavis, jure conſolidationis actus & exercitii cum jure habituali, quam ex jure devolutionis, collatio ab Ordinariis peragatur. Ex quo principio recte porro obſervat Espenius *loc. cit. n. XIII.* ex Pinsonio, collationem Ordinarii factam, ante menſem elapſum eatenus validam eſſe, ut ſi Pontifex intra menſem non contulerit, confirmetur, vel potius non irritetur; exemplo collationis factæ ab eodem Ordinario ſpreto Patrono, quæ Patrono, non opponente, & intra tempus non præſentante, valida manet, & effectum ſortitur. Hactenus dicta autem non ſolum procedunt in caſu, ubi plane non confert Beneficium, ſed & in caſu, ubi vel incapaci vel indigno, quod tamen de Sede Apoſtolica haud præſumimus, fiat collatio, vel facta Collatio ſit aliunde nulla, & invalida, ut adeo & hic menſe non elapſo, non exſpectata nova &

Digitized by Google

ad alium menſem differenda proviſione Apoſtolica jus Ordinarii intret, quin tamen Jus devolutionis proprie dictum locum obtineat, ſed potius ex iisdem ſuprapoſitis principiis ab Ordinario ulterius procedatur. Atque hæc de Juris ſcripti reſervatione hucusque dicenda erant.

XIV. Altera Reſervationis ſpecies per Concordata Germaniæ innovata & confirmata eſt illa, de qua in famoſa illa Joannis XXII. Extravagante: *Execrabilis* relata *inter Comm. Tit. de Præb. & Dignit.* agitur. Ad ſolidiorem hujus interpretationem inſtituendam obſervari meretur, nunquam non ſacros Canones fuiſſe maxime ſollicitos, ut, quæ labente cum ſæculis diſciplina Eccleſiaſtica latiſſime invaluit, Beneficiorum *pluralitas* penitus aboleretur. Sed cum in totum præ multitudine delinquentium, ut teſtatur Alexander III. *Cap. XV. de Præb.* emendari haud potuerit, ſaltem in tantum coerceri & reſtringi tentabatur. Et quoniam hic abuſus non tantum circa Beneficia ſimplicia, ſed etiam circa Parochiales Eccleſias & Dignitates cum ſummo animarum periculo eo excreverat, ut non duas vel tres, ſed ſex aut plures Eccleſias plurimi haberent,, quemadmodum loquitur *Cap. III. de Cler. non reſid.* ex *Concilio Lateranenſi* ſub Alexandro III. deſumptum; diſtinctius *inprimis*, ne id de cætero fieret, ibidem inhibebatur; *porro* autem conſtituebatur, ut, cum Eccleſia vel Eccleſiaſticum Miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſe ipſam valeat exercere. Quodſi aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra ſacros Canones accepit, amittat, & qui dederit, largiendi poteſtate privetur. Verum haud ſufficiebat extirpando malo hoc Synodale Decretum, imo teſte Innocentio III. *in Cap. De multa XXVIII. de Præb.* propter præſumptiones, & quorundam cupiditates nullus hactenus aut rarus de prædicto ſtatuto fructus proveniebat. Itaque Innocentius III. efficacius remedium adhibere deſiderans dicto *Cap.* XXVIII. ſtatuit, „ut qui„cunque receperit aliquod beneficium habens curam animarum

„an-

„annexam, ſi prius tale beneficium obtinebat, eo ſit jure ipſo pri„vatus: ſi forte illud retinere contenderit, alio etiam ſpolietur. „Is quoque, ad quem prioris ſpectat donatio, illud poſt receptio„nem alterius libere conferat, cui merito viderit conferendum. „Et ſi ultra ſex menſes conferre diſtulerit, non ſolum ad alium, ſe„cundum ſtatutum *Lateranenſis Concilii*, ejus collatio devolvatur; „verum etiam tantum de ſuis cogatur proventibus in utilitatem „Eccleſiæ, cujus illud eſt beneficium, aſſignare, quantum a tem„pore vacationis ipſius conſtiterit ex eo eſſe perceptum. Hoc „idem in Perſonatibus decernimus obſervandum, addentes, ut in „eadem Eccleſia nullus plures dignitates, aut perſonatus habere „præſumat, etiamſi curam non habeant animarum. Sed neque hunc canonem ſuum habuiſſe effectum, ſufficienter colligitur ex *Synodo Londinenſi*, anno MCCXXXVII., adeoque viginti annis poſt editam hanc Decretalem celebrata, in qua, cum Legatus Apoſtolicus modo dictam Decretalem pronunciaret, tanta multitudo obtinentium plura beneficia reperta fuit, tantusque tumultus excitatus, ut ab executione ejusdem ſuperſedere Legatus coactus fuerit, quemadmodum refertur *Tom. XI. Conciliorum Colum.* 525. *& ſeqq.* Imo cum per additam in ſæpius citata Decretali clauſulam: „circa „ſublimes tamen & literatas Perſonas, quæ majoribus beneficiis „ſunt honorandæ, cum ratio poſtulaverit, per Sedem Apoſtoli„cam poterit diſpenſari, via quodammodo prohibitam beneficiorum pluralitatem juſtificandi oſtenderetur, diſpenſatio contra legem probaretur, & quaſi offerretur, lata veluti porta contraveniendi aperta fuit, ipſæque diſpenſationes adeo evaſere frequentes, ut tandem tanquam Jus ordinarium & res ſtyli invaluiſſe viderentur, uti non obſcure deſumitur ex Cap. III. *de officio Ordinarii in VI.*, in quo & Ordinariis inhibitum fuit, ne Clericos, qui diſpenſationem in conſueta forma expeditam proferre poſſent, in beneficiis hujusmodi, quæ canonice obtinuerant, turbarent, moleſtarentve.

XV.

XV. Hac autem ratione cum Diſpenſationes ſuper pluralitate beneficiorum, præſertim Curatorum, vix non infinitæ a Pontificibus obtinerentur, ſeu potius extorquerentur, JOANNES XXII. in hac, de qua nobis hic ſermo eſt, Extravagante: *Execrabilis* acerrime *inprimis* de dictis diſpenſationibus conquerebatur; ſatis energice dicens in Procemio dictæ ſuæ Extravagantis: „Execrabilis „quorundam tam Religioſorum, quam Sæcularium ambitio, quæ „ſemper plus ambiens eo magis inſatiabilis creditur, quo ſibi „plus indulgetur, & improbitas importuna petentium a Nobis & Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus non tam *ob*„*tinuiſſe*, quam *extorſiſſe* plerumque noſcuntur, ut unus interdum etiam ad unum beneficium Eccleſiaſticum minus idoneus „in diverſis Eccleſiis nedum vicinis, ſed ab invicem longe di„ſtantibus, imo nonnunquam in diverſorum regnorum partibus „ſituatis plures, quam duas, vel tres, aut plures etiam Digni„tates, vel Perſonatus, officia, ſeu Prioratus, aut diverſa Eccle„ſiaſtica beneficia curam animarum habentia poſſit diſpenſative, „cum alias non liceret de Jure communi, recipere, & ſimul li„cite retinere.„ Enumerat *deinde* verbis ſane & ſtylo graphicis *plurima illa incommoda*, quæ ex hac pluralitate in Eccleſiam redundant, inquiens: „unde inter cætera inconvenientia infra ſcri„pta naſcuntur, quod videlicet interdum *unus*, qui unum, quam„vis modicum vix officium implere ſufficeret, *plurimorum* ſibi „vendicet *ſtipendia*, quæ *multis literatis viris*, vitæ puritate, ac „teſtimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, poſſent ab„unde *ſufficere*, æqua diſtributione collata. Habentibus ipſa pa„ratur *vagandi materia*, *divini cultus minuuntur*, *hoſpitalitas* in ipſis „beneficiis debita *non ſervatur*; & dum non ſunt ſui in unaqua„que regione Rectores Eccleſiarum, *detrahitur commodis*, & *ho*„*nori*, quæ carentes *defenſorum auxilio juribus ſuis & libertatibus* „multipliciter *collabuntur*: *ruinis* patent *ædificia nobilia*, quæ magni„ficentia exſtruxerat Deceſſorum. Et (quod amarius eſt dolen„dum) *animarum Cura negligitur*, & *vitiorum ſentibus fomentum*

„peri-

„periculoſe *præbetur*: „ *Porro* ut tot malis, tantisque diſcrimini-„bus ex hac pluralitate & nimia ſuper illa diſpenſatione eveni-„entibus aliquo ſaltem modo occurreretur, & effrænata beneficio-„rum multitudo circa easdem perſonas cohiberetur, interim tamen & illi, qui hactenus diſpenſationes impetrarunt, fructu earundem non totaliter fruſtrarentur; decrevit ibidem citatus Summus Pontifex, omnes & ſingulas diſpenſationes ſuper perceptione & retentione plurium dignitatum, aut beneficiorum, quibus cura ſit animarum annexa, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum a ſe, vel ſuis Prædeceſſoribus hactenus conceſſas taliter eſſe moderandas, ut obtinentes nunc ex Diſpenſatione legitima pluralitatem hujusmodi Dignitatum, ſive Beneficiorum, quæ alias abſque alia diſpenſatione legitima obtinere nequibant, *Unum* tantum ex Dignitatibus, vel Beneficiis hujusmodi, quibus cura immineat animarum, cum Dignitate, vel Beneficio ſine cura, vi & prætextu diſpenſationis ſufficientis eisdem indultæ poſſint licite retinere, quam dignitatem, ſive beneficium teneantur eligere intra menſem numerandum a tempore notitiæ hujus Conſtitutionis &c. &c. *Denique*, quod palmario ad præſentis noſtri inſtituti rationem, & inductam vi hujus Extravagantis reſervationem attinet, ſequentia ſtatuit: „Qui vero deinceps re-„ceperint Dignitatem vel perſonatum, ſeu officium, aut aliud „beneficium curam animarum habens annexam, ſi antea ſimile „beneficium obtinebant, illud, quo ipſo jure (poſtquam ſecundi „poſſeſſionem habuerint, vel per eos omni dolo & fraude ceſ-„ſantibus, quo minus habeant, ſteterit) privati noſcuntur, abſque „moræ diſpendio in Ordinariorum manibus dimittere debeant... „Alioquin ex tunc ſint ipſo jure ſecundo privati, & nedum „ad ſacros ſuſcipiendos ordines, quin etiam ad habendum quod-„cunque aliud Eccleſiaſticum beneficium inhabiles reputentur. „Quæ omnia & ſingula vacatura, ut præmittitur, vel dimiſſa No-„ſtræ, & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni de ipſorum Fratrum conſi-„lio reſervamus.„

XVI. Loqui hanc Extravagantem, ſicut in toto ſuo tenore, ita etiam in paſſu ultimo huc pertinente, duntaxat de Dignitatibus & *Curatis* Beneficiis, ſive curam animarum annexam habentibus, vel ipſa verba ſatis teſtantur. Porro quoque in eo omnes conveniunt, ut obtentio ſecundi Beneficii operetur dimiſſionem primi, requiri, ut ſecundum Beneficium ſit deductum ad poſſeſſionem pacificam, & conjunctam cum effectu, ſcilicet perceptione fructuum, ſive ut ſecundi Beneficii poſſeſſio & *pacifica* & *frugifera* habeatur: *pacifica* quidem, ne ſi litigioſum ſit, primumque jam dimiſerit impetrans, utroque facile carere poſſit; *frugifera* vero, quia juxta Cap. XXVI. de Præb. in VI. *æquum eſt, ut quamdiu fructus ipſius alius perceperit, primum non debeat reputari vacare*; cujus Capituli diſpoſitio cum per noſtram Extravagantem nedum non fuerit immutata, quin & commodiſſime, & ſine ulla verborum torſione, aut intruſione juxta dicti Capituli ſenſum poſſit interpretari; merito illi inſiſtimus, & in ejus vim oſtendere conamur, nonniſi poſt adeptam ſecundi Beneficii poſſeſſionem *frugiferam* primum ipſo Jure vacare, & ſecundum diſpoſitionem Extravagantis in manibus Ordinarii eſſe dimittendum. Hoc ipſo vero, quod *& pacifica & frugifera* ſecundi beneficii poſſeſſio haberi debeat, pronum eſt colligere, quo ſenſu verba illa in Extravagante expreſſa: *absque moræ diſpendio:* ſint accipienda. Nonnulli apud Barbosam *Collect. Doct. in Extrav.* Joannis XXII. *Tit. III. n.* 9. hæc verba eo interpretantur, quod dicta dimiſſio primi Beneficii *ſtatim & in continenti* fieri debeat, quibus tamen contradicit Barbosa cum aliis a ſe citatis, aſſerens, dimiſſionem primi Beneficii, quæ hic jubetur fieri coram Ordinario, *intra menſem* eſſe faciendam. Porro praxis Curiæ Romanæ menſem concedit ulteriorem, adeo, ut ſi primum beneficium intra bimeſtre dimittatur, continuo, illico, & absque moræ diſpendio dimitti cenſeatur; atque hoc eum in finem, ut intra hoc tempus ſufficienter apparere poſſit, utrum litem nemo de ſecundo beneficio velit obmovere. Imo *Tridentinum*

tinum Seſſ. 24. *Cap.* 17. *de Reformat.* indulſit menſes ſex, „ ut „illi, qui in præſenti plures Parochiales Eccleſias, aut unam Ca„thedralem, & aliam Parochialem obtinent, quibuscunque diſpenſa„tionibus, ac unionibus ad vitam non obſtantibus, una tantum Pa„rochiali, aut ſola Cathedrali retenta alias Parochiales dimittere „queant.„ Et cum ex paulo ſuperius dictis poſſeſſio ſecundi beneficii non tantum *pacifica*, ſed & *frugifera* eſſe debeat, facile conſequitur, quod & ad plures annos, in noſtra præſertim Germania, ubi frugifera ſtatim beneficii poſſeſſio vel plane nulla, vel ad congruam certe non ſufficiens obtineri conſuevit, primum cum ſecundo beneficio poſſit tuto retineri, quamdiu nimirum, & quousque ex ſecundo beneficio vel fructus nulli, vel ad congruam inſufficientes percipiuntur. Hactenus dicta ſatis certa, atque ex ipſa Extravagante omnimodam capere deductionem facile nobis videntur.

XVII. Utrum autem vi Extravagantis non tantum ſecundum, ſed & primum beneficium Sedi Apoſtolicæ ſit reſervatum, lis eſt multa inter Authores. Sunt, qui utrumque reſervatum eſſe affirmant, atque illis potiſſimum *Extravagantis* verbis: *Quæ omnia & ſingula Beneficia vacatura, ut præmittitur, vel dimiſſa &c.* earumque amplitudine innituntur. Sed ſunt & alii, quos inter videatur Engel *Colleg. Univ. Juris Canon. Lib. III. Tit. V.* §. *II. n.* 13., qui nonniſi ad ſecundum beneficium ex præponderantibus ſane rationibus reſervationem per Extravagantem alioquin, & ex natura ſua odioſam inductam reſtringunt, ſtricteque interpretantur. Dicunt quippe, ante dictam Extravagantem primum beneficium per obtentionem ſecundi vacans non reſervatum, ſed ex clara diſpoſitione ſupra citati *Cap. XXVIII. de Præb. & Cap. itid. XXVIII.* ibid. *in* VI. liberæ Ordinariorum collationi relictum fuiſſe; neque etiam ex ipſa hac Extravagante ſatis clare erui poſſe, illud reſervatum eſſe, cum expreſſis ibidem verbis aſſeratur, quod illud absque moræ diſpendio *in manibus Ordinariorum* dimittere debeant; Remanente igitur dubio, ex regula

gula interpretationis generali, non amplianda, ſed reſtringenda eſt reſervatio. Et licet verba ante allata: *Quæ omnia & ſingula &c.* paulo ampliora videantur; ad evitandam tamen Jurium correctionem, qua de nulla in Extravagante ſit mentio, & ad ſalvandam inter ipſa verba Extravagantis antecedentia, & conſequentia concordiam per ea, & per attentatam præciſe cum ſecundo retentionem haud cenſeri poteſt inducta eſſe reſervatio etiam primi beneficii, niſi illud primum beneficium jam aliunde, & ex alio titulo fuerit Sedi Apoſtolicæ reſervatum; quo autem caſu non vi Extravagantis noſtræ *Execrabilis*, ſed vi alterius Conſtitutionis v. g. *ad Regimen*, illud reſervationi erit obnoxium. Accedit ulterius, quod mens diſintereſſata ſit Joannis XXII. ipſis ſupra relatis Extravagantis verbis expreſſa, *punire* non *innocentes Ordinarios*, ſed *avaritiam*, & *ambitionem Clericorum* pluralitatem Beneficiorum obtinentium; reſervando autem ſibi primum etiam beneficium, non tam *avaros & ambitioſos Clericos*, quam *innocentes Ordinarios*, vel ſaltem cum illis hoſce ſimul *puniviſſet*, ſiquidem primum beneficium vacet ipſo jure per aſſecutionem ſecundi, atque ex ipſis Extravagantis verbis: *in Ordinariorum manibus dimittere debeant*, libere ab iisdem poſſit conferri; neque culpa eſt Ordinariorum, quod illud, qui ſecundum impetrarunt, retinere attentent, & non dimittant. Atque hæc poſterior ſententia hactenus deducta procedit etiam eo in caſu, quo ſecundum beneficium Romæ impetratum eſt; nec enim propterea vacat primum beneficium hoc caſu, nec reſervatum eſt, quod in Curia fiat ſecundi Collatio, adeoque & ibidem inducatur prima vacatio, ſed ipſum Jus commune, & incompatibilitas ſecundi beneficii cum primo in cauſa præciſe eſt, cur vacet primum, & dimitti debeat, ut proinde illa, & utriusque hujus ſibi invicem contrariantis ſententiæ tentata conciliatio ex Gonzalez. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 51. *n.* 38. a P. Engel *cit. loc.* ſub hac diſtinctione relata haud videatur nobis ſubſiſtere. Illud

Digitized by Google

lud demum pro ſecundæ ſententiæ hactenus ſtabilitæ confirmatione adjiciendum, quod, etſi forte vi verborum Extravagantis etiam primi Beneficii reſervatio exſculpi, & extundi vellet, dicit tamen, & teſtetur BARBOSA *loc. ſupra cit. n.* 10. & FLORES DE MENA var. q. 23. n. 58., quem adducit laudatus BARBOSA, „illam reſervationem eſſe jam *antiquatam*, & illum, qui adipiſcitur beneficium incompatibile, ipſo jure privatum eſſe primo, „& Ordinarium illud conferre, ſive illico dimittat, ſive non, *juxta text. in Cap. Licet Epiſcopus. de Præb. in VI.* & ita ſemper vidiſſe *practicari*, & nunquam de tali reſervatione *vidiſſe mentionem*, aut *exiſtimationem* fieri; & in Regno Galliæ pariter eſſe antiquatam, aſſerit REBUFFUS *in praxi Benef. in forma ſignaturæ, Verbo : aut Conſtitut :* ***Execrabilis.*** Vel ſi præplacet, haud infundate etiam diceretur, hanc contrariam obſervantiam veluti Juris hac in parte dubii optimam eſſe interpretem, & tenendam.

XVIII. * Atque his conformiter, quæ hactenus dicta ſunt, omnino nobis loqui neceſſarium erat, ſi prout hactenus nobis fuit, ſermo ſit de Extravagante: ***Execrabilis*** ſecundum ſe, & juxta illum tenorem ſpectata, ſub quo inter *Extrav. Comm. de Præb.* refertur. Quodſi vero jam eandem Extravagantem ſecundum textum & literam Concordatorum, ſive prout ea ex Extravagante: ***ad Regimen***, Concordatis noſtris inſerta fuit, conſideremus, longe nobis alia, ipſo textu, & litera Concordatorum ſuggerente, videntur eſſe ſtatuenda. Id quo clarius diſpiciamus, juvat ante omnia ipſa eorundem verba, in quibus dictæ Conſtitutionis: ***Execrabilis*** ſedes, & locus eſt, integra huc transferre, quæ ſequentibus continentur: *Nec non etiam, * quæ per aſſecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum,* Dignitatum, Perſonatuum, Officiorum, Canonicatuum, Præbendarum, Eccleſiarum, aut Beneficiorum aliorum per Nos, ſeu Authoritate noſtrarum literarum immediate col-*

latorum, ſeu conferendorum imposterum, præterquam ſi virtute Gratiæ exſpectativæ aſſecutio fiat, nunc vacantia & in antea vacatura .... ordinationi, diſpoſitioni, ac proviſioni noſtræ de ipſorum Fratrum Conſilio authoritate Apoſtolica reſervamus. Sunt hæc verba Concordatorum, prout ſub Schemate pacti extant, quæ etiam in Bulla pacti confirmatoria, omiſſis tantum binis verbis, aſteriſco notatis, eadem ſerie & ordine referuntur, ut adeo ſupervacaneum ſit, eadem verba integra ex ipſa Bulla noviter tranſcribere, & repetere. Neque fas eſt dicere, dictam Extravagantem: *Execrabilis* diſertis & explicitis verbis in Concordatis noſtris haud referri, ſed ejusdem diſpoſitionem, etiam ubi uſus Concordatorum viget, ex ejusdem communi fonte & ſede repetendam eſſe: Huic enim ſentimento clara Concordatorum litera aperte refragatur, in verbis illis initialibus: *Sanctiſſimus Dominus noſter ..... ſuper proviſionibus Eccleſiarum, beneficiorumque quorumque utetur reſervationibus Juris ſcripti, & Conſtitutionibus Execrabilis, & ad Regimen modificatis, ut ſequitur:* Aſſerunt hæc poſtrema verba, *modificatam* eſſe in Concordatis Extravagantem: *Ad Regimen*, id quod ulterius confirmant verba: *ut ſequitur;* manifeſte igitur inde apparet, eandem Extravagantem in verbis etiam Concordatorum relatam eſſe.

XIX. * Conſtat autem inprimis, hiſce Concordatorum verbis non tantum *Dignitates, & Beneficia Curata*, ſicut in Extravagante, ſed & *Canonicatus, & Præbendas, aliaque Beneficia cum vel ſine cura* comprehendi, adeo, ut quoad hoc punctum non modificata, & temperata, ſed potius aucta eſſe in Concordatis reſervatio in Extravag.: *Execrabilis* contenta videri poſſit; poſtquam præſertim *Tridentinum* plurium Beneficiorum incompatibilitatem ob exactiorem reſidentiam requiſitam induxerit.

Ex

Ex Decretis enim hujus Sacri Concilii *Seſſ. VII. Cap. IV. & Seſſ. XXIV. Cap. XVII. de Reform.* haud obſcure eruitur, omnia illa beneficia cenſenda eſſe impoſterum incompatibilia, quæ reſidentiam perſonalem requirunt, ſive deinde reſidentia ratione curæ animarum, ſive ratione ſervitii requiratur, uti notat FAGNANUS ad *Cap. Cum jam dubium. de Præb. n.* 39. In hac tamen reſidentia perſonali ratione ſervitii praxis & ſtylus Curiæ Romanæ eam adinvenit diſtinctionem, qua alia dicitur Reſidentia *præciſa, & ſimplex*, quæ, ut GONZALEZ. inquit *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 15. *num.* 20. requiritur ſub pœna privationis Tituli, ſive quæ præciſe ideo requiritur, ut quis poſſit habere beneficium; alia vero tantum vel alia Statutis Eccleſiarum introducta; ſive *cauſativa*, quæ requiritur ſub pœna vel privationis fructuum, ſine qua quidem haberi beneficium, non tamen ejusdem fructus percipi poſſunt; cujus adminiculo diſtinctionis dicunt Curialiſtæ, ea tantum beneficia ſimplicia, & non curata per *Tridentinum* reddita eſſe incompatibilia, quæ exigunt reſidentiam *præciſam & ſimplicem*, non vero illa, in quibus reſidentia non eſt *præciſa, & ſimpliciter obligatoria*, ſed *tantum cauſativa.* Quam in rem teſtatur laudatus GONZALEZ *loc. cit. n.* 23. ſæpius judicatum fuiſſe, quoad incompatibilitatem Beneficiorum ſimplicium inſpiciendam eſſe reſidentiam præciſam, & non ſufficere cauſativam. Quod & ipſe RIGANTIUS *Comm. in Reg. I. Cancell.* §. *VIII. n.* 16. *& ſeqq.* docet, & praxis communis liquido declarat; Unde autem conſequitur, quod, cum in noſtra Germania complura ſint ejusmodi beneficia, quibus reſidentia mere cauſativa annexa habetur, ea vel ex ipſa praxi, & ſtylo Curiæ haud ita facile incompatibilia cenſeri poſſint, neque proinde in vim Concordatorum eorum ſubitanea dimiſſio urgeri, & inducta hic per Concordata reſervatio locum obtinere debeat.

XX. * Quanquam vero in hactenus dictis, utut ſtylo & praxi Curiæ Romanæ aliquantum moderatis, aucta nihilominus eſſe juxta ſupradicta hæc reſervatio in Concordatis omnino videatur; in verbis tamen deinde ſubſequentibus: *Per Nos, ſeu Authori-*

thori-

thoritate noſtrarum Literarum immediate collatorum, ſeu conferendorum impoſterum: ita limitata, & modificata fuit, ut locum tunc ſolum obtineat, ſi ſecundum beneficium cum primo incompatibile *ab ipſo Summo Pontifice*, non vero ſi auctoritate Ordinaria Epiſcopi collatum fuerit. Id quod etiam fieri cenſetur in caſu, quo Epiſcopus, uti Cardinalis, vel Princeps Elector Imperii gaudet Indulto Apoſtolico, inque ejusdem vim Beneficium alias reſervatum confert. Hoc enim Indultum de novo tribuit nihil, ſed removet tantum obſtaculum Reſervationum, quemadmodum ipſamet Rota decidit deciſ. 197 *coram* OTTHOBONO loquens ibi de Indulto Ordinariis Hiſpaniæ ad conferendos in menſibus reſervatis Canonicatus Pœnitentiarios conceſſo, & reſolvens, quod adhuc *auctoritate Ordinaria* dictos Canonicatus conferant. Quid? quod in noſtra Germania, velut eadem Rota decidit in *Salisburgen. Canonicatus* 8. April. MDCLXXX. §. *ſecundo*, *coram* RONDINNIO, ut reſervatum ſit Beneficium per aſſecutionem ſecundi incompatibilis, omnino requiritur, quod iſtius proviſio immediate a Papa facta fuerit, non obſcure idipſum vel ſola etiam Concordatorum litera indigitante, ceu quæ, cum alias his ſemper verbis utatur: *Per nos, ſeu authoritate noſtra*, hic tamen ſtudioſe & non fruſtra dicat: *Per nos, ſeu authoritate noſtrarum literarum*, vigore quarum, velut in ipſa Curia emanatarum, ibi ſit ipſius Beneficii collatio. Neque obſtat, uti diſerte aſſerit RIGANTIUS *Comment. in Reg. I. Cancell.* §. *VIII. n.* 186., „quod Proviſus de ſecundo in„compatibili teneatur novam Proviſionem intra certum tempus a „Sede Apoſtolica reportare juxta Decretum Indulto Cardinalium „apponi ſolitum. Hoc quippe motivum nullius eſſe relevantiæ aſ„ſerit, quia Decretum capiendi novam Proviſionem reſpicit tan„tummodo emolumentum Cancellariæ Apoſtolicæ, non autem ſuſ„pendit collationem Cardinalis Indultatarii, quæ interim remanet in „ſtatu validitatis, & annullatur ſolum in caſu, quo nova Proviſio in„tra certum tempus non petatur.„ Porro etiam per illa verba:

Præ-

Præterquam ſi virtute Gratiæ exſpectativæ aſſecutio fiat : excipiuntur ab ea, quæ hic in Concordatis fit, diſpoſitione, illa Beneficia, quæ per gratiam exſpectativam obtinentur, ſive quorum duntaxat exſpectativa habetur. Cum enim ejusmodi Beneficiorum *plenaria*, & *frugifera* poſſeſſio non habeatur, haud difficulter ex ſupradictis intelligi poteſt, cur iſta ſub hac Concordatorum diſpoſitione comprehenſa non cenſeantur. Quamvis autem hodie poſt *Tridentinum* nullus amplius exſpectativarum uſus ſit reliquus, adjecta tamen hæc in Concordatis Clauſula haud ſupervacanea eſt, omnique prorſus effectu deſtituta, cum ejusdem adducta ratio id ſaltem operetur, evincatque manifeſtius, in Beneficiis Germaniæ, ubi per integros *annos*, ut vocant, *carentiæ*, & quoaduſque ex iisdem nulla emolumenta, fructus nulli, vel fructus non integri, neque ad congruam ſufficientes percipiuntur, ex adæquata rationis paritate huic Concordatorum diſpoſitioni locum itidem nullum relinquendum, neque primum per adeptionem alterius ipſo Jure vacare cenſendum, neque idcirco in manibus Ordinariorum dimittendum, neque etiam, juxta mox dicenda, Sedi Apoſtolicæ reſervatum eſſe, donec demum expletis annis carentiæ ſecundi Beneficii plenaria, vel ſatis ad congruam frugifera poſſeſſio adepta fuerit. Atenim antiquum hoc Capitulorum Statutum, aut conſuetudo, vi quorum Neo-Canonici, vel Domicellares, vel in herbis, ut vocant, uſque ad certos annos expletos, vel uſque dum ad numerum Canonicorum majorum, vulgo Capitularium aſcenderint, fructus e Canonicatu ſuo vel nullos, vel admodum tenues percipiunt, per Tridentinum improbata, & una cum exſpectativis caſſata, & abolita eſſe cenſeri haud debent, vel poſſunt; quamvis enim quoad *Præbendam*, ſive fructus Collationes ejusmodi ſecundum antiquas haſce Capitulorum Germaniæ conſuetudines, aut Statuta factæ ſint exſpectativæ, haud tamen tales dici poterunt, quoad *Canoniam*; hæc ſiquidem actu per collationem obtinetur, atque inde in numerum Canonicorum recipitur Proviſus, exigitur ab ipſo, præſtaturque juramentum, inſtal-

latur, atque in Catalogum illius Eccleſiæ, cui per adeptionem Canonicatus adſcriptus eſt, refertur. Quæ autem omnia cum per exſpectativas ſimplices olim ante Tridentinum fieri ſolitas, non obtinerentur, facile patet, has exſpectativas Germaniæ non inter illas ſimplices, & prohibitas computandas eſſe, ſed eſſe exſpectativas *qualificatas*, quæ non tantum in ipſis ſacris Canonibus, præſertim *Cap. IX. de Præb.*, neutiquam, inſtar ſimplicium exſpectativarum, improbantur, ſed & antiquis non irrationabilibus moribus, ſtatutis, & conſuetudinibus firmantur, quas Imperator vi ſuæ *Capitul. Art. XIV.* §. *I.* adverſus Curiæ Romanæ prætenſiones, & impugnationes tueri ſpondet, atque manutenere. Quo tamen ſub cenſu expectativarum per Concilium Tridentinum non improbatarum haud venire poſſe putamus uſitatas illas in quibusdam Eccleſiis Germanicis, ſic dictas *nominationes utiles*, ceu quas nonniſi ſimplices, adeoque per laudatum Concilium prohibitas Expectativas continere, fundate negari vix poterit. Ex iis vero, quæ antea dicta fuere, cum & illud colligatur, nequaquam ex parte Proviſi pendere, quo minus frugiferam & plenariam collati ſibi Beneficii poſſeſſionem ſtatim obtineat; eidem certe a fortiori, ſi ex titulo ejusdem primi beneficii ſacros Ordines ſuſcepiſſet, contra expreſſam ipſius Extravagantis: *Execrabilis* mentem & verba, pariterque contra apertam Concilii Tridentini diſpoſitionem injungi nequit, ut primum beneficium pacifice hactenus & frugifere a ſe poſſeſſum, ſolo ſecundo, eoque ſterili contentus, mox dimittat; id quod tamen jam Romæ practicatum fuiſſe, præſertim in Cauſa Spirenſi inter *Lotharium Fridericum de Wald*, *&* *Theodorum de Horphlat* hoc ſuper puncto controverſa, RIGANTIUS *Comm. in Reg. I. Cancell.* §. *VIII. n.* 148. pluribus refert.

XXI. * Denique ex toto verborum ſupra relatorum ordine & contextu illud apparet, de primo tantum beneficio in Concordatis mentionem fieri, illudque, ſi ſecundum mediante proviſione Apoſtolica collatum fuerit, ejusdem Sedis Apoſtolicæ diſpoſiti-

oni

oni reſervari; de ſecundo vero altum ibidem eſſe ſilentium; unde merito concludimus, vi ipſius literæ Concordatorum, quam ſupra in Præfatione ceu primam, & ante reliquas omnes obſervandam interpretationis regulam aſſerimus, nonniſi *primum* beneficium reſervatum, *ſecundum* vero, ſi quis illud retinere cum primo præſumpſerit, liberæ Ordinariorum collationi relictum eſſe, ſiquidem reſervatio non ſupponi, aut præſumi, ſed in claris verbis exprimi, & concludenter demonſtrari debeat. Id ex eo etiam uberius oſtendi poteſt, quod in verbis jam aliquoties relatis: *Sanctiſſimus Dominus noſter* Nicolaus Papa V. *ſuper proviſionibus Eccleſiarum, Beneficiorumque quorumcunque utetur reſervationibus Juris ſcripti, & Conſtitutionibus Execrabilis, & Ad Regimen modificatis, ut ſequitur,* non obſcure aſſeratur, dictas Conſtitutiones per Concordata *moderatas, & attemperatas* fuiſſe: In hoc autem Concordatorum tenore hactenus nobis datum non fuit, notabilem aliquam, inſignem, & cum effectu juris non infrequenter conjunctam dictarum Conſtitutionum modificationem deprehendere, niſi hanc, quod ſecundum Beneficium vi Extravagantis: *Execrabilis* Sedi Apoſtolicæ antea quidem reſervatum, ſed nulla prorſus in tenore Concordatorum ejuſdem reſervationis tam notabilis facta mentione, liberæ Ordinariorum collationi relictum, aut poſtliminio reſtitutum fuerit. Si tamen hæc vera quædam, & realis modificatio ſit dicenda; cum vi Concordatorum clara ſit reſervatio primi Beneficii, quæ tamen vi Conſtitutionis: *Execrabilis* per ſupradicta prætendi haud poteſt.

XXII. Atque ſecundum hæc principia judicium formari debet, ſi ex ipſa Concordatorum litera, quæ legem nobis dedit, argumentari velimus; quanquam, ſi ex praxi a P. Engel *loc. ſupra cit.* & Barbosa aliiſque ibidem allegatis aſſerta, & ſaltem in nonnullis Germaniæ Eccleſiis hactenus uſitata res ſit dimetienda,

Digitized by Google

non diffiteamur, aliud dicendum videri. Conſtat quippe, in caſibus hactenus evenientibus nonnullos Ordinarios Germaniæ non tam de ſecundi, quam primi Beneficii collatione libera, ſi illud aliunde fixa quadam reſervatione Sedi Apoſtolicæ non fuerit reſervatum, & vacatio ejusdem v. g. in menſe Ordinarii occurrerit, cum Curia Romana contendiſſe; proindeque eosdem potius literæ Extravagantis: *Execrabilis*, quam ſuorum Concordatorum inhæſiſſe. Hac autem praxi cum Concordatis tantopere non præjudicetur, ſed magis jura juribus invicem, Summo Pontifici videlicet & Ordinariis inde quæſita, compenſentur, commutenturque; conſuetudo hæc porro non tam nova per eandem inchoetur, quam antiqua, & ante Concordata ſecundum literam Extravagantis jam uſu recepta firmetur, continueturque; non contemnendæ ſuppetunt rationes, cur illa præ ipſa etiam Concordatorum litera adoptata fuiſſe videatur. Verum quidquid ſit, illud tum ex litera Concordatorum, tum ex praxi hactenus vigente non dubitanter aſſerimus, haud ſubſiſtere illam Curialiſtarum prætenſionem, qua non unum tantum, vel alterum, ſed utrumque Beneficium Sedi Apoſtolicæ reſervatum eſſe cupiunt, cum de hac utriusque Beneficii reſervatione, & litera Concordatorum altum ſileat, & praxis hactenus in Eccleſiis Germaniæ obſervata ſatis edoceat, Ordinarios eidem utriusque Beneficii reſervationi reſtitiſſe, quemadmodum, ſi hoc loco nobis vacaret, non uno id etiam recentiori exemplo poſſet commonſtrari. Neque eſt, quod Curialiſtæ, & hos inter præcipue Rigantius *loc. ſupra cit.* ex eo, quod hodie de Stylo Curiæ Reſcripto Proviſionis ſecundi Beneficii addi ſoleat decretum *de primo dimittendo*, ejusdem reſervationem adverſus dictam praxin hactenus in Germania uſitatam concludere velint. Quamvis enim hoc Decretum, ſi quoad effectum cohibendæ reſtringendæque Beneficiorum pluralitatis conſideretur, Eccleſiæ, ac Cathedræ Apoſtolicæ Canonibus omnino conforme, atque humili propterea obedientia ab omnibus ſit ſuſcipiendum; quodſi tamen in ordine ad effectum inducendæ,

ope-

operandæque duplicis, primi ſcilicet & ſecundi Beneficii, Reſervationis ſpectetur, nequaquam Canonibus Cathedræ Apoſtolicæ, ſed Ordinationibus Curiæ Romanæ ex iis, quæ ſupra in Præfatione dicta fuere, accenſendum venit, ut proinde nihil obſtet, quo minus tanquam Clauſula quædam Concordatis poſterior, iisdemque tum ſecundum ſuam literam, tum ſecundum ſolitam hactenus obſervantiam ſatis præjudicioſa cenſeri, atque ex hoc capite vel omnino detrectari, vel ſaltem ex ſolo Stylo, ſine tamen effectu, addita haberi poſſit, debeatque; præterquam quod hoc etiam Decretum nequaquam vim ſententiæ judicialis in Curia latæ habere clare dignoſcatur, per quam ſolam, non vero per quodlibet extrajudiciale Decretum reſervationem cæterorum Beneficiorum vi Extravag. : *Ad Regimen* induci poſſe, ex mox dicendis uberius apparebit.

XXIII. Scilicet in hac Extravagante: *Ad Regimen*, quæ inter *Extravag. comm. Cap. XII. de Præb.* extat, tertia, eaque ampliſſima reſervationum in Concordatis noſtris innovatarum, retentarum, atque ſtabilitarum claſſis continetur. Hæc enim merito inter illas Pontificum Ordinationes refertur, quæ graviſſimas, & ampliſſimas Beneficiorum Eccleſiaſticorum reſervationes inducebat. Unde, quod nonnemini mirum videri poſſet, illud eſt, quod, cum Natio in ſuis ſæpe ſæpius oblatis Gravaminibus pro totali reſervationum abolitione, unica Juris ſcripti reſervatione excepta, nunquam non vehementiſſime inſtitiſſet, *conf. ſupra relata Aviſamenta Moguntinenſia de Anno MCCCCXL*; in ſuis tamen Concordatis per Extravag. : *Ad Regimen.* in pactum deductam reſervationes, quas fere poterat, ampliſſimas Summo Pontifici ſtipularetur. Verum adeo in iis, quæ eidem Summo Pontifici ſancte ſemel, utut ad tempus, appromiſerat, obſervandis fidelis ſemper erat noſtra Natio, ut, quemadmodum in *Præfatione* jam obſervavimus, dum ſecunda hac vice Aſchaffenburgi concordaret, remaneret potiſſimum in placitis, & verbis primorum ſuorum Concordatorum Conſtantienſium, in quibus cum liberum harum

reſervationum curſum reliquiſſet, revocare hic noluit, ſed, quod tunc ad quinquennium ſpoponderat, idipſum hic diutius, imo perpetuo innovare voluit. Quo factum fuit, ut dicta Extravagans, quamvis originetenus eſſet temporaria, & ad vitam Authoris Benedicti XII. duntaxat perſiſtens, „donec nimirum miſeratio„nis divinæ clementia Nos univerſalis Eccleſiæ Regimini præeſſe conceſſerit; neque aliter etiam a ſuccedentibus Pontificibus reaſſumeretur, innovareturque; ex eo tamen, quod Concordatis noſtris quoad totam ſuam latitudinem, paucis attemperatis, quæ in decurſu annotanda erunt, insereretur, atque in iisdem confirmaretur, quandam perpetuitatem ſibi acquireret, non quidem eam, quam paulo ſuperius reſervationi Juris ſcripti ineſſe diximus, hæc enim ſpecialis ejusdem, & aliis reſervationibus non communicata prærogativa eſt, ſed talem, qualis ipſis etiam Regulis Cancellariæ competit, quemadmodum in *Diſſertatione noſtra generali de Concord. Cap. II. Sect. II. §. I. & ſeqq.* uberius, & ex profeſſo fuit commonſtratum: hoc interea diſcriminis inter Regulas Cancellariæ, & noſtra Concordata ſolum remanente, quod *illæ* nova ſemper promulgatione reſuſcitativa in Curia indigeant, atque inde a quolibet Pontifice altero aſſumptionis die noviter publicentur; *hæc* vero, absque nova promulgatione interveniente, jam primo factæ Electionis die obligare noviter incipiant, ſive potius, ut rectius, & accuratius loquamur, electo rurſus novo Pontifice, nullo alio accedente, exiſtit iterum caſus, in quo quoad duo potiſſimum capita, Reſervationum ſcilicet, & alternativæ, ex Concordatis obligatio reviviſcit.

XXIV. Duplex autem eſt generalis reſervatio, hac in Extravagante contenta, & in Concordatis ſtabilita: altera Beneficia *quocunque modo apud Sedem Apoſtolicam*, altera *per obitum certorum Curialiſtarum*, vel officialium, aliorumque in Curia degentium vacantia reſervantur. Variæ autem utriusque, & præſertim prioris ſpecies, licet non ordine ad hanc diviſionem inſtituto, in textu tum Extravagantis, tum Concordatorum recen-

Digitized by Google

recenſentur, in quibus tamen hic referendis ſeriem earundem juxta adductam diviſionem adornabimus tanquam magis ſyſtematicam, & ad juvandam memoriam faciliorem, ita tamen ut ipſe Concordatorum textus ne in ullo ſit prætereundus. *Priore* igitur loco reſervantur, *Dignitates, & beneficia quæcunque, & qualiacunque, quocunque etiam modo ad illa alias perſonæ conſueverint, vel debuerint aſſumi, nunc apud Sedem Apoſtolicam, quocunque modo vacantia & impoſterum vacatura.* Conſtat ex ſuperius dictis, Dignitates & Beneficia quæcunque & qualiacunque apud Sedem Apoſtolicam, vel etiam in locis Curiæ Romanæ vicinis præciſe per caſum obitus, ſeu mortis naturalis vacantia jam per Jus Scriptum reſervata eſſe. Qui tamen eandem reſervationem ultra caſum obitus ad eas etiam Dignitates, & Beneficia, quæ quocunque modo, h. e. non tantum per mortem Beneficiati, aut in Dignitate Eccleſiaſtica conſtituti apud Sedem Apoſtolicam, vel in locis vicinis contingentem, ſed quocunque etiam alio modo apud Sedem Apoſtolicam vacarent, extenderet, fuit JOANNES XXII. *in Extravag. Ex debito. de Elect.*, quem deinde BENEDICTUS XII. ejusdem ſucceſſor inſecutus eandem extenſionem innovavit in ſua Extravagante: *Ad Regimen*, ex qua & locum ea in noſtris Concordatis obtinuit; inde autem prone conſequitur, quod & ſollicite hic obſervari cupimus, hanc extenſionem reſervationis Beneficiorum in Curia vacantium nequaquam ad ipſam Juris Scripti reſervationem trahi, iisdemque cum ea privilegiis, & favoribus gaudere poſſe; ſed eam ſecundum regulas reſervationum communes æſtimandam & habendam eſſe, quemadmodum jam ſupra ſatis oſtenſum fuit.

XXV. * Hac autem reſervatione ita generaliter introducta, & ſtabilita variæ ejus tum in Extravagante: *Ad Regimen*, tum in noſtris Concordatis ſpecies enumerantur, ceu in quibus obtinere reſervationem generaliter præſtabilitam declaratur. Prima eſt,

ſi per

ſi per diſpoſitionem vel privationem per Pontificem, ſeu authoritate ejusdem factam Dignitatem, vel Beneficium contingat vacare. *Depoſitio* in *Dignitatibus*, *privatio* in *Beneficiis* Eccleſiaſticis locum habet. Siquis igitur ab ipſo Summo Pontifice, ſive ejusdem authoritate vel a Dignitate deponitur, vel ſuo Beneficio privatur, vacare dicitur vel Dignitas vel Beneficium, qua in Dignitate vel Beneficio novum Prælatum, aut Miniſtrum conſtituere, vi hujus loci eidem Summo Pontifici reſervatum eſt. Omnino autem animadvertenda ſunt verba illa: *per Nos, ſeu Authoritate noſtra:* queis indubitate dignoſcitur, introductam reſervationem haud aliter locum habere, quam ſi per *ſententiam judicialem*, vel ab ipſo Summo Pontifice, vel ejusdem ſaltem authoritate latam, nequaquam vero in caſu, quo vel ab Ordinario, vel ab ipſa Lege ſive Canone, vel communi Clauſula depoſitionem vel privationem fieri contingat. Quandoquidem vero hodie, præſertim poſt Concordata, complures extent Leges Pontificiæ, quibus Beneficiati certa delicta Eccleſiaſtica committentes ſuis Beneficiis ipſo jure privati declarantur, nequaquam tamen dicendum eſt, tali caſu dictæ noſtræ reſervationi locum eſſe, cum pœna depoſitionis vel privationis non ſententia quadam judiciali, authoritate Pontificia in certam perſonam lata eamque afficiente, ſed ipſo jure & Canone ſtatuta & indefinite decreta dignoſcatur. *Conf. Diſſert. Gener. de hac materia Cap. III. Sect. II. §. VIII. ſeqq.*, quo loco huc pertinentia jam abundantius diſcuſſa, & quæ in contrarium a Brandenio potiſſimum afferuntur, fuſius reſoluta fuere.

XXVI. * Altera ſpecies exprimitur in verbis: *per translationem per nos, ſeu authoritate noſtra factam.* Equidem ante Sæculum X. *translatio* Prælatorum, imo etiam Epiſcoporum Germaniæ de una ad alteram Eccleſiam nunquam per Summum Pontificem, ejusve Authoritate, ſed ſemper in *Concilio Provinciali*, ejusdemque judicio & authoritate fiebat. Inter alios, quos locupletiſſimos exhibet *Decretum* Gratiani *cauſ. LXXII.*, Canones con-

fera-

ferатur tantum *Can. XXXVII.*, qui eſt Canon XXIV. *Concilii Carthaginenſis IV.*, ex quo hic dicta a nobis abundantiſſime patefcent. Circa tempora autem ejusdem Sæculi X. *paulatim* ad Sedem Apoſtolicam devolvi cœpiſſe *Epiſcoporum translationes*, & majoribus cauſis, quæ ſub idem tempus Sedi Apoſtolicæ reſervari cœperunt, tunc annumeratas fuiſſe, teſtatur THOMASSINUS *de Diſcipl. V. & N. part. III. L. II. Cap. II.* Non tamen id univerſaliter, præſertim in noſtris Eccleſiis Germanicis obtinuiſſe, inde conficitur, quod Sæculo adhuc XII. medio, tempore videlicet Eugenii III., caſus extiterit, quo GUICMANNUS Epiſcopus *Cuenſis* ad Archi-Epiſcopatum *Magdeburgenſem*, haud accedente authoritate ejusdem Pontificis, translatus fuit; & quamvis hæc translatio ab eodem Summo Pontifice impugnaretur, non tamen Pontifex conqueritur, quod GUICMANNUS ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ de Cuenſi ad Magdeburgenſem Eccleſiam translatus fuerit, ſed duntaxat conqueritur, quod hac translatione ſolius Pontificis favor exſpectetur, & nec inſpecta neceſſitate illius Eccleſiæ, nec utilitate Perſonæ penſata, Clero nolente, imo, ut dicitur, ei parte maxima reclamante in Magdeburgenſem Eccleſiam eum dicant ſupplantandum. *Conf.* ESPENIUS *Suppl. part. I. Tit. XV. ad num. XVI.* In eodem vero adhuc Sæculo XII. tempore INNOCENTII III. Summi Pontificis univerſaliter, & præſertim etiam in Eccleſiis Germanicis inter Cauſas majores Summo Pontifici privative reſervatas translationem relatam eſſe, indubie dignoſcitur *ex Cap. II. III. & IV. de translatione*, quorum duo poſteriora in celebri caſu CONRADI a RAVENSBURG ab Eccleſia *Hildeſienſi* ad *Herbipolenſem* translati edita fuere, cujus rei integra & notanda ſeries hiſtorica refertur, & huc conferri poterit ex ESPENIO *Comment. in Jus nov. Canon. Sect. II. fol.* 604. & ex GONZALEZ. in *Comment. ad hæc Capit.* Ab hoc igitur tempore eſt, & manſit translatio reſervatum Pontificium, eſtque actus Conſiſtorialis, qui in Conſiſtorio Romani Pontificis pluribus cum ſolennitatibus intervenientibus ſolet expediri. Facta autem translatione, olim in Conciliis Provincialibus, nunc in

Conſiſtorio Pontificis fieri ſolita, inducitur vacatio illius Eccleſiæ, a qua translatio facta eſt, cujus nova Proviſio etiam eo adhuc tempore, quo in cauſam majorem Summo Pontifici reſervatam jam evaſit, ad Ordinarios Collatores vel Electores diu pertinebat. Nulla enim ante Papas Avennionenſes extat Conſtitutio Pontificia, in qua Collatio Dignitatis per translationem vacantis Sedi Apoſtolicæ reſervata fuerit. Beneficii, a quo quis transfertur, Collatio (id quod ordinarie in caſu ſic dictæ Beneficiorum permutationis contingit) adhucdum hodie ex notoria, & quotidiana praxi ad locorum Ordinarios pertinere dignoſcitur. Nonnullorum igitur ſuorum Anteceſſorum (Avennionenſium ſcilicet) veſtigiis inſiſtens, ut ipſemet hic in Concordatis Pontifex loquitur in ſua Extravagante: *Ad Regimen*, Dignitates, mediante translatione, vacantes in verbis ſupra relatis Sedi Apoſtolicæ privative reſervavit, quæ cum verbotenus quoad hunc paſſum Concordatis inſerta legatur, in vim eorundem obtinet, ut, ſiquem ab una Dignitate in aliam hodie transferri contingat, prior etiam Dignitas, a qua quis translatus eſt, Sedi Apoſtolicæ reſervata eſſe cenſeatur. Solent tamen contra hanc rerſervationem Capitula Germaniæ ſibi ordinarie conſulere per indultum de eligendo, quod quidem mera eſt gratia Apoſtolica, in caſibus tamen hactenus evenientibus conceſſum plerumque legitur. Caſu autem, quo tale indultum detrectaret Summus Pontifex, libera ſaltem haud quaquam eidem eſſe poteſt, non audito, & diſſentiente Capitulo, Prælati translatio, quia ſic revera fieret illi Capitulo grave præjudicium, ceu quod pro illa vice jure, quo alias gauderet, eligendi libero, invitum privaretur. Invitos equidem Epiſcopos transferri a Pontifice poſſe, Canoniſtæ paſſim docent, *vid.* Fagnanus *ad Cap. III. de translatione*, quod variis exemplis illuſtrat Thomassinus *de V. & N. Eccl. diſcipl. P. II. L. II Cap.* LXIV. *n.* VIII. ſeqq., quales tamen translationes (invitis præſertim non tam Epiſcopis, quam Capitulis jure eligendi libero perfruentibus) in Germania fieri nequeunt reclamantibus Concordatis, veluti non per-

peram

Digitized by Google

peram aſſerere videtur BOEHMERUS *Jur. Eccleſ. Proteſt. L. I. de transl.* §. *XVIII.* Et, ſi, prout ESPENIUS *Jur. Univ. Eccl. Part. I. Tit. XV. Cap. IV.* §. *XXI.* teſtatur, uſu notorio receptum ſit, quod, ubi Reges ad Epiſcopatus jus nominandi habent, nequaquam *ſine conſenſu Regis* translatio fieri poſſit, quemadmodum id etiam ſpecialiter tum de Regno Galliæ ex REBUFFO *in praxi Tit. de translat. Epiſcop.* & JOANNE TORNET *in ſua collectione Arreſtorum Lit. R. Cap.* LXXXII., tum de provinciis Belgicis ex eodem ESPENII loco conſtat; nulla ſane apparet ratio, cur is ipſe conſenſus in Germania Capitulis in ordine, ut poſtea libera eligendi facultate careant, denegari velit, ſiquidem, ſicut Reges jure nominandi, ſic & illa libero jure eligendi ex Concordatis gaudeant. Cæterum, quod experientia ſatis teſtatur, hodie in noſtra Germania tam frequens translationis uſus non eſt, cum a multo jam tempore illud ſolum famigeratum translationis exemplum habeatur ab uno reali Germaniæ Epiſcopatu ad alium, quo Dux Neoburgicus ab Archi-Epiſcopatu Trevirenſi ad Moguntinum translatus fuit, id quod ex ratione legum Imperii publicarum fieri neceſſario debuit, vi quarum penes unam perſonam duo Electoratus, quo tamen uterque Archi-Epiſcopatus inſignitus eſt, reſidere nequeunt. Frequentius in noſtra Germania vigere cernimus pluralitatem Epiſcopatuum, quæ in regula Canonibus maxime inviſa ſemper fuit; quodſi tamen juſta, rationabilisque cauſa adſit, pro quali indubie in noſtra Germania favor Religionis, ut ſcilicet pari ſemper adverſus præpotentes ſuos adverſarios potentia Epiſcopi communiantur, conſiderari debet, eas non omnino improbandas eſſe, ſed præſertim, ſi intentus hic finis inde obtineatur, cum ſumma ratio ſit, quæ pro religione facit, juſtificari ſatis poſſe, etiam aliunde ex principiis de legitime obtinenda diſpenſatione abunde conſtat.

XXVII. * Poſthæc in Extrav.: *Ad Regimen* dicta Reſervatio locum habere declaratur caſu, quo Dignitatem, vel Beneficium *per muneris conſecrationis ſuſpenſionem*, vel ut alii legunt, *ſuſceptionem* vacare contingeret. Quoniam tamen in noſtris Concordatis

Digitized by Google

ſub utraque forma conceptis caſus iſte expreſſus non legitur, commentatione uberiore hoc loco opus eſſe haud videtur. Tertia autem ſpecies ad Reſervationem allatam pertinens ipſis etiam Concordatis inſerta hiſce ibidem verbis recenſetur: *nec non ad quæ Beneficia vel Dignitates aliqui in concordia ſeu diſcordia electi vel poſtulati fuerint, quorum electio caſſata, ſeu poſtulatio repulſa .... extiterit, ſeu quorum electorum ſeu poſtulatorum, & in antea eligendorum vel poſtulandorum electionem caſſari, ſeu poſtulationem repelli .... per Nos, aut authoritate noſtra contigerit.* Reſervantur itaque hoc loco Summo Pontifici Dignitates & Beneficia electiva in caſu, quo electio vel poſtulatio de certa quadam perſona facta in Curia Romana caſſetur reſpective, vel repellatur, ſive non admittatur. Quandoquidem vero hic caſus omnino cum illa materia incidit, quam in ſubſequenti Capite ſeparatim, & ſpecialiter examinandam deſtinavimus, eo conſultius hoc loco uberioribus abſtinemus, quo magis præſentis Capitis limites ultra modum nobis præfixum jam excrevere. *Conferatur hic Caput ſubſequens hujus Diſſertationis Num. XVI. & XVII.*

XXVIII. * Quarta ſpecies dictæ generalis reſervationis refertur in verbis Concordatorum mox allato paſſui intermixtis, & eundem cum illo ſenſum conſtruentibus: *vel per eos facta renuntiatio, & admiſſa authoritate noſtra extiterit .... aut renuntiationem admitti per Nos, aut authoritate noſtra (in antea) contigerit.* Hoc nimirum caſu reſervantur Dignitates & Beneficia per reſignationem coram Summo Pontifice factam vacantia. Quippe omnem *reſignationem* coram *aliquo ſuperiore*, ejusque *interveniente authoritate* fieri debere, regula eſt Canonibus indubitatiſſima. *Confer. Cap. IV. de Renunt.* Superior iſte vel eſt Ordinarius, vel eſt Summus Pontifex. In certis tamen reſignationum

onum caſibus authoritas Ordinarii non ſufficit, ſed Summi Pontificis interveniat, omnino neceſſe eſt. Sic reſignatio *Epiſcopatuum* quæcunque ſemper coram Summo Pontifice, tanquam *una ex cauſis majoribus*, fieri debet; quodſi facta, & a Summo Pontifice admiſſa fuerit, nova proviſio vacantis per talem reſignationem Epiſcopatus vi reſervationis inductæ ad eundem Summum Pontificem pertinet. Solet tamen in Reſignationibus Epiſcopatuum abſolutis Summus Pontifex Capitulo ſupplicanti concedere indultum eligendi, quod tamen in conſequentiam & neceſſitatem trahi non poteſt. Atque inde ex voto Congregationis particularis ſimile indultum denegatum fuit Capitulo *Auguſtano* occaſione renuntiationis ejusdem Eccleſiæ factæ in manibus Summi Pontificis, non obſtantibus aliis caſibus & exemplis. Oretenus tamen eidem Capitulo inſinuatum fuit, ut Capitulum pro illa vice proponeret duas, aut tres perſonas, ſupplicando Pontifici, ut de una earum Eccleſiæ *Auguſtanæ* providere dignaretur. Refert hæc RIGANTIUS *Comment. in Reg. I. Cancell.* §. *I. n.* 309. Reſignationes *inferiorum Beneficiorum* quod attinet, ſi ſint vel *abſolutæ*, vel *cauſa permutationis* fiant, ab Ordinario etiam admitti omnino poſſunt. Quodſi vero ſint *in favorem*, ſecundum hodiernam diſciplinam ſolius Summi Pontificis ſuprema intercedat authoritas, neceſſe eſt, quatenus ſic recurſu reddito difficiliori harum ſaltem multiplicatio cohibeatur, quamvis antehac ab ipſis etiam Ordinariis tales reſignationes admiſſas fuiſſe conſtet. Unde autem ſit, quod in ſimilibus reſignationibus authoritas Summi Pontificis requiratur, nequaquam ex eo videtur deſumi poſſe, quod, ut inquit ANDREAS VALLENSIS *Tr. de Benef. L. III. Tit. XXVIII. n.* 2., & cum eo alii Canoniſtæ, conditio appoſita inducat Simoniam, ſecundum Gloſſam, & plerosque Doctores, quam ſolus Pontifex, non etiam Ordinarius, vel Legatus purgare poteſt. Hanc enim ſi ejusmodi reſignationi ſubeſſe ſemel conſtet, tunc ne vel ipſa etiam authoritas Summi Pontificis ſufficiens creditur, quæ quidem eo pertingit, ut pœnas, quas ob commiſſam jam Simoniam quis incurrit, vel mitiget,

get, vel omnino remittat, non autem ut ex actu Simoniaco poſſit facere non Simoniacum; quippe Canones Simoniam prohibentes fundantur in principiis Juris Divini, Naturalis, & Poſitivi; ſunt proinde Canones immobiles, qui nulla authoritate humana etiam ſuprema & Pontificia immutari queunt. Potius ergo dicendum, ex eo præciſe ſupremam Pontificis authoritatem hoc in caſu requiri, quod ſibi ſoli reſervaverit Pontifex poteſtatem cognoſcendi, an ratio ſit ſufficiens, ut in Canonibus, qui prohibent, quod quis ſibi ſucceſſorem nominet, diſpenſandum ſit, hacque cognita diſpenſationem largiendi. Sed hæc incidenter. Ut vero ad ſcopum noſtrum revertamur, apparet ex hactenus dictis, quod caſus reſervationis, de quo in ſubſtrato agitur, plerumque contingat, ſi reſignatio in favorem inſtituatur. Hæc autem ut plenum ſuum effectum habeat, & in vim ejusdem Beneficium reſignatum cenſeatur vacare, requiritur juxta regulam Cancellariæ *de viginti*, ſive *de infirmis reſignantibus*, ut reſignans, ſi *in infirmitate* reſignaverit, *viginti dies a die præſtiti conſenſus* in reſignationem, ſuper vivat. Hos ſi non ſupervixerit, Beneficium non per reſignationem, ſed per obitum vacare dicendum eſt, ut inquit dicta Regula. Quodſi proinde illud Beneficium aliunde non ſit reſervatum, v. g. quod non vacet in Curia, vel in menſe Papali, ſubintrat, & in ſalvo manet libera Ordinariis poſtliminio ab habitu ad actum, juxta Jus antiquum & primigenium, reducta Collatio, quam nulla diſpoſitione turbare aut impedire, diſertis verbis in §. *De cæteris* Summus Pontifex promiſit. Unde ſufficienter colligere eſt, quid ſentiendum de eo, quod hodie communiter, & de ſtylo Curiæ derogari ſoleat allegatæ regulæ per inſertam Reſcripto hanc ſimilemve clauſulam, *non obſtante Regula de viginti:* ita ut in vim hujus Clauſulæ Beneficium reſignatum, etiamſi reſignans dictos viginti dies non ſupervixerit, contra apertum tam ſalutaris regulæ tenorem per reſignationem vacare cenſeatur. Quamvis enim hujus derogationis in Gallia liberior curſus vigeat, eo quod ibidem Jus præventionis ſuum adhucdum hodie locum habeat; alia tamen om-

omnia in noſtra Germania vel ex hoc ipſo capite dicenda eſſe liquet, quod juxta §. *V. Sect. II. Cap. II. Diſſertationis noſtræ generalis* dictum Jus præventionis apud nos exulet penitus, & ignoretur. Igitur nonniſi cum ſummo Juris Ordinariorum præjudicio hæc dictæ regulæ derogatio in noſtra Germania admitteretur; quale tamen præjudicium cum unice in cauſa ſit, cur in caſu Reſervationis vel vacationis in Curia derogatio hujus Regulæ vel plane non, vel ſaltem, ut Chockier ait *num.* 34. *ad hanc Reg.* non tam facile admittatur, quatenus ita ſalva manente, & non derogata Regula ipſa libera Beneficiorum illorum collatio Summo Pontifici ſalva maneat, & conſervetur; Ordinariis Germaniæ haud, credimus, ſuccenſendum erit, ſi & illi hoc ſibi ſuoque libero Juri per ſubinductam dictam clauſulam derogatoriam imminens præjudicium quovis meliori modo ſtudeant abs ſe amoliri, incitati maxime exemplo Belgarum, apud quos, cum alternativa menſium nulla præventione impedienda pariter vigeat, dicta Clauſula derogatoria nunquam admiſſa fuit, neque hodie admittitur, ut patet ex Exemplis ab Espenio *Jur. Eccl. Univ. Part. II. Tit. XXVII. Cap. V.* §. *XXXII.* allatis, ex quibus colligitur, Bullis Pontificiis eadem hac Clauſula munitis in allatis ibidem caſibus Placitum Regium denegatum fuiſſe, easque propterea, ut ajunt, *inexequibiles* manſiſſe. Quibus omnibus demum accedit, quod ex eo quoque non ſatis laudanda, & approbanda videatur hæc Clauſula, quod Styli ſit, et, ut inquit Molinæus *in Comment. ad hanc Regulam*: „paſſim ſine delectu fiat (hæc derogatio) additis quinque ducatis, unde nemo non videt, abuſum & illuſionem eſſe, quaſi „hæc Regula nundinationis cauſa facta ſit, utque carius Bullæ veneant.„ Quamvis igitur verba, quibus hæc retulit Molinæus, aſperiora, & nobis minus reverentialia videantur, atque propterea per factam hoc loco eorundem inſertionem (quod expreſſe proteſtamur) nequaquam a nobis adoptentur, approprienturque; illud tamen ipſa experientia ſatis edocet, ſaluberrimam illam *de infirmis reſignantibus* regulam promiſcua hac, & arbitraria derogati-

gatione fere inutilem & ſuperfluam hodie non ſine offenſa Catholicorum & Proteſtantium hiſce in partibus reddi, eamque proin eſſe de illis praxibus, de quibus viri, uti purpura, ita doctrina conſpicui ſentiunt, expedire illas, in Curiam invectas non eſſe, nec ibi retineri.

XXIX. * Quinta hujus reſervationis ſpecies conſtituitur in Dignitatibus & Beneficiis etiam electivis per promotionem in Curia Romana factam vacantibus, id quod iſtis Concordatorum verbis exprimitur: *Rurſus Monaſteria, Prioratus, & Decanatus, Dignitates, & Perſonatus, Adminiſtrationes, Officia, Canonicatus, Præbendas & Eccleſias, cæteraque Beneficia Eccleſiaſtica, ſæcularia, & Regularia, cum cura, vel ſine Cura, quæcunque & qualiacunque fuerint; etiamſi ad illam perſonæ conſueverint ſeu debuerint per Electionem, ſeu quemvis alium modum aſſumi, quæ promoti per Nos vel authoritate noſtra ad Patriarchalium, Archi-Epiſcopalium, & Epiſcopalium Eccleſiarum, nec non Monaſteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipſis factarum, nunc quocunque modo vacantia, aut impoſterum vacatura &c.* Si quem nimirum ad Eccleſiam aliquam Patriarchalem, Archi - vel Epiſcopalem, vel etiam Dignitatem Abbatialem, ſi nimirum Abbatia Conſiſtorialis eſt, ut vocant, in Curia per Summum Pontificem, vel Ejus authoritate, id eſt, mediante Pontificia confirmatione, & authoritate ejusdem ſuſcepta conſecratione contingat promoveri, omnes Dignitates & Beneficia, Regularia vel Sæcularia, curata, & non curata etiam electivaantea habita, & poſſeſſa ab eo, qui dicto modo ad Epiſcopalem vel Abbatialem Dignitatem promovetur, tanquam cum obtenta nova Dignitate incompatibilia vacare cenſentur, & allatis Concordatorum verbis privativæ Summi Pontificis diſpoſitioni reſervantur.

Notan-

Digitized by Google

Notanter autem adjecta ſunt verba illa: *Per Nos, vel authoritate noſtra.* Ex hiſce enim illud ſufficienter intelligitur, eorum Beneficia nequaquam in vim hujus loci reſervata eſſe, qui aliunde, & extra Curiam Romanam promoventur, & confirmantur; ſiquem proinde ad Dignitatem Abbatialem ejusmodi, quæ non eſt Conſiſtorialis, vel quæ Conſiſtoriali illa Summi Pontificis confirmatione non eget, ſed cujus confirmatio ab Ordinario, vel ab Ordinis Generali haberi poteſt, contingat promoveri, Beneficia ejusmodi, utut incompatibilia, adeoque per obtentam ejusmodi dignitatem Abbatialem vacantia, nequaquam tamen ſub inducta hic reſervatione comprehendi; cum in dicto caſu non per Summum Pontificem, aut ejusdem authoritate promotio aut confirmatio fiat, ſed vel ab Ordinario, vel ab alio, ſive alterius cujusvis authoritate, ad quem ſcilicet de Jure, & obſervantia locorum pertinet. In hiſce verbis non omnino infundata eſſe deprehenditur illa deductio P. ENGEL *Colleg. Jur. Can. L. III. Tit. V. §. II. de Præb. & Dign. n.* 16. *ſub fin.*, vi cujus prætendit Beneficia ante habita & poſſeſſa ab iis, quos ad quatuor Epiſcopatus *Secovienſem*, *Lavantinum*, *Chiemenſem & Gurcenſem* contingat promoveri, hac quoque reſervatione non comprehendi; ſiquidem hi promoti, non in Curia a Summo Pontifice, ſed ab Archi-Epiſcopo Salisburgenſi ſuam confirmationem obtineant. Huic tamen Salisburgenſium prætenſioni jam ſæpius contradixit Romana Curia, quod cenſeat dictam Salisburgenſis confirmationem revera nomine Summi Pontificis, adeoque quamvis non ab ipſo Summo Pontifice, ejusdem ſaltem *authoritate* fieri; atque inde etiam citatæ deductioni P. ENGEL in occaſionis evenientia ſpecialem, & ſatis amplum diſcurſum oppoſuit RIGANTIUS, quem integrum inſeruit ſuis *Comment. in Reg. I. Cancell.* §. *VII. n.* 15. *ſeqq.*, quique huc conferri, & cum argumentis a P. ENGEL *cit. loc.* adductis comparari, atque ex iisdem argumentorum allatorum forte ſufficiens ſolutio hauriri, aut exinde etiam veroſimiliter ſatis reſponderi poterit, ſi oſtenderetur, præſervatum hoc Jus contra ſubinductas etiam re-

ſervationes pontificias in vigore deinceps ſuperſtitiſſe, per conſequens tranſactionis, ſive Concordatorum ſubſequentium objectum pariter haud extitiſſe, & ſic amplius quidquam ex Jure antiquo circa poteſtatem confirmandi etiam ultra Concordata Archiepiſcopatui Salisburgenſi reliquum manſiſſe. Cum vero nobis hoc loco non vacet, materiis ſpecialiſſimis diutius immorari; vel annotaſſe tantum ſufficiat, ſub nomine Eccleſiarum Patriarchalium, Archi- & Epiſcopalium indigitari ſolum Eccleſias ejusmodi *vere tales*, & ut vocant, *effectivas*, neutiquam vero *titulares*, ad quas in noſtra Germania illi ſolent promoveri, qui Archi- & Epiſcoporum in noſtra Germania, ceu quorum Archi- & Diœceſes admodum amplæ ſunt, Vicarios agunt in Pontificalibus, & vulgo Suffraganei Weyh-Biſchöffe dicuntur; horum enim beneficia ante poſſeſſa per promotionem ad tales Patriarchatus, Archi- & Epiſcopatus Titulares nequaquam in eam, de qua nobis hic ſermo eſt, reſervationem cadere, ipſi etiam Curialiſtæ fatentur, prout videre eſt apud cit. RIGANTIUM *loc. ante cit. n. 77. & ſeqq.* Aëra proinde verberaremus, ſi longiori diſcurſu hæc evincere contra ignotos adverſarios allaboraremus.

XXX. Duo vero ſunt alia, quæ circa Beneficia *verorum, & effectivorum Epiſcoporum* antea habita Curialiſtas inter, & Germanos Authores acrius diſputantur. *Primum* in eo eſt, an promovendi ad Epiſcopatum in noſtra Germania tempore inter vacationem Prælaturæ, & ſubſequentem ſuam promotionem intermedio Beneficia antehac habita contra expreſſam prohibitionem Reg. XXVI. Cancellariæ reſignare poſſint? Practicari multoties cernimus, quod Neo-Electi Epiſcopi tempore inter Electionem & Confirmationem intermedio, antequam ſcilicet Confirmationem petant, ſuum, quem antea in Eccleſia Cathedrali, ad quam electi ſunt, Canonicatum habuerant, in menſe Turnarii, non obſtante hac Regula Cancellariæ, reſignare ſoleant. Et quamvis nonnunquam talia Beneficia a promovendis reſignata aliis dein Romæ collata fuerint, in Germania tamen his Collatariis execu-

tio

tio ſæpe ſæpius denegata fuit. Et recte quidem, ſicut inter alios P. Engel *Coll. Jur. Can. L. III. Tit. V.* §. *III. n.* 37. ſatis validis rationibus commonſtrat. Quippe Concordatis Germaniæ non eſt inſerta dicta Regula, ſed ſola Extravagans: *Ad Regimen* ſecundum ſuam literam; vi hujus autem Extravagantis illa tantum Beneficia reſervata ſunt Summo Pontifici, quæ vacant tempore & ratione ipſius promotionis; de cætero per illam Extravagantis literam in Concordatis relatam ne uno quidem verbo talis antecedanea reſignatio prohibetur; igitur hanc practicando, utuntur Jure ſuo Neo-Electi; & cum Concordata Ordinariorum aliorumque poteſtatem ultra modo dictam & inſertam Extravagantem noluerint reſtringere, recte deduci videtur, ejusmodi reſignationem per eadem in præjudicium Ordinariorum coarctatam non fuiſſe. Fruſtra porro opponunt Curialiſtæ, mox allatam Regulam Cancellariæ, quæ prohibet reſignationem Beneficiorum alias vacaturorum per promotionem in Curia, eſſe tantum declarationem Extravagantis ad Regimen, & antiquioris reſervationis jam ipſis Concordatis inſertæ, non vero novam reſervationem: nam in effectu juxta antea dicta videtur nova omnino eſſe reſervatio, quæ contra Concordata Ordinariorum poteſtatem magis reſtringit. Proin ejusmodi Declaratio, non mere declaratoria, ſed extenſiva vel reſpective reſtrictiva dici deberet; imo ſi etiam pura tantum eſſet declaratio, hoc ipſo, quod a ſolo Summo Pontifice emanaſſet, non ſatis firma in uſu Concordatorum ſubſiſteret; quippe Concordata non ſunt mera lex Eccleſiaſtica, ſed ex eo, quod pacto publico intercedente confecta fuere, naturam Legis & Conſtitutionis Imperii pragmaticæ ſimul habent, ea proinde declarare, & interpretari non ad ſolum Summum Pontificem, ſed & ad Imperatorem, & Principes Imperii ex jam ſupra dictis pertinere dignoſcitur.

XXXI. Alterum, quod Curialiſtas inter & Germanos controvertitur, eſt ratione illorum Beneficiorum, quæ hodie ab effectivis, uti vocant, Epiſcopis in Germania poſt factam, ad E-

piſcopalem dignitatem, in Curia Romana promotionem vi Pontificii Indulti deſuper impetrati ſolent retineri. Contingente enim ejuscemodi Beneficiorum ex ita dicto Indulto retentionis poſſeſſorum per obitum Epiſcopi vacatione novam eorundem collationem in vim noſtri, de quo hoc loco agimus, Concordatorum textus Sedi Apoſtolicæ privative adhucdum reſervatam Curialiſtæ prætendunt ex eo potiſſimum capite, quod præfati Indulti impetratio haud importet novam conceſſionem, utpote quæ deberet fieri alteri tertio, quin potius inducat & operetur manus Papalis appoſitionem, qua Beneficia ejusmodi tam diu manent affecta, uſque dum dicta manus Papalis appoſitio per novam ab eodem Summo Pontifice alteri factam conceſſionem fuerit ſublata. Quibus tamen omnibus, ceu meris ſubtilitatibus, quas recta Concordatorum interpretatio extreme vult vitari, haud convictos ſe Germani Auctores credunt, ſiquidem (*a*) gratis omnino, & absque ſolido fundamento aſſeri velit, conceſſam illam ope Indulti Beneficiorum retentionem non eſſe veram & novam collationem, inductæ per ante factam in Curia promotionem vacationis & reſervationis conſummativam; cum nihil nobis diſcriminis ſubeſſe videatur, utrum Summus Pontifex Beneficium ſuæ diſpoſitioni per dictam promotionem delatum alteri, an eidem promoto concedat, eoquod huic æque, ac alteri vera ac realis gratia a munificentia Summi Pontificis profecta obveniat in acceptis Eidem Summo Pontifici jugiter referenda. Quemadmodum vero, ſi alteri vacantis per promotionem Beneficii Collatio a Summo Pontifice facta fuerit, inducta antea reſervatio tanquam plene & perfecte conſummata ceſſare impoſterum omnino debet; ita pariter per dictum Indultum retentionis, utpote nulla reapſe exinde remanente collationis ſuſpenſione, ſuum effectum eandem conſecutam eſſe, ratum plane & expeditum habemus; cum Regula Juris ſit notoria, de paribus, quæ inter ſcilicet nulla diverſitatis ratio vel a longe deprehendi poteſt, par & idem judicium formandum eſſe. Præterea (*b*) vel

ex

ex ipſa, quam paulo ſuperius attulimus, Concordatorum litera ineluctabiliter conſtat, dictæ hactenus reſervationi tunc ſolum locum eſſe, cum Beneficia per promotionem in Curia factam vacare contingat; Quis vero clariſſime non perſpicit, vacationem Beneficiorum ope Indulti retentorum in caſu noſtro non amplius per promotionem, ſed per obitum contingere; qui cum, uti ſupponitur, nec in Curia, aut locis vicinis, nec in Menſe Papali eveniat, liberæ Ordinariorum collationi in vim §. III. *Concord.*: *De Cæteris* locus eſſe liquidiſſime dignoſcitur; Atque hujus (*c*) vim & robur argumenti ſatis, credimus, Curialiſtæ ipſimet adverterunt, cum ad eam infringendam elidendamque, clauſulam illam hodiernis retentionum Indultis non infrequenter adnecti ſolitam: *Suſpenſo vacationis effectu* (ſcilicet uſque ad obitum Promoti) de ſtylo ſuo recentiori introduxerint. Quam parum vero novitia hacce clauſula Curialiſtæ juventur, abunde jam innoteſcit ex generalibus illis in Præfatione præmiſſis principiis, quibus demonſtratum, nullam unilateralem Conſtitutionem, Declarationem, Clauſulam, aut quamvis aliam diſpoſitionem in præjudicium & infractionem Concordatorum allegari poſſe, ſed ſimilia omnia a parte compaciſcente altera & gravata jure meritiſſimo detrectari. Neque porro (*d*) hiſce hactenus deductis præjudicare quidquam valet multum celebrata illa apud Curialiſtas, & recentiori hac clauſula modo adducta nonnihil quidem antiquior, perperam tamen hoc aliiſque Concordatorum noſtrorum locis applicata manus Papalis appoſitio; ſiquidem inconteſtabilibus mox citati §. III. verbis ſancte promittat, & aſſeveret Summus Pontifex, ſe per *quamvis* aliam diſpoſitionem ſub quacunque forma per ſe aut ſua authoritate factam vel faciendam non impediturum, quominus in Beneficiis in menſe Ordinarii vacantibus *libere* diſponatur per illos, ad quos collatio, proviſio, præſentatio, electio, aut alia quævis diſpoſitio pertinebit. Quibus ſane verbis generaliſſimis (*e*) dictam etiam manus Papalis appoſitionem, quam tamen hic adeſſe negatur, fuiſſe

comprehenſam, facile nobis eſſet conficere, niſi fortius aliunde ſuppeteret fundamentum, eidem in Concordatorum noſtrorum præjudicium locum plane nullum concedendi. Quodſi enim ad primos uſque ejusdem natales redire velimus, mox innoteſcet eam novitiam quandam Romanæ Curiæ creaturam eſſe, & nonniſi novendecim poſt confecta jam Concordata annos per Conſtitutionem Pauli II. Veneti *Romæ* anno MCCCCXXVII. emanatam, & inter Extravagantes communes poſt *Extravag. Ad Regimen de Præb. & Dignitat.* relatam primum apparuiſſe. De anteriori quadam, & noſtra Concordata præcedente Pontificis cujusdam conſtitutione, in qua dictæ manus Papalis appoſitionis mentio occurreret, ad manus noſtras nihil hactenus pervenit. Quemadmodum igitur de aliis Pontificum poſteriorum Conſtitutionibus, quæ Concordatis noſtris præjudicant, non obſtante etiam clauſula illorum derogatoria eisdem inſerta mentem noſtram mox, & uberius alias aperuimus; ita pariter principia illa ibi poſita & huic Pauli II. Conſtitutioni, in quantum Concordatis noſtris præjudicio exiſtit, applicari omnimode poſſe, ultronee conſectaneum eſt. Accedit demum (*f*) quod allatis hactenus argumentis ipſa quoque praxis & obſervantia in Diœceſibus certe non paucis continua pro caſibus evenientibus hucusque correſponderit. Et quamvis interdum a nonnullis in Romana Curia ſimilia Beneficia dicto modo vacantia impetrata fuerint, ejusmodi tamen impetrationes in præfatis Diœceſibus vel effectum nullum ſortitæ fuerunt, vel, quod aliquoties jam evenit, ſimiles impetratores ad præviam informationem de non concedenda ipſis poſſeſſione hauſtam nequidem ſuas producere coram dictarum Eccleſiarum Capitulis proviſiones auſi fuere. Atque hæc dum in ſimilibus quibusdam caſibus recentioribus nonnullis aliis Capitulis Germaniæ Cathedralibus non ita pridem reſpondimus, Proviſos Apoſtolicos, poſſeſſionem Beneficiorum ſibi collatorum a præfatis Capitulis antehac ſollicitantes illico deſtitiſſe, certis nuntiis accepimus.

XXXII.

Digitized by Google

XXXII. * Sexta denique primæ reſervationis generalis hac Extravagante inductæ ſpecies notatur in verbis jam ſupra relatis: *Nec non etiam quæ per aſſecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum &c.* induciturque, ſi quando aliquod Beneficium per aſſecutionem alterius cum priore incompatibilis authoritate Romani Pontificis, & ſic in Curia Romana collati vacare contigerit. Quoniam vero hic ipſiſſimus ille reſervationis caſus eſt, de quo in *Extravag.* *Execrabilis* jam diſponebatur, neque aliud quoddam ejusdem Extravagantis veſtigium deprehendi in noſtris Concordatis poſſe, jam ſupra advertimus; conſulto & omni ſtudio hujus textus interpretationem jam eo loco ſuſcepimus, quo ſic flagitante ordine de Reſervatione per dictam Extravagantem: *Execrabilis*, inducta nobis differendum fuerat. Ne proinde hoc loco ſuperflue recolligantur ea, quæ ſuperius jam abunde diſcuſſa fuerunt, noviter illa tantum attingere hic placuit, quatenus ſic ad methodum nobis præſtitutam ſingulas primæ reſervationis hac Extravagante inductæ, qua nimirum Dignitates & Beneficia quocunque modo in Curia vacantia Sedi Apoſtolicæ reſervantur, ſpecies, nulla prætermiſſa, recenſeremus.

XXXIII. * Reliqua nobis jam eſt altera reſervationis Claſſis in eadem *Extravagante*: *Ad Regimen* inducta, qua ſcilicet Romani Pontificis ſolitariæ & privativæ diſpoſitioni Dignitates & Beneficia quæcunque per obitum Cardinalium & certorum in Curia Romana officialium vacantia præſervantur hiſce in Concordatis ſub utraque forma emanatis verbis ſpecificis: *Et etiam per obitum Cardinalium ejusdem Eccleſiæ Romanæ, aut officiariorum dictæ Sedis, quamdiu ipſa officia actualiter tenebunt, videlicet Vice-Cancellarii, Camerarii, Septem Notariorum, Auditorum literarum contradictarum, & Apoſto-*

poſtolici Palatii cauſarum Auditorum, Correctorum, centum & unius ſcriptorum literarum Apoſtolicarum, & viginti quatuor Pœnitentiariæ præfatæ Sedis, & viginti quinque Abbreviatorum, nec non verorum Commenſalium noſtrorum & aliorum viginti quinque Capellanorum Sedis ejusdem in Epitaphio deſcriptorum, & etiam quorumcunque Legatorum, ſeu Collectorum, ac in terris Romanæ Eccleſiæ Rectorum & Theſaurariorum, Deputatorum ſeu Miſſorum hactenus vel deputandorum aut mittendorum imposterum nunc vacantia, & in antea vacatura, ubicunque dictos Legatos, vel Collectores, ſeu Rectores, aut Theſaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint, ſeu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis.

XXXIV. * Quod itaque inprimis ad Dignitates & Beneficia Cardinalium hoc loco reſervata attinet, obſervandum venit, hiſce non tantum Dignitates minores, & beneficia collativa, ſed & Prælaturas Majores Epiſcopales, & Abbatiales in vim etiam textus Concordatorum comprehendi. Porro ſi verba illa in litera Concordatorum expreſſa: *per obitum Cardinalium* ſe ſolis, & absque ullo ad textus antecedentia & conſequentia reſpectu conſiderentur, facile equidem ſibi perſuadere quispiam poteſt, iisdem obitum Cardinalium comprehendi, quocunque demum in loco is contingat. Verum, re acuratius perpenſa textuque cum ſuis antecedentibus & conſequentibus comparato, aliud omnino dicendum eſſe, recitatisque verbis ſolum obitum Cardinalium in Curia factum deſignari, data opera ſubſequenti mox *Num.* XXXVIII. hujus Capitis oſtendere conabimur; dum interea illud tantum monendum cenſuimus, quod Romana Curia in concedendis adverſus exiſtimatam hancce Reſervationem Indultis, eligendi præſertim, frequens hactenus fuerit, quemadmodum no-

tat RIGANTIUS *Comm. in Reg. I. Cancell. §. VI. n.* 41. „Conſuevit „tamen, inquiens, Sedes Apoſtolica ex gratia ſpeciali vel indulgere Cathedralium Eccleſiarum Capitulis facultatem eligendi „ſucceſſorem in locum defuncti Cardinalis Epiſcopi, quemadmodum Ss. mem. INNOCENTIUS XII. conceſſit Canonicis *Paſſavienſibus*, ut in locum defuncti Cardinalis DE LAMBERG proprium Epiſcopum eligere valuiſſent; ipſique hujusmodi indulgentia „utentes elegerunt Comitem RABETTAM; vel etiam Eccleſiæ „per obitum Cardinalis vacanti providere ex integro de eadem „perſona prius nulliter electa a Capitulo, quemadmodum ſervavit CLEMENS VIII., qui caſſata electione ad Eccleſiam *Ratisbonenſem* vacantem per obitum PHILIPPI *a Bavaria* Epiſcopi, & „Cardinalis a Capitulo expleta favore SIGISMUNDI FRIDERICI EUGENII Eccleſiæ providit de perſona ejusdem SIGISMUNDI FRIDERICI, ut refert BRANDEN *ad Concordata Germaniæ pag.* 40. *n.* 12. „Et PAULUS V. Eccleſiam *Oſnabrugenſem* vacantem per obitum „Cardinalis ZOLLEREN, atque ideo Sedi Apoſtolicæ reſervatam, „repulſa, & rejecta poſtulatione facta a Capitulo, & Canonicis „de Perſona FRANCISCI GUILIELMI *de Bavaria*, eidem FRANCISCO „GUILIELMO contulit ex integro, ut ex *actis Conſiſtorialibus* dicti „Pontificis XXVII. Januarii MDCXXVII. & de utroque exemplo ſit mentio in *relatione Legationis clar. mem. Cardinalis* CARRAFFA impreſſa apud D. POMPEJUM URSAJA *in Miſcell. Tom. I.* „*pag.* 80. *num.* 18.

XXXV. * Quoad Dignitates, & Beneficia nonnullorum in Curia Romana Officialium generaliter inprimis animadvertenda ſunt verba illa in litera Concordatorum appoſita : *Quamdiu ipſa officia actualiter tenebunt.* Hæc enim cum in Extravag. *Ad Regimen* haud fuerint expreſſa, multa ſæpe lis oriebatur, an perduret inducta hic reſervatio, ſiquis Officialis ante ſuam mortem Curialitatem, ut vocant, ſeu officium, quod in Curia

Digitized by Google

geſſerat, depoſuiſſet; ad eaſdem vero lites impoſterum evitandas dictæ Extravaganti, prout hodie in Regula I. Cancellariæ extat, EUGENIUS IV. anno MCCCCXXXI. jam addidit hanc clauſulam: *Etiamſi Officiales in dicta Conſtitutione expreſſi Apoſtolicæ Sedis Officiales ante obitum eorum eſſe deſierint*; quæ etiam hodie Regulæ I. Cancellariæ inſerta legitur. Quandoquidem vero ſub ejuſdem EUGENII ſucceſſore NICOLAO V. dicta Extravagans *Ad Regimen* nonniſi cum certis limitationibus, & modificationibus Concordatis noſtris inſerenda eſſe poſtularetur; hæc inter nonnullas alias facta fuit limitatio, ut dictæ clauſulæ EUGENII IV. Ordinariis Collatoribus præjudicioſæ, altera eiſdem magis favorabilis ſubſtitueretur in verbis allatis: *quamdiu ipſa officia actualiter tenebunt*; Vi quorum Beneficia, & Dignitates Curialium non amplius manent reſervata, quamprimum hi ſuam Curialitatem depoſuerint. Ita ageret v. g. quis Germanus Rotæ Romanæ Auditorem, ipſius Beneficia vi etiam Concordatorum contingente ſic ejus obitu reſervata eſſent, quæ vero haud amplius talia manent in vim allatæ clauſulæ, quamprimum id officium depoſuerit, manſiſſent tamen etiam hoc poſteriori caſu, ſi loco hujus novæ clauſulæ antiqua illa EUGENII IV. Concordatis inſerta manſiſſet. Porro quoque & illud hoc loco generaliter adnotari meretur, quod tum in Extravagante *Ad Regimen*, tum in noſtris Concordatis ſint ſpecificata, & individuata nomina illorum Officialium, quorum Beneficia contingente eorum obitu hic loci cenſentur eſſe reſervata, ut adeo Beneficia & Dignitates Officialium non ſpecificatorum, vel primum poſt Concordata a recentioribus Pontificibus introductorum ſaltem in vim Concordatorum non poſſint ſub hoc loco tanquam reſervata comprehendi, quidquid aliud in vim Reg. I. Cancellariæ ex Conſtitutione PAULI III. Pontificis Concordatis noſtris poſterioris RIGANTIUS *Comm. in eand. Reg. I.* §. *IV. n.* 213. *& ſeqq.* prætendat. Denique & ad hoc quoque reflectendum, quod in noſtris

ſtris Concordatis expreſſis ibidem Officialium nominibus, certa quædam vel epitheta, vel adjectiva numeralia v. g. *Septem Notariorum*, *centum & unius ſcriptorum*, *viginti quatuor pœnitentiariæ*, *viginti quinque Abbreviatorum*, *verorum commenſalium &c.* ſint appoſita, quæ tamen in Extravag.: *Ad Regimen* haud annexa perſpiciuntur, procul dubio eum in finem, ut & hiſce quoque adjectionibus aliqua Extravagantis limitatio ſeu modificatio fieret; quæ tamen attento hactenus uſu parum notabilis effectus videtur habuiſſe; ſiquidem caſus hactenus perrarus extiterit, quo tali cuidam Curialiſtæ, cujus nomen dictis aut epithetis, aut adjectivis numeralibus in verbis Concordatorum notatum eſt, Beneficium quoddam, aut Dignitas, retenta ſimul Curialitate actuali, in noſtra Germania obtigerit. Unde autem ſatis apparet, haud operæ pretium eſſe, ut ad ſingula nomina ſuperius, & in verbis Concordatorum ſpecificata diffuſiores hic commentationes inſtituamus; cum ad rariorem, uti dictum eſt, caſus contingentiam haud multa notatu digna circa ea hactenus evenerint.

XXXVI. * Nonnulla tamen, circa quæ aliquoties ſaltem dubia mota fuere, ſpeciali hic nota illuſtranda cogitamus, quæ inter occurrunt inprimis verba illa: *Septem Notariorum.* His indubie indigitantur ſeptem illi Protonotarii Apoſtolici Romæ degentes, quos *Participantes* vocant; quibus tamen non obſtantibus nonnulli, uti ex RIGANTIO *Comment. in Reg. I. Cancell. §. IV. n.* 54. colligitur, in quæſtionem vocaſſe videntur, an non forte Beneficia quoque Proto-Notariorum *non participantium* vi Concordatorum reſervata cenſeri debeant, poſtquam præſertim PAULUS III. in ſpeciali Conſtitutione declaraverat, Protonotarios etiam non *Participantes*, ſi præſertim ab ipſo Summo Pontifice creati fuerint, veros ejusdem, & non *fictos Commenſales* eſſe. Quibus vero RI-

GANTIUS ipſemet loco citato ſe oppoſuit, *n.* 56. ibidem dicens: „Beneficia earundem Eccleſiarum (Germanicarum) a Protonota„riis *imparticipantibus* obtenta immunia ſunt a reſervatione, cum „Concordata emanaverint per vim pacti, & Contractus, quibus „proinde non cenſetur derogare voluiſſe PAULUM III. per Decla„rationem, quod Protonotarii non Participantes a Papa creati „ſint veri & non ficti illius familiares, & commenſales.„ Studioſe hæc ipſis RIGANTII verbis huc attulimus, ut vel incidenter etiam ex iiſdem hic colligi poſſit, juxta ipſam quoque Curialiſtarum ſententiam Papam poſteriori quadam conſtitutione Germaniæ Concordatis veluti pactis derogare vel non poſſe, vel non velle cenſendum eſſe. Quod illos demum Protonotarios Apoſtolicos, qui in noſtris hiſce terris mediante certa taxa pecuniaria conſtituuntur, attinet, laudatus quoque RIGANTIUS ipſemet fatetur, eorum Beneficia nequaquam huic reſervationi obnoxia eſſe; dicit enim *loc. cit. n.* 115. „Aſſertio vero, quod omnis Of„ficialis ſit Curialis, non procedit in Officiali ſimplici honoris, „quales ſunt omnes ii, qui mediante pecunia ſimilia officia acqui„runt. . . . . Alias. . . etiam exteri, quibus permiſſum eſt, talia „officia emere, & retinere, reputarentur Curiales, quod eſt ab„ſurdum.

XXXVII.* Notandum præterea ad ea verba: *verorum Commenſalium*, in vim eorundem Germanos ſemper prætendiſſe, quod inducta hoc loco reſervatio intelligi deberet de ſolis Commenſalibus & familiaribus Papæ veris, & ut ajunt, *ex mente, & dente talibus*; non autem de fictis, & *per privilegium* ita compellatis: qua autem de re cum, ut ſæpe adductus RIGANTIUS *Comment. in Reg. IV. Cancell.* §. *V. num.* 11. & *ſeqq.* advertit, frequentes controverſiæ orirentur, ad easdem tollendas, & ad effectum, ut Pontifices poſſent indiſtincte Beneficia familiarium, vel vere, vel ficte talium etiam in concurſu Concordatorum conferre, declaravit PAULUS III. eos etiam, qui antehac nonniſi ficti, & ex privilegio familiares Pontificis

erant,

erant, pro veris impoſterum ex mente, & dente talibus habendos eſſe. At vero hanc Pauli III. declarationem contra claram Concordaturum literam non poſſe prævalere, vel ipſe etiam Rigantius rurſus fatetur hac præcipue commotus ratione „ne ſci„licet reſervationes Beneficiorum vacantium in menſibus Colla„toribus Ordinariis Germaniæ conceſſis augeantur. *vid. cit. Auth. loc. mox relat. n.* 17.

XXXVIII. * In reliquis cum ſpecialis difficultatis occurrat nihil, nunc demum verba huic Concordatorum paſſui in fine appoſita paulo curatius evolvenda veniunt. Sic autem habent: *Ubicunque dictos Legatos, vel Collectores ſeu Rectores aut Theſaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint, ſeu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis.* Liquido manifeſtum fit, hiſce verbis ſola Legatorum, Collectorum, Rectorum, & Theſaurariorum Beneficia, ſi extra Curiam Romanam vacaverint, inductæ hic reſervationi obnoxia eſſe, neutiquam vero Dignitates & Beneficia vel Cardinalium, vel aliorum ſupra recenſitorum Officialium, v. g. *Vice-Cancellarii, Camerarii, Protonotariorum &c.*, ſi hos extra Curiam Romanam e vivis excedere contingat. Quamvis enim verba hujus reſervationis initialia: *Per obitum Cardinalium*, quemadmodum jam paulo ſuperius monitum fuit, paululum generaliora, et, ſi ſecundum ſe ſola conſiderentur, obitum tam intra, quam extra Curiam evenientem indigitare videantur; quodſi tamen ſecundum ſanas rectæ interpretationis regulas cum antecedentibus & conſequentibus comparentur, in alia omnia eundum eſſe mox deprehendetur. Quidquid enim hunc paſſum antecedit, agit ſolum de vacatione Dignitatum & Beneficiorum in *Curia* contingente, puta, per depoſitionem, privationem, translationem, electionis caſſationem, poſtulationis repulſionem, & reſignationis in Curia factæ admiſſionem. Igitur ſatis congrue ex hiſce antecedentibus dici poteſt, allata verba: *per obitum:* ut-

ut generaliora, arctiorem tamen determinationem ex hiſce antecedentibus capere debere; præſertim, cum conſequentia nimis manifeſta ſint, eaque verba caſum obitus extra Curiam contingentem denotantia ad ſola Beneficia Legatorum, Collectorum, Rectorum, & Theſaurariorum apertiſſime, ut ex ſupra allatis pateſcit, reſtringant. Quibus hactenus obſervatis vel ipſemet etiam ſæpe adductus hactenus RIGANTIUS *Comment. in Reg. I. Cancell.* §. *IV. n.* 261. conſentit & fatetur, quod (Extravagans: *ad Regimen*) „loquendo de Beneficiis Officialium ultra duas diætas, hoc eſt, „extra Curiam decedentium ea ſolum reſervet, quæ obtinebant „Legati, Rectores in terris Eccleſiæ, & Theſaurarii; quamvis *n.* „*inſeq.* 262. pergat, dicens, declaratum fuiſſet, cæterorum quoque „Officialium ubicunque decedentium Beneficia eidem Reſervati-„oni obnoxia eſſe, ut in ſæpe laudata conſtitutione ALEXANDRI „VII. & diximus ſupra *n.* 168." Verum hæc ALEXANDRI VII. ceu Pontificis Concordatis poſterioris declaratio cum eisdem præjudicare ex jam ſæpe repetitis principiis nihil valeat, ſatis clare apparet, ex litera Concordatorum Dignitates, & Beneficia Cardinalium, & Officialium, exceptis quatuor illis ſpecifice in iisdem notatis, extra Curiam Romanam vacantia ſub inductam hoc loco reſervationem neutiquam cadere. Atque exinde, credimus, eſt, cur ex prudenti Oeconomia tam liberales ſeſe in concedendis ſuper nova poſt obitum Cardinalis Germani obitum electione, & Beneficiorum libera collatione ab Ordinariis facienda Indultis nunquam non Pontifices oſtenderint, quemadmodum ſupra §. XXXIII. hic ex eodem RIGANTIO retulimus. Qua liberalitate ſi impoſterum erga Germana Capitula uti pergant Romani Pontifices, æquitatem etiam Illa' verborum rigori procul dubio præferent, nec ſuorum literam Concordatorum ad ſummos apices urgebunt; juſta tamen id faciendi cauſa penes ſe remanente, ſiquando in dicti Indulti conceſſione nimis ſe durum moroſumque Romanus Pontifex eſſet oſtenſurus.

XXXIX.

Digitized by Google

XXXIX. Atque hæc ſunt, quæ de altera reſervationis in Extravag.: *Ad Regimen* inductæ claſſe hoc loco a nobis erant pertractanda. Subſequitur in textu Concordatorum innovatio reſervationis Juris ſcripti, de qua tamen, cum jam primo loco hujus Capitis, ipſis etiam his Concordatorum verbis in conſiderationem adductis, a nobis ſufficienter tractatum fuerit, finem tandem huic Capiti imponimus, & ulterioribus noſtris meditationibus objectum Concordatorum alterum, quod eſt reſtituta Capitulis Germaniæ libera, & Canonica eligendi libertas, deſtinamus.

CAPUT III.

Reſtitutam per Concordata Electionum ad Cathedrales & Abbatiales Eccleſias in Germania Libertatem, & innovatam iisdem Confirmationis Politiam explanat.

SUMMARIA.

I. *Jus eligendi Illuſtriſſimis Eccleſiarum Capitulis competens ſingularis eſt Germaniæ prærogativa.*

II. *Eadem modus perveniendi ad Dignitates ſacras Apoſtolicæ inſtitutioni, Patrum placitis, Canonum ſanctionibus, ac Imperatorum ipſorummet votis conformior fuit.*

III. *Inde adverſus Imperatorias in baculo & annulo inveſtituras acriter a Pontificibus & Conciliis defenſa,*

IV. *Per Pactum Calixtinum, atque renuntiationem OTTONIS IV., FRIDERICI II., & RUDOLPHI I. Habsburgici, compoſito penitus diuturno diſſidio, reſtituta.*

V. *Eo tamen diſcrimine, quod vi Pacti Calixtini toti Clero reſtituta, vi renuntiationum poſteriorum ſolis Capitulis aſſiſtentia quoque juris communis munitis, & adminiſtratione vacantium Eccleſiarum auctis, fuerit roborata.*

VI.

VI. *Quam prærogativam præter Summos Pontifices* SERENISSIMÆ DOMUS AUSTRIACÆ *favori & protectioni Illuſtriſſima Eccleſiarum Capitula præprimis in acceptis referunt.*

VII. & VIII. *Immediatis proviſionibus Pontificiis poſthac citius alibi, ſerius in Germania turbata, quarum origo, & progreſſus refertur.*

IX. *Querelis Nationis Germanicæ Concilio Baſileenſi haud efficaciter ſopitis per Concordata demum ſatisfactum.*

X. *Quæ, uti in reliquis Capitibus ſuis, ita & circa Electionem veræ transactionis naturam ſequuntur, partim nimirum Electiones reſtituendo, partim antiquas retinendo reſervationes.*

XI. & XII. *Reſervationibus hodiedum per modum exceptionis adhuc vigentibus ſuperius diſcuſſis, hoc loco regula libertatis electionum reſtitutoria, ac Regulæ II. Cancellariæ oppoſita aſſeritur.*

XIII. * *Reſtitutum eſt Jus commune tum quoad eligentes,*

XIV. *Tum quoad formam Electionis in Cap.* quia propter XLII. *de Elect. præſcriptam.*

XV. * *Non tantum in Eccleſiis ſæcularibus, ſed etiam Regularibus, & Monaſteriis quibuscunque;*

XVI. * *Uti & quoad tempus deferendi Electiones ad Sedem Apoſtolicam.*

XVII. * *Similiter quoad pœnam negligentiæ confirmatum, quoad Jus vero devolutionis ad Summum Pontificem partim retentum, partim vero correctum eſſe Jus commune conſtat.*

XVIII. * *Jus tamen devolutionis utrinque etiam vi Concordatorum veram negligentiam Capitulorum ſupponit.*

XIX. * *Confirmatio Electionum reſervata Summo Pontifici permanſit,*

XX. *Contra primævam quidem Metropolitanorum prætenſionem Concilio Baſileenſi conformem;*

XXI. *A qua vero poſtmodum per Concordata inſtar aliarum quoque Nationum poſthac Concordantium receſſerunt.*

XXII. *Impoſita inde Epiſcopis Romam peregrinandi neceſſitas Eccleſiis Germaniæ ingenti eſt emolumento quoad adminiſtrationem ſtatim poſt electionem permiſſam.*

Digitized by Google

XXIII. *Etiam abſque Placet Apoſtolico, ſolis Poſtulatis* Cap. Nihil. 44. de Elect. *non comprehenſis neceſſario.*

XXIV. * & XXV. *Clauſula*: Niſi ex rationabili & evidenti cauſa &c. *cum Regula II. Cancellariæ, cum Jure communi, cum Concilii Baſileenſis Decretis, & Gravaminibus Moguntinis confertur.*

XXVI. *Ad Decreta Baſileenſia, & Projectum Moguntinenſe quam proxime illam accedere ſtatuitur.*

XXVII. *Regis Galliæ in nominando libertati melius, atque Concilio Baſileenſi conformius, imo eodem etiamnum amplius, per Concordata Galliæ proſpectum.*

XXVIII. *Capitula Germaniæ Declaratione Sedis Apoſtolicæ a* Calixto III. *ſuper hoc Concordatorum paſſu edita ſatis tuta ſunt.*

XXIX. *Atque poſt iteratam* Adriani IV. *non derogandi poſthac Concordatis promiſſionem nullis hac ſuper re moleſtiis turbata, ſed ampliori potius ac indebito ſæpe favore donata noſcuntur.*

XXX. *Effectus Confirmationis, tum communis, tum reſpectu Epiſcoporum Germaniæ ſingularis, paucis ſubjungitur.*

XXXI. *Conſecrationis inſuper neceſſitas & effectus exponitur.*

XXXII. *Quæ renitentibus primum Archiepiſcopis, poſtea tamen acquieſcentibus etiam ipſis* arg. Cap. Cupientes *adempta fuit*;

XXXIII. *Ac Summo Pontifici reſervata Jura ejus Patriarchalia, aut reſervata potius ſecundaria & acceſſoria auxit, ac ultra reliquorum Patriarcharum morem extendit.*

XXXIV. *Per alios Sedis Apoſtolicæ hac in parte delegatos exercetur, aut impertitur cum nullo Epiſcoporum, magno vero Archiepiſcoporum detrimento.*

XXXV. * *Salvo tamen juramento obedientiæ prærogativam ſane inſignem conſtituente per Suffraganeos iisdem ex litera Concordatorum præſtando*;

XXXVI. *Quæ tamen eatenus per non uſum in deſuetudinem variis ex conjecturis abiit.*

XXXVII. * *Sicut & aliis, quorum varii enumerantur,*

XXXVIII. *Inter hos vero potiſſimum Imperatori & Imperio juramen-*

ta & jura alias præſtari ſolita præſervantur, viridi hodiedum obſervantia frequentata.

XXXIX. *Quibus juramentum per Epiſcopos Germaniæ Summo Pontifici præſtandum nequaquam præjudicat.*

XL. * *Sicut Epiſcoporum, ita & Abbatum, ſed immediate tantum Sanctæ Sedi Apoſtolicæ ſubjectorum, confirmatio ad Pontificem pertinet.*

XLI. * *Imo & horum tantum ſuffragante uſu, & obſervantia, qui propterea Conſiſtoriales dicuntur.*

XLII. * *Ad quorum tamen confirmationem eædem limitationes etiam cum Clauſula:* Niſi ex rationabili &c. *de Epiſcopatibus ſuperius expoſitæ extenduntur.*

XLIII. * *Exſpectativæ quoad Regularia Beneficia quæcunque, ſive majora, ſive minora, ſunt ſublatæ & prohibitæ.*

XLIV. *Sub quibus etiam Coadjutoriæ per Concordata comprehenduntur.*

XLV. *Quod rurſus ad Coadjutorias in Prælaturis Electivis ſæcularibus extenditur, ut invito ſaltem Capitulo dari nequeant.*

XLVI. * *De Monaſteriis Monialium tantum exemptis, & nonniſi per Commiſſarios, eosque Nationales, a Summo Pontifice diſponendum.*

I. SIngularem prorſus, ac ſoli Nationi Germanicæ propriam, reliquis vero omnibus facile invidendam ſecundus hic Concordatorum Germaniæ §. prærogativam ſiſtit, dum Electionem ubique alias, vel nominationibus regiis, vel immediatis proviſionibus Apoſtolicis extinctam plane ac ſublatam, atque ad nihilum prorſus redactam Illuſtriſſimis Eccleſiarum Capitulis integram, illibatamque reſtituit, legeque perpetua munit, atque confirmat. Qua in re arcanum profecto Divini Numinis providentiæ conſilium non poſſumus non mirari, uti in opuſculo: *de Canonica Epiſcoporum Germaniæ Conſtitutione* aſſeruimus, quod, cum in Germania Electiones & audacius, & diutius oppugnatæ fuerint, ea ipſa, & quidem inter reliquas Orbis Chriſtiani provincias propemodum unica nunc exiſtat earundem retinentiſſima.

Nec

Nec illud forſan minus ſtupendum, quod, uti prius Romani Pontifices Principum & Imperatorum Germanorum, Electiones, earumque libertatem impugnantium & infeſtantium, conatus, atque contumaciam invicta fregerunt conſtantia, ita poſtea Germani Principes zelo non minori ſtrenue decertarint, ut eadem Electionum libertas Pontificiis maxime reſervationibus, iis præcipue ad ultimum uſque extremum perductis, concuſſa, tum per Decreta Conciliorum, tum per Concordata hæc publica, de quibus ſermo impræſentiarum eſt, concederetur, vel potius poſtliminio Capitulis reſtitueretur.

II. Quantis enim illa viciſſitudinibus, quantis populorum motibus per varias temporum locorumque vices obnoxia fuerit, integra Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in *Diſſertatione Præliminari de Concordatis Germaniæ* ex probatis Authoribus excerpta ſeries, atque relatio, inſertis hinc inde variis reflexionibus, ac juris obſervationibus, deducta exhibet, ſimulque demonſtrat, eandem, quamvis divinitus præcepta, ac Jure proin Divino unica & neceſſaria non ſit ad ſupremum Sacerdotii apicem emergendi via, exemplis tamen Apoſtolorum in ipſamet Sacra Scriptura relatis, ac poſtea unanimi Eccleſiæ primitivæ, tum Orientalis, tum Occidentalis, continuatæ per plurima ſæcula praxi conformiorem, ſacrisque Canonibus Conciliorum, Patrum ſanctionibus, ac ipſorummet Pontificum Romanorum Decretis convenientiorem ſemper creditam, atque a pientiſſimis Imperatoribus, qui jam inde a Carolingicorum ævo per inveſtituram in Baculo & Annulo conceſſam, tanquam inſtitutores, & fundatores complurium in Regionibus Germaniæ non ita pridem Chriſto ſubjugatis Epiſcopatuum, pluſculum ſibi ſumpſiſſe videbantur, nunquam non retentam, atque operam ab iisdem pro virili datam fuiſſe, ut nominationes, ac inveſtituræ Regiæ ita dictæ Canonicis Cleri, imo & populi electionibus provide ac temperate permiſcerentur, atque vel hæ illas præcurrerent, vel illæ has quidem præverterent, non tamen omnino & prorſus excluderent, dum Principes vel eos, quos Clerus & populus jamjam elege-

 rat,

rat, hiſce veluti ſignis probabant, aut quos ii ſibi bene viſos acceptosque eo promoveri optarant, Clero quoque ac populo perſuadebant, ut ſuis etiam ſuffragiis ac unanimi conſenſione expeteret, Regumque & Imperatorum votis ſponte obſequeretur, id quod facile poterat, bene gnarus, expertusque, eosdem nonniſi in ſpectatiſſimæ probitatis & ſapientiæ viros, & gratis ab illis deſignatos propendiſſe, & obſervandarum Eccleſiaſticæ diſciplinæ regularum in rebus hiſce, quæ tantum habebant momenti ad Eccleſiæ, & Reipublicæ ſalutem, tenaciſſimos ſemper fuiſſe.

III. At vero non eadem ſemper modeſtia ac moderatione uti poſthac perrexere reliqui in Imperiali ſolio ſucceſſores, Henriciani præſertim, atque inter hos potiſſimum Henricus IV. & V., qui venales pecunia exponere ſanctiſſimas Eccleſiæ Dignitates, indecoris & indignis modis Epiſcopos per violentiam obtrudere ſacro Miniſterio impares, omnem legitimæ Electionis facultatem conculcare, ac proterere penitus non dubitabant, atque de ſuis plerumque familiaribus & Capellanis, homines ſcelerum non raro ſuorum conſortes, omnis vero Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſtatus inſimul Eccleſiarum, ad quas promovendi erant, prorſus inexpertos a ſe inveſtitos ad Eccleſias vacantes, ut ibi paſtorali fungerentur officio, non exſpectata ulla Cleri electione, nec attenta ejusdem, utut juſta, rationabili, ac modeſta contradictione, dirigebant. Ex quo tandem Pontifices, & Concilia compelli omnino debebant, ut ad inveſtituras illas, quas, quouſque Electione Canonica permiſtæ fuerant, hactenus patienter toleraverant, proſcribendas, ad electiones vero Canonicas reſtituendas toto ſe zelo armarent, hunc nimirum inveſtiturarum uſum in manifeſtum abuſum, in Apoſtolicæ traditionis, & conſuetudinis grave præjudicium, in Eccleſiarum per intruſos mercenarios multiplex detrimentum, in Canonum ſubverſionem, in Eccleſiaſticæ libertatis oppreſſionem, & ſcandaloſam ſervitutem jamjam degeneraſſe videntes, ac funeſtiſſimis exemplis quotidie edocti.

IV.

IV. Diuturnum inde hoſce inter Imperatores, ac Summos Pontifices non potuit non enaſci diſſidium plurimis maximisque ſcandalis, bellis continuis, cædibus crebris, ac Schiſmatis periculoſiſſimis, & Imperio, & Eccleſiæ maxime infeſtum, ad quod ſedandum nimia PASCHALIS II. in dimittendis, & abdicandis penitus Imperatori Regalibus Imperii feudis liberalitas, renitentibus nimirum Epiſcopis, inefficax, atque ab ipſomet demum retractata fuerat. Felicius aliquanto id ceſſit CALIXTO II. Romano Pontifici HENRICI V. conſanguineo, ut ab hoc Imperatore abdicationem Inveſtiturarum in baculo paſtorali & annulo, ac Electionum Canonicarum reſtitutionem obtineret, dum ſolenni Idem formula iisdem renunciabat in verbis: *Dimitto Deo, & Eccleſiæ inveſtituram omnem per annulum & baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis, quæ in Regno vel Imperio meo ſunt, canonicam fieri electionem, & conſecrationem.* Viciſſim vero Pontifex electiones in præſentia Imperatoris, absque Simonia tamen & violentia, fieri, diſcordes ejus aſſenſu, adhibito tamen in conſilium cum Epiſcopis Provinciæ Metropolitano, terminari, inveſtituras poſthac infra ſex menſes poſt conſecrationem per Sceptrum ab Imperatore dari, ab Epiſcopis vero, & Abbatibus recipi, & feudalia jura, atque officia illi exſolvi annuebat. Quæ mutua Concordia, PACTI CALIXTINI nomine appellari vulgo ſolita, Romæ cum Pontifice inita, in Conventibus *Wirceburgenſi, Wormatienſi, & Bambergenſi* quoque confirmata quidem fuit, ut legere eſt in *Hiſtor.* CONRADI ABBATIS URSPERG. & WILHELMI MALMESBURIENSIS; ob duplicem tamen Imperatoribus adhucdum aſſertam poteſtatem, aſſentiendi nimirum Electionibus in concordia factis, diſcordes vero Metropolitani, & Provincialium conſilio vel judicio dijudicandi, viam & ipſam non omnem præcluſit, quin & aperuit, pluribus ac ſatis moleſtis aliis Sacerdotii & Imperii diſſenſionibus, ac Electionum infractionibus, quibus idem diſſidium denuo ſufflaminari, ac ſæpenumero ſuis e cineribus reſuſcitari cœpit, teſte etiam SCHOENAVIO, qui „ idem diſſidium & ex eadem Inveſtiturarum

„cauſa inter utriusque (CALISTI ſcilicet & HENRICI) ſucceſſores, „Pontifices ac Cæſares ſæpenumero exarſiſſe refert, ſemper tamen „vincente flammas Eccleſia; Imperatorum itidem, qui easdem Inveſtituras repetere tentarunt, exempla & nomina recenſet STRUVIUS in *Jurisprud. publ. ſecundæ edit. Cap. X. §. XII.*, donec tandem INNOCENTIUS III. ab OTTONE IV., cujus contra PHILIPPUM SUEVUM partes tuebatur, hujus duplicis etiam poteſtatis ſive conſenſus abdicationem auſpicate obtinuerit, a FRIDERICO poſtea II. anno MCCXIII. in Imperatorem Electo iisdem quoque verbis in Aurea Bulla ſua confirmatam, atque a RUDOLPHO demum HABSBURGICO poſt diuturnum illud Interregnum ad Imperii clavum admoto ſub GREGORIO X. Papa circa annum MCCLXXV. adoptatam, atque ſtabilitam; quæ, ſicut Juris inſuper Regaliæ renuntiationem, ad maximum favoris Eccleſiis præſtiti complementum, inſuper involvit, ut videlicet res Eccleſiæ temporales Electis ab Imperatoribus denuo reſtitui neceſſe non eſſet, ſæpe dicti Imperatorii in Electionem conſenſus neceſſitatem deinceps eo magis abolevit, ſuſtulit, atque excluſit.

V. Illud vero diſcriminis ſane perquam notandi inter TRANSACTIONEM CALIXTINAM ſuperius memoratam, ac poſteriores Imperatorum dictorum renunciationes ejusdem confirmatorias intercedit, quod in illa univerſo adhucdum Clero Electionum libertas reſtituta fuerit, quin & populum ab iisdem Electionibus Canonicis tum necdum fuiſſe excluſum, aliunde luculentis conſtet argumentis; His vero ſolius Capituli Cathedralis mentio diſertis verbis exprimatur, ut vel ſola FRIDERICI II. Aurea Bulla teſtatur ibi: *concedimus, & ſancimus, ut Electiones Prælatorum liberæ & canonicæ fiant, quatenus præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem* ***totum Capitulum****, vel major vel ſanior pars ipſius duxerit eligendum, dummodo nihil deſit ei de canonicis inſtitutis.* Cui & alteram RUDOLPHI I. ſuperius laudati renunciationem, qua id ipſum recepit in ſe & ſpopondit, quod antea OTTO IV. & FRIDERICUS II., iisdem fere verbis conceptam, & in integro ſuo tenore a RAINAL-

DO

DO ad annum MCCLXXII. relatam adjungimus, ibi: *Illum igitur abolere volentes abuſum, quem interdum quidam Prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe noſcuntur, & dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus & ſancimus, ut electiones Prælatorum libere & canonice fiant, quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem* totum Capitulum, *vel major & ſanior pars ipſius duxerit eligendum, dummodo nihil deſit ei de Canonicis inſtitutis. Illum quoque dimittimus & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium noſtri conſueverunt anteceſſores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero ſpiritualia vobis, & aliis Eccleſiarum Prælatis relinquimus libere diſponenda, ut, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo, recta diſtributione, reddantur.* Quod quidem Jus, ad exemplum potiſſimum Electionis Papalis, excluſo quoque reliquo Clero & populo, ad ſolos Eccleſiæ Romanæ Cardinales translatæ, & ex ratione arctioris, quam Capitula cum Epiſcopo, tanquam Corpus ſuo cum Capite, habent, unionis, ſenſim per varias Eccleſias invaluit, atque ob turbas & libertatis Canonicæ violationes ex multitudine tam Cleri, quam populi merito pertimeſcendas, per Decretales Pontificias adeo iis jam Sæculo XIII. ſtabilitum, confirmatumque fuit, ut Canonici Cathedrales ex Regula Juris communis jam tum fortiter ipſis aſſiſtente omnes extraneos non tantum Laicos, ſed & Clericos, ac ipſos adeo Epiſcopos Suffraganeos aut Comprovinciales prorſus excluderent. *Conf. Cap. Maſſana* 56. *de Elect. & Elect. pot. Cap. tum Eccleſia Sutrina* 3. *De cauſa poſſeſſ. & propr. Cap. Bonæ memoriæ* 4. *de Poſtul. Prælat.* Atque ita reapſe illa Capitulorum in eligendo libertas nulla re magis, quam ipſo Pontificum illam adverſus violentos Imperatorum quorundam conatus partim defendentium, partim ejusdem ampliationem ab aliis Imperatoribus bene ſentientibus propitia occaſione procurantium, partim quoque propriis eandem Conſtitutionibus ac Decretalibus firmantium favore tuta exiſtimari poterat.

VI. Quamvis nec illud diffiteamur, in Germania ſaltem noſtra hanc Electionum Canonicarum tutelam ac defenſionem non multum

tum poſthac negotii aut faſtidii Summis Pontificibus faceſſere potuiſſe, ubi eos, quos antehac expertæ fuerant, Imperatores videlicet, Antagoniſtas & impugnatores non amplius perſenſerunt. In aliis Regionibus hæc ipſa Electionum Epocha, & in Capitula Canonicorum translatio novam illarum infringendarum occaſionem & anſam præbuiſſe videbatur. Ceſſatio enim, aut infrequentia Conciliorum Provincialium animos addidit Sæcularibus Principibus, & licentiam auxit, exaggeravitque, ut in Electiones & nominationes Epiſcopales prius ſe ingererent, quam ab Eccleſia eo privilegio donati fuiſſent. Siquidem proclivius utique illis fuerat in Canonicorum Capitula, quam in venerandas Epiſcoporum Synodos inſurgere & præpollere. Sed & in illa major ſemper ſubſequentium ex Sereniſſima Archi-Ducali Austriæ Domo Imperatorum Germaniæ fuit propenſio, & æquior moderatio, quam primum cum diuturno illo, quod viginti fere annis ſine legitimo Imperatore duraverat, extincto Imperii Interregno ipſum quoque illud ſuperius memoratum Sacerdotii & Imperii diſſidium penitus extinctum fuit, & pacis tandem Alcyonia inter utrumque per laudatum ſuperius Rudolphum I. Habsburgicum, Auſtriacorum Cæſarum Protoplaſten, rediere, eandem ille in reliquos Succeſſores ex eadem Sereniſſima Domo prognatos æquanimitatem, erga Illuſtriſſima Canonicorum Cathedralium Capitula propenſionem, & in Juribus Eccleſiarum defendendis & conſervandis zelum propagaſſe videtur, ut hoſce omnes Advocatos, Ampliatores, & noviſſimis quoque temporibus Conſervatores ſui, juriumque ſuorum acerrimos experta ſint mox laudata Eccleſiarum Capitula, quæ idcirco ſempiternam ac immortalem grati animi devotionem Domui Eidem, tantorum Heroum Matri, nunquam non dedicarunt, atque haud dubie nobiſcum fauſta omnia in ævum precantur.

VII. Verum non admodum diu ſalva & incolumis penes Capitula quoque & Canonicos Cathedralium Eccleſiarum perſtitit eadem eligendi facultas, tanto licet pondere ac robore firmata, quin ab iis ipſis, quos antea Defenſores ſtrenuos experta fuerat, Romanis

manis Pontificibus mox acrius fortiusque fuerit impetita, ac per immediatas illorum proviſiones turbata. Hiſce primum Jus devolutionis indubitate alias, ſuos tamen intra limites, Sedi Apoſtolicæ competens, ac ſuppletio negligentiæ a Capitulis tum per *omiſſionem*, aut Electionis ultra terminum a Jure præfixum dilationem, tum maxime per *commiſſionem*, ſive indigni prorſus electionem, ac formæ Canonicæ violationem, aut neglectum commiſſæ, tum frequentiſſimæ ea ſub tempora de Electionibus (quarum vix ulla his immunis relinqui conſueverat teſte CONRADO Abbate Urſpergenſi, ac referente CONRINGIO *Diſſert. de Conſtitut. Epiſcoporum Germ. num. LXXII.*) lites vel controverſiæ Romam delatæ, ibique deciſæ, translationes quoque & reſignationes Epiſcoporum in manus Papæ occultis de cauſis factæ tenuem prius rimam, mox vero latam quoque portam aperuiſſe credebantur. Interim præludia hæc duntaxat fuerant poſterioris diſciplinæ, quæ Epiſcopatuum pene omnium proviſiones ope reſervationum ampliſſimarum Romanæ Sedi mox erat vendicatura, & hæc quoque in Germania & ſerius, quam alibi, & minus frequenter contigiſſe teſtatur ex CRANZII *Metrop. Lib. VIII. Cap. LV.* & ejusdem *Lib. Cap. ult.* Item *Lib. IX. Cap. XI. & Cap. XLIV.*, CONRINGIUS in *cit. Diſſert. de. Conſtit. Epiſcoporum Germ.*, indeque manifeſtum eſſe deducit, Sæculo demum declinante quarto decimo cœpiſſe in Germania recipi in uſum proviſiones Romanas; longe autem & citius, & gravius Galliam atque Angliam iis laboraviſſe.

VIII. Atque his modo reſervationes ſucceſſere, dum primum Cathedrales Eccleſias, quæ apud Romanam tantum Curiam vacare contigiſſent, & de quibus ex ſententia CAROLI MOLINÆI dubium fuerat, an *Cap. Licet. 2. de Præbendis in ſexto* Decretalium comprehenderentur, ſuæ diſpoſitioni privative reſervare cœpit CLEMENS V. in Extrav. *Etſi in temporalium de Præbend. inter com.*, atque idem deinde de illarum quoque Eccleſiarum, quæ Clero & populo Chriſtiano carerent, proviſione ſtatuit in Clement. *In plerisque de Elect.* His poſtea BENEDICTUS XI. in Extrav. *Sancta Ro-*

mana de Elect. inter Comm. quatuor Patriarchales Eccleſias vacantes adjunxit, & JOANNES XXII. in Extravag. *Ex debito. eod. tit. de Elect. inter Comm.* reſervationem Eccleſiarum Epiſcopalium & iis ſuperiorum, quas apud Sedem Romanam illo vivente vacare contingeret, denuo repetiit, quod ipſum rurſus BENEDICTUS XII. in Extravag.: *Ad Regimen de Præbend. inter Comm.* conſtituit, latiusque ampliavit. Quibus demum generaliſſima illa & ampliſſima Regulæ ſecundæ Cancellariæ ſimpliciter, & generaliter omnes omnino Epiſcopales & Abbatiales Eccleſiæ tam apud Sedem Apoſtolicam, quam extra Curiam vacantes absque exceptione, aut limitatione reſervabantur; atque ita Jus eligendi Prælatos, ſive Epiſcopos, quod Capitula Cathedralia ex Juris communis diſpoſitione, ac regula habuerant, obſervante poſt alios Canoniſtas FAGNANO ad Cap. *Nullus de Elect.* uno velut ictu per univerſum orbem Chriſtianum ſublatum, & ad nihilum fuit redactum.

IX. Quantæ porro odioſæ huic reſervationum novitati oppoſitæ fuerint a Capitulis, Patronis, Epiſcopis, tum quoque Regibus & Principibus Vaſallorum ſuorum, atque ſubditorum Jura tuentibus, & a Nationibus fere univerſis querelæ, ut vel tollerentur omnino, vel ad æquitatis ſaltem cancellos reſtringerentur, ex eadem *Diſſertatione Præliminari* jam ſupra laudata in aprico eſt. LUDOVICUM ſane IV. Imperatorem jam inde ab initio ejusmodi Curiæ Romanæ proviſionibus viriliter obſtitiſſe, cum aliis teſtis eſt CONRINGIUS Diſſert. *de Conſtitut. Epiſcoporum Germ.* Magis dein ſerio hanc cauſam actam fuiſſe a Deputatis Provinciarum Nationis Germanicæ in Concilio Conſtantienſi SIGISMUNDO Imperante, ſcripto quopiam compoſito (*Aviſamenta Conſtantienſia* vulgo vocant *Tom. I. Conſtit. Imperial.* a GOLDASTO relata, atque a nobis jam ſuperius in Præfatione indicata) quo reſervationes Epiſcopalium & Principalium præcipue Dignitatum per Regulas Cancellariæ introductas abrogari penitus & aboleri voluerunt, ex eodem abunde conſtat. Sed & quam in irritum prorſus ceciderit concepta remedii per Concilium Conſtantienſe ferendi fiducia, eadem præmiſſa ibidem

Hiſto-

Hiſtoria fuſius loquitur, ut Epiſcopi Germaniæ, poſtea Moguntiæ coacti, de his ipſis gravaminibus abolendis, quatuor ante Concilium Baſileenſe annis, iterato, ac ſedulo deliberandum ducerent, ac alia quædam monita conficerent, quæ Aviſamenta Moguntina alias appellantur. Et his demum id conſecuti videbantur, ut magis ex voto, uti aliarum Nationum, ita & Germanicæ, in Concilio Baſileenſi res caderet, ubi in Decretis Seſſ. XII. & XXIII. Electio Epiſcoporum Cathedralibus Capitulis ex integro reſtituta, atque reſervationes maxima ex parte abolitæ, aut multum limitatæ fuerunt. Nec tamen etiam tum eum, qui in votis & exſpectatione fuerat, reſpondiſſe eventum, partim vacillante ejusdem celebris, præ aliis in Germania celebratis, Concilii tanquam Oecumenici authoritate, ac reverentia, partim ipſa quoque Curia Romana prælaudatis Decretis graviſſime renitente, ita ut nondum ſat firmo reſtituta Capitulis eligendi libertas conſiſteret talo, ibidem latius deductum fuit, donec tandem Natio Germanica, ſive Imperator Fridericus III. una cum Statibus Imperii, ſepoſita illa octo annorum neutralitate, partim impactam Schiſmatis labem propulſandi, partim ſuum præ reliquis Nationibus ſingulare in Sedem Apoſtolicam obſequium, fidelemque reverentiam teſtificandi cauſa viam amicabilem, ſive amicam, uno dato, & altero retento, transactionem ineundam provide exiſtimaret.

X. Hanc igitur transactionem ea ipſa, de quibus ſermo nobis eſt, ita dicta Concordata Germaniæ ex una Sedis Apoſtolicæ, & altera Imperatoris, & Statuum partibus feliciter concluſa, utrinque acceptata & approbata conſtituunt, quæ ſicut in reliquis ejusdem Concordiæ Capitibus, ita & quoad Electiones rigoris Concilio Baſileenſi, ut quidem Curiæ Romanæ videbatur, aſperſi temperamentum, & durioris, ut Germani crediderant, Romanæ tenacitatis delinimentum inſimul continent, adeo, ut quidam etiamnum Caſus relinquerentur, in quibus reſervationes Pontificiæ anteriores liberam Capitulorum electionem excluderent, in cœteris vero priſtina Canonica, & Germanica illarum electionum libertas,

qua in conſtituendis vaſtarum Diœceſeon Epiſcopis, & magnorum Territoriorum ſimul ac Imperii Romano-Germanici Principibus, inſtar Eminentiſſimi Cardinalium Collegii in creando Summo Pontifice, Reverendiſſima & Illuſtriſſima Eccleſiarum Cathedralium Capitula antehac gaviſa fuerant, iisdem poſtliminii veluti jure, reſtitueretur, & ad terminos Juris communis Pontificum antehac partim authoritate conſtituti, & approbati, partim eorundem favore multum promoti magna ſaltem ex parte reduceretur. Id quod ÆNEAS SYLVIUS, qui concinnandis hiſce Concordatis nomine Imperatoris interfuerat, atque inde utriusque Partis mentem quam maxime ſibi perſpectam habuerat, diſerte profitetur, nempe eam fuiſſe Pontificis voluntatem, ut nihil admitteretur Baſileenſium Decretorum; eam ex adverſo Germanorum, ut nihil eorum prætermitteretur; mediam tandem illam placuiſſe viam & rationem, ut aliis daretur locus, aliis occluderetur. *Propter Decreta enim*, inquit, *Baſileenſis Concilii inter Sedem Apoſtolicam & Nationem Veſtram diſſidium cœpit; cum vos illa* PRORSUS *tenenda diceretis, Apoſtolica vero Sedes omnia rejiceret. Itaque fuit denique* COMPOSITIO *facta, in qua nos Imperatorio nomine interfuimus. Ea certam legem dedit deinde inviolabiliter obſervandam, per quam* ALIQUA *ex Decretis Concilii prædicti* RECEPTA *videntur,* ALIQUA REJECTA.

XI. Quod quidem eas attinet limitationes, atque exceptiones, in quibus hodiedum jus Electionis non reſtitutum, ſed ipſis quoque Pontificiis reſervationibus aliquatenus adhucdum pro eo, quo Natio Germanica præ aliis præcipue gloriatur, æquitatis ſimul, ac ſingularis in Sedem Apoſtolicam reverentiæ ſtudio ceſſum fuit, omnes profecto in antecedenti de Reſervationibus Capite eliquatæ ſunt, ubi nimirum de reſervatione Beneficiorum per obitum in Curia vacantium, Juris alias ſcripti dicta, & de extenſione ejusdem ad quoscunque alios in Curia vacandi modos per Extravagantem: *Ad Regimen* a BENEDICTO XII. facta ex propoſito

Digitized by Google

poſito diſſeruimus, atque ex ipſa hujus litera probatum atque evictum affatim dedimus, eadem juri Electionis frequentes ſatis etiamnum limites determinari. Regula vero, qua univerſim alias, extra caſus exceptos, valere libertas Electionis ſtatuitur, hoc potiſſimum ſecundo, qui nunc interpretandus eſt, Concordatorum §. ſtatuitur.

XII. Præcipue vero Regulæ ſecundæ Cancellariæ præſens hic §. opponitur. Hæc jam inde a CLEMENTE V. ejusque Pontificatus anno primo, æræ vero Chriſtianæ MCCCV. referentibus BURSAT. *Conſ.* 126. *num.* 18. PAULUT. *Juriſpr. ſacr. Tom. II. pag.* 406. & PIGNATELLI *Tom.* X. *Conſult.* CXXX. *num. II.* derivatur; communiter tamen JOANNI XXII., qui ampliori jure hac reſervatione uſus fuiſſe, quin & ſpecialem ſuper ea Conſtitutionem edidiſſe Avenione III. Cal. Auguſti, anno Pontificatus ſui ſexto apud RAYNALD *in Append. ad annum* MCCCXXII. legitur, attribui aſſolet; quamvis & ipſe eandem magis edidiſſe, quam impreſſiſſe, & primus potius, qui inter Cancellariæ Regulas eandem inſeruerit, URBANUS V. modo circa annum MCCCLXII. a BURSATO & PAULUT. ſupra memoratis cenſeatur. Cuicunque vero ex his Pontifici ejusdem origo præcipue adſcribi voluerit, id omnino certum omnibus conſtat, illam plurimorum circa reſervationes motuum poſt tempora JOANNIS XXII. præcipuam vel inde cauſam fuiſſe, quod Electionum libertatem, prærogativam antiquæ Nationi Alemannicæ tam pretioſam, tantaque olim virium contentione propugnatam, omnem prorſus uno veluti ictu ſubruerit; dum ad exceſſum uſque antehac inauditum omnes Eccleſias Patriarchales, Primatiales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, nec non omnia Monaſteria virorum valorem annuum CC. florenorum auri communi æſtimatione excedentium ad nutum & arbitrium ſaltem Pontificum, & quotiescunque ea uti iidem voluiſſent, reſervavit. Hanc igitur pro Germania prorſus revocatam, caſſatam ex integro, & abolitam eſſe, vel ſola hujus §. litera luce meridiana clarius demonſtrat, qua videlicet, extra caſus in Extravagante: *Ad Regimen ſu-*

perius expoſita comprehenſos, ad terminos Juris communis electio reducta fuit, ita tamen, ut aliqui etiamnum ejusdem Regulæ effectus, quoad confirmationem nimirum, & conſecrationem, tanquam priſtinæ illius reſervationis veſtigia, a Jure alias communi antehac vigente diſcrepantes relicti, Sedique Apoſtolicæ appromiſſi fuerint.

XIII. * Ac primo quidem reſtitutio Electionis Capitulis facta, ejusque ad terminos Juris communis eatenus reductio his luculenter verbis exprimitur in Concordatis per modum Pacti conceptis: *Item in Eccleſiis Metropolitanis & Cathedralibus, etiam Apoſtolicæ Sedi immediate non ſubjectis, fiant electiones Canonicæ.* Id quod NICOLAUS V. Papa in Bulla eorundem Concordatorum confirmatoria iisdem plane repetit: *Item placet nobis, quod in Metropolitanis & Cathedralibus etiam immediate non ſubjectis,...fiant Electiones Canonicæ.* Et cum per verbum: *Canonicæ* Electiones ad præſcriptum ſacrorum Canonum, & juxta diſciplinæ ante motus & querelas Nationum, tanquam Concordatorum cauſam, proxime conſtitutæ, ac ſtabilitæ normam factæ non poſſint non intelligi; ſecundum hanc vero normam Capitulis Eccleſiarum illæ competierint; his quoque eodem modo per tranſactionem hanc publicam ſtatus priſtini ante motus, & querelas obtenti reſtitutoriam eodem robore, eodemque cum effectu reſtitutæ dignoſcuntur, ut, ſicut antehac iisdem Reverendiſſimis Capitulis jus eligendi privativum, aſſiſtente iis fortiter Regula, ac præſumptione Juris, alios omnes extraneos quoscunque excludente, conceſſum, atque conſtitutum fuerat, ita & hodie eadem firmitate iis reſtitutum ſtabilitumque cenſeatur, atque ipſa etiamnum extraneos, omnes favore Decretalium anteriorum ſibi ſolis ſuffragante, excludere, ac prohibere poſſint, ſuaque regula contra omnem exceptionem, niſi legitima illa fuerit, & quidem concludenter probata, ſe tueantur, tutaque prorſus exiſtiment.

XIV. Hoc idem quoque de forma Electionis iisdem Decretalibus præſcripta, ob cujus obſervantiam Electiones quoque *Canonicæ*

nicæ appellari, & a non Canonicis diſcerni aſſolent, omnino eſt intelligendum. Nec enim dubium ullum ſupereſſe poteſt, quin Eccleſiæ Germanicæ in ſuis Electionibus formam Jure communi præſcriptam ſervare debeant, niſi ex ſpeciali privilegio, conſuetudine, aut fundatione aliquid ſecus obtinere probetur; cum Concordata nullum ſpecialem Electionis ritum, aut formam præſcribant, ſed ad Juris communis ſaltem terminos illam reducant, & illud, in quo nihil innovatum noſcitur, cur ſtare prohibeatur? Quæ vero forma Jure communi in Electionibus ſit ſervanda, alterius loci eſt diutius examinare.

XV. Sicut autem generaliſſima fuerat illa Regulæ II. Cancellariæ reſervatio, atque Eccleſias non tantum Metropolitanas, & Cathedrales, ſed & Regulares, & Abbatiales Monaſteriorum Virorum, dummodo valorem annuum CC. florenorum auri communi æſtimatione excederent, comprehenderat, ut revera mirum videri cuiquam poſſit, cur Pontifices PAULO III. anteriores in eadem *ſpecialiter* ſeſe reſervare expreſſerint, & jure multo potiori PAULUS III. deleto verbo: *ſpecialiter* alterum directe illi oppoſitum: *generaliter* ſubſtituerit; ita & reſtitutio Electionis per Concordata factæ æqualiter omnibus omnino Eccleſiis Metropolitanis, & Cathedralibus, ſive immediate, ſive mediate, tantum, Sanctæ Sedi Apoſtolicæ ſubjectis, ac Regularibus ſive Abbatialibus omnibus ſuffragatur. Quoad Cathedrales enim & Metropolitanas id clare ſatis particula: *Etiam* tanquam implicativa ex indole ſua eloquitur; Quoad Regulares vero: Monaſteria Virorum non exempta, vel Epiſcopis ſubjecta per verba: *Et in Monaſteriis Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjectis*, vel inde non excluſa cenſentur, quod hæc non tam ad reſtitutionem Electionum, quam ad earum ad Sedem Apoſtolicam delationem, de qua mox ſermo eſt in verbis: *quæ ad dictam Sedem deferantur*, referenda eſſe, omnino dignoſcatur. Id quod argumento a majori ad minus, ſive argumento ab electionibus immediatorum Monaſteriorum, quæ ſane majori cum ratione & jure reſervata fuerant,

ad electiones mediatorum ducto facile probari poſſet, niſi vel ipſa clara litera inferius poſita id ſatis doceret, ubi diſerte ſtatuitur: *Et in Monaſteriis dictæ Sedi immediate non ſubjectis, & aliis Regularibus Beneficiis, ſuper quibus pro confirmatione vel proviſione ad dictam Sedem non conſuevit haberi recurſus, Electi, ſeu illi, quibus providendum eſt, pro confirmatione vel proviſione hujusmodi ad Curiam Romanam venire non tenebuntur.* Unde tota illa reſtrictio, quæ ex verbis: *immediate ſubjectis*, colligi poſſe videtur, ad ſolam delationem Electionum Sedi Apoſtolicæ faciendam omnino pertinet.

XVI. * Deferendæ itaque ſunt ad Sedem Apoſtolicam omnes Electiones ad Eccleſias Cathedrales factæ, ſive immediate, ſive mediate tantum Sedi Apoſtolicæ ſint ſubjectæ, cum antea Jure communi ante reſervationes haſce inductas tantum ex immediate ſubjectis vel exemptis Eccleſiis Cathedralibus illæ deferrentur, ſalvo de cœtero quoad Eccleſias Cathedrales non exemptas, ſive Suffraganeas Metropolitis Jure earundem Electionum ad ſe delationem exigendi. Quædam etiam ex Eccleſiis Regularibus, ſed immediate tantum dictæ Sedi ſubjectis, dirigendæ ſunt, uti hic ſtatuitur. Quænam vero hæ ſint, ex inferius dicendis patebit, ubi verba jam numero proxime antecedente relata ſuo in loco examinabimus. Tempus porro, intra quod illæ deferendæ ſint, trimeſtre, ſive idem, quod quoad immediatas Jure communi alias conſtitutum fuerat, determinatur in verbis: *Quas etiam ad tempus Conſtitutionis felicis recordationis* NICOLAI PAPÆ III., *quæ incipit:* Cupientes, *exſpectabimus.* Unde & hic Concordatorum paſſus, quamvis quoad Eccleſias, ex quibus Electiones ad Sedem Apoſtolicam deferendæ ſunt, aliquatenus Jus commune diverſificet, & ultra ejusdem literam id extendat, quoad tempus tamen præfixum cum eodem conſpirare omnino dignoſcitur.

XVII.

XVII. * Idem prorſus quoad pœnam quoque negligentiæ in hiſce commiſſæ in verbis mox ſubſequentibus: *& elapſo dicto tempore, ſi non præſentatæ, vel ſi præſentatæ minus Canonicæ fuerint, providebimus*, ſtatutam obſervandum venit. Jure enim communi in pœnam negligentiæ Juris devolutionem ad Superiorem obtinere, firmum ratumque eſt. Et cum negligentia tam in omittendo, quam etiam in committendo conſiſtere poſſit, utraque æqualiter eidem pœnæ obnoxia ſtatuitur. Et quidem quod omiſſionem Electionis, vel præſentationis ejusdem intra terminum trimeſtrem a jure præfixum attinet, diſertis ea verbis continetur in Cap.: *Ne pro defectu* 41. *de Elect. & Elect. poteſt.*, ubi cavetur, ut ultra tres menſes Cathedralis, vel Regularis Eccleſia Prælato non vacet. Intra quos, juſto impedimento ceſſante, ſi Electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi poteſtate careant ea vice, ac ipſa eligendi poteſtas ad eum, qui proximo præeſſe dignoſcitur, devolvatur. Quod autem eligentes ſcienter indignum ſecuto effectu priventur pro ea vice jure & poteſtate eligendi, Cap. *Cum in cunctis* 7. §. *ult.* Cap. *Cum Vintonienſis* 25. Cap. *Scriptum eſt.* 40. *de Elect.* & Cap. *Perpetuo* 7. *eod. in VI.* luculenter diſponitur. Eos denique, qui contra formam Cap. *Quia propter* 42. *de Elect.* præſcriptam, atque ita non Canonice elegerint, eadem quoque privationis, & conſequenter devolutionis pœna teneri idem Capitulum: *Quia propter* 42. mox laudatum in fine ſubnectit. Quamvis vero ex his allegatis Capitulis eadem utriuſque negligentiæ tam in omittendo, quam in committendo commiſſæ pœna ſtatuta ſit, privatio ſcilicet juris eligendi ea vice, dum Capitulo illud utrinque adimitur; non tamen idem utrinque fuerat de Jure communi Superior, ad quem id devolveretur: ſed illud inter negligentiam proprie dictam, atque in omiſſione conſiſtentem a culpa in committendo, aut forma non ſervata omnino diſtinguebat Cap. *Quanquam* 18. *de Elect. & Electi poteſt. in VI.*, atque ob negligentiam proprie dictam, ſive in omiſſione con-

U ſiſten-

ſiſtentem ad Superiorem immediatum, ſive eum, qui proxime præerat, Jus eligendi ea vice transferebat. In caſu vero culpæ commiſſæ per electionem indigni, vel formæ non ſervatæ ad Summum Pontificem immediate illud Jus devolvebatur. Cujus diverſitatis rationem forſan haud inepte in eo repoſueris, quod, dum electio vel ob inidoneitatem, ac indignitatem Electi, vel ob non ſervatam formam caſſatur, ſpecies quædam privationis Epiſcopatus ſubeſſe videatur, dum electus jam ſuffragiis Canonicorum, tanquam indignus rejicitur, vel declarata ſaltem ſatis illorum voluntate, licet præter formam a Canonibus præſcriptam adeoque nulliter jam deſignatus repudiatur. Atque proinde, ſicut vera privatio Epiſcopatus jam inde a Sæculo X. ſaltem, poſt ſuppoſititias nimirum Decretales, inter Cauſas Majores ſoli Pontifici reſervatas numerata fuerat; ita mirum ſane non videtur, quod & hanc inchoatam quaſi privationem, ut ita loquamur, ſibi Pontifices per Decretales aſſeruerint. In eo itaque hic Concordatorum paſſus a Jure communi rurſus deviat, atque recedit, quod Jus providendi in caſu quoque negligentiæ proprie dictæ, ſive in omittendo commiſſæ non ad immediatum Superiorem, ſive eum, qui proximo præeſſe, & reſpectu Cathedralium Eccleſiarum Archi-Epiſcopus eſſe manifeſte dignoſcitur, ſed ad ipſum ſtatim Summum Pontificem devolvatur, utpote ad quem confirmatio, (hujus enim ſequela eſt negligentiæ in Electione commiſſæ ſuppletio) vigore eorundem Concordatorum pertinet, eique libera per verbum: *providebimus* immediate per ſemetipſum providendi facultas jure devoluto deferatur.

XVIII. * Illud vero mirum videri jure non immerito debet, qui hac in re alius adhucdum duplex a Jure communi receſſus ex hiſce verbis: *Si non præſentatæ, vel ſi præſentatæ minus Canonicæ fuerint, providebimus.* non tam in præjudicium Metropolitanorum, quam Capitulorum extundi, & præfigurari velit. Primus eſt, quod hæc proviſio immediata Summi Pontificis

tificis locum habeat, quamvis in omittenda Electionis factæ præſentatione a Capitulo nulla commiſſa fuerit negligentia, vel culpa, ſed ſi ipſis Electoribus, vel maxime in termino legitimo comparentibus, & aliunde nec in Perſona, nec in forma electionis peccantibus, ſolus Electus pro confirmatione ſuæ electionis in termino Juris non comparuerit; adeo nimirum, ut non tantum electio irritetur, & Electus Jure ſibi inde quæſito excidat, ſed nec ad Electores quamvis innocentes revertatur, ex ſola illa & generali nimium ratione, quod alias diutinæ Eccleſiarum vacationi, ſacris Canonibus ac præcipue Capitulo: *Cupientes*, allegato prohibitæ non ſatis eſſet proviſum, nec celeris illarum eſſet expeditio. Alter eſt, quod electione etiam ob contemptum unius Vocalis abſentis, qui de Jure vocari debuerat, non vocati, & ad hujus inſtantiam caſſata, nihilominus immediata denuo Pontificis proviſio, excluſo Capituli & abſentium, qui de contemptu egerunt, & in quorum favorem caſſari electionem, Juris communis ſanctio decernit, eligendi Jure, vi hujus Concordatorum §. ingredi, ac locum habere prætendatur. Utrique ſane repugnat generalis illa Juris devoluti ratio, quod nonniſi in pœnam negligentiæ illud a Jure conſtitutum, adeoque in illorum, qui nullam commiſere negligentiam, præjudicium vergere, ac naturaliter alteri per alterum iniqua conditio inferri, vel unus alterius odio prægravari non debeat. *Cap.* 22. *& ſeq. de R. I. in VI.* Ac præcipue quoad poſteriorem hunc caſum eo fortius hoc argumentum ſtringere videtur, quod imprimis de Jure communi certum omnino ſit, eligendi Jus ob contemptum unius ad Superiorem devolutum nunquam fuiſſe; ac deinde nequidem reſervationi *Extravagantis: Ad Regimen* locum eſſe, quando electio in ſe valida eſt, & pendet tantum a contempti voluntate eam irritare, vel pro ejuſdem caſſatione inſtare, ipſimet Curialiſtæ Romani doceant; *Conf.* RIGANTIUS *Comment. in Reg. I. Cancell.* §. *III. num.* 9. quia nequaquam præſumendum iidemmet autumant, quod Papa voluerit ſibi reſervare Jus con-

ferendi, tollendo beneficium, quod de Jure communi habet contemptus, non reclamandi ab electione, & qua ſecluſa reclamatione electio ipſa ſuſtinetur. Multo minus proinde vigore Concordatorum aliquid eatenus immutari voluiſſe præſumi poterit, in quibus certum eſt, utrorumque Summorum Concordantium, id eſt, tam Curiæ Romanæ, quam Inclytæ Nationis Germanicæ unicam mentem fuiſſe, reſervationes antehac vigentes potius reſtringere, & arctiores intra cancellos concludere, quam ultra antiquos illas ampliare. Nec ſane plus generalitas verborum in Concordatis obviorum: *Si minus Canonicæ fuerint, providebimus*, quam generalitas illa verborum in Extravagante: *Ad Regimen* ſupradicta relatorum ſtringere, aut convincere poterit.

XIX. * Immediatam porro liberamque proviſionem Sedi Apoſtolicæ Jure devoluto in Concordatis delatam, de qua hactenus ſermo fuit, Juris confirmandi ad eandem pertinentis ſequelam eſſe, §. præcedente jam præoccupavimus. De hoc ipſo vero verba mox ſequentia diſponunt: *Si Canonicæ fuerint, confirmabimus*. Et hunc quoque Concordatorum paſſum a Jure communi recedere, ignorat nemo, qui vel a limine tam antiquæ, quam etiam recentioris Decretalium Diſciplinæ notitiam ſalutaverit; adeo nimirum certum & evidens eſt, eandem ad Concilia Provincialia ex Metropolitano, & Epiſcopis Comprovincialibus conſtituta cum ipſa quoque Epiſcoporum conſecratione, a qua tum nequaquam diſtinguebatur, pertinuiſſe, & cum præcipua penes ſolum Metropolitanum, tanquam primum ac Præſidem, in Conciliis iisdem authoritas reſideret, ad hunc etiam ſolum, ex quodam ut minus tacito Eccleſiæ conſenſu, ſenſim transmigraſſe, & eandem Diſciplinam, Confirmationes Suffraganeorum Metropolitano tribuentem, Jure etiam Decretalium GREGORII IX. apertiſſime ſuppoſitam, & ſtabilitam, per tredecim facile Sæcula inconcuſſam permanſiſſe. Prius equidem & jam de Jure ipſo

De-

Decretalium Metropolitanorum ipſorum Confirmatio univerſim nonniſi a Summo Pontifice petenda & exſpectanda fuerat, tametſi neceſſaria ex indulgentia ſuas ante adminiſtrare permitterentur Eccleſias, quam confirmarentur, ſi eæ ultra Montes, ut in Germania, adeoque longinquiores eſſent, nec non electiones in concordia celebratæ. Id quod intermiſſæ Conciliorum Provincialium frequentiæ, ac ſubinductæ ea convocandi deſuetudini, nutantibus alioquin & vacillantibus, in Germania præſertim, imo per Legationes a latere jam penitus extinctis Primatum juribus, merito imputatur. Cum enim ad Metropolitanorum electionem non amplius conveniret Provincialis Synodus, ad Superiorem neceſſario confugiendum fuerat, qui examinaret & confirmaret Electionem ab Eccleſia Metropolitana factam; Excluſo Primate, cui alioquin confirmandi electiones conſuetudo rariſſime, & vix unquam in Germania ſuffragabatur, alius certe ſupereſſe non poterat, niſi ſolus Pontifex Romanus, ſive eum tanquam Supremum totius univerſalis Eccleſiæ Caput, ſive tanquam Patriarcham Occidentis conſideraveris. Nullus enim Suffraganeorum electionem Metropolitani confirmare poterat, ſed Metropolitanus ea adhuc ætate & Decretalium vigore Suffraganeorum omnium poterat. Hujus diſciplinæ haud ignarus JOANNES ECKIUS famoſus ille LUTHERI Antagoniſta *Lib. III. de Primatu Petri, Cap.* XL. referente ESPENIO ait, ab antiquo ex ſua quidem ſententia conſtitutum, Epiſcopum quemlibet a ſuo Metropolitano confirmandum, & Metropolitanum a Primate, & Primatem a ſuo Patriarcha; miraturque, quomodo contra Jura, quæ plurima ibidem profert, ſuas confirmationes Epiſcopi, præſertim Germani Roma petant. Pergit enim: *Quod jugum, neſcio, quomodo Epiſcopi excuſſerunt, ut Confirmationem ſaltem in Germania, omnes ex Roma petant. Forſan viri magni & potentes, ac natalibus illuſtres, dedignabantur confirmari ab humilis ſubin generis Metropolitano &c.* Sed rariorem, imo & incertiorem hanc Confirmationis ad Summum Pontificem devolutæ occaſionem fuiſſe, exiſtimat ESPENIUS.

Plures itidem alias, ac perquam varias ejusdem diſciplinæ immutationis cauſas recenſet THOMASSINUS *Vet. & Nov. Diſcipl. P. II. Lib. II. Cap. XLIII. de Confirmatione Epiſcoporum*; per quas ita gradatim & pedetentim ad neceſſitatem, Sedem Apoſtolicam, petendarum confirmationum Epiſcopalium ergo, adeundi deventum fuiſſe credit. Magis certam vero ejusdem, ac propiorem cauſam ESPENIUS paulo ante laudatus in ipſis reſervationibus Apoſtolicis, quibus nimirum, uti electio Canonica Capitulorum omnino abolita, & Sedis Apoſtolicæ arbitrio libera proviſio relicta, ita conſecutive, ne hæc, in aliquod Summæ illius authoritatis præjudicium, inferioris ſyndicatui ſubjiceretur, confirmatio quoque Metropolitanis adempta fuerit, eodem loco ſuperius allegato reponit.

XX. Non æquo prorſus animo Metropolitanos Germaniæ noſtræ, eos præſertim, qui Electores ſimul Imperii ſunt, hanc Juris ſui diminutionem tam magnam tuliſſe, facile eſt conjicere, & ipſa inſuper *Gravamina Conſtantienſia* ſub SIGISMUNDO Imperatore per Deputatos Provinciarum Nationis Germanicæ concepta, Concilio Conſtantienſi, & poſtea per Deputatos ejusdem Nationis audita (ut refert GOLDASTUS *Tom. I. Conſtit. Imper.*) manifeſto docent argumento, dum *Cap. III.* ita habent: *Electiones, quoties occurrerint faciendæ, poſtquam factæ ſunt, per* immediatos Superiores *ſecundum formam juris examinentur, & Canonice factæ confirmentur; & quod nullo modo liceat Summo Pontifici quicquam in contrarium attentare, præterquam in electis ſibi immediate ſubjectis, de quibus habebit prohibere; vel niſi contingat in præmiſſis quidquam contra formam juris factum, aut eſſe quomodolibet attentatum, quo ſicut ad id tenetur, ita ſibi liceat taliter acta, vel attentata retractando, reformare cum poteſtate corrigendi, vel puniendi transgreſſores.* Hoc enim poſterius de Jure communi jam Summo Pontifici competiiſſe, ex Cap.: *Quanquam* 18. *de Elect. in VI.* ſuperius aſſeruimus. Concilium vero Conſtantienſe quamvis Seſſ. XXXVI., pacis Eccleſiaſticæ non magis perturbandæ

dæ cauſa, confirmationes Epiſcopatuum a Pontificibus iis, quos mox gradu dejecit & abdicavit, factas ratas habuerit, quin & abdicatis iisdem, aut Sede pulſis Bullas, quæ eorum nomine Confirmatis conſignatæ nondum fuerant, Concilii nomine expediri & conſignari juſſerit; eodem tamen ipſo tempore de reducendis denuo ad terminos Juris antiqui confirmationibus Epiſcoporum ſedulo ac ſerio cogitavit, dum Decreto Seſſ. XL., quo multa & magni omnino ponderis puncta in meliorem formam poſthac revocanda eligendo mox Pontifici per modum ſalutarium quorundam monitorum præordinavit, illum quoque *de Confirmationibus Electionum* numero V. inſeruit. Sed quod Synodus Conſtantienſis meditata fuerat, id a Baſileenſi efficacius perfectum novimus. Reſciſſis enim, uti ſupra obſervavimus, Seſſ. XII. & XXIII. reſervationibus tam generalibus, quam particularibus, id unum diſponit, ut ad confirmandas electiones etiam Canonicas ad Summum Pontificem recurri adhuc poſſit, ſiquo in caſu, de quo inferius, grave aliquod diſpendium Reipublicæ vel Eccleſiæ immineret: ſi modo tunc confirmatione Romæ recuſata, altera Electio ad Capitulum referretur. De cœtero vero diſerte ſtatuit, *ut electiones in Eccleſiis ſine impedimento omnino fiant, quæ cauſa cognita juxta Juris communis diſpoſitionem confirmentur.* Hiſce ex integro conſpirant *Gravamina Moguntina* poſt Concilium Baſileenſe anno MCCCCXL. confecta, & ſub nomine *Projecti Concordatorum* apud SENCKENBERG relata, quæ §. 6. diſertius illa verba: *juxta Juris communis diſpoſitionem* explicant; ubi Jus confirmandi Electiones Immediato Superiori ſecundum regulam Juris communis denuo reſtituendum aſſerunt, in verbis: *Facta autem electione, decretum electionis immediate Superiori, ad quem Jus pertinet confirmandi, præſentetur, qui in electionis negotio procedat, formam electionis & Electi merita omneſque circumſtantias diligenter examinaturus, ita ut ſi Electio confirmanda ſit, vel infirmanda, judicialiter confirmetur, vel infirmetur,*

Atque

Atque hos Imperii Status projectantes eodem adhucdum anno MCCCCXL. imitati ſunt Patres Synodi Diœceſanæ Friſingenſis, qui, dum Principes nuperi Conventus Moguntini tum Eccleſiaſticos, tum Sæculares Decretis Baſileenſibus, cum additamentis tamen quibusdam Germanicæ Nationi, ejusque diſciplinæ ac Politiæ neceſſariis, aſſenſos eſſe affirmant, eadem ratione illis ſubſcribunt, adduntque in votis ſibi eſſe, ut, quos etiam Papa promoveret, ii confirmarentur & ordinarentur *ab immediato Superiore*, cui Sacramento obedientiæ adſtringerentur. Utrique nimirum Decreta utriusque Seſſionis Concilii Baſileenſis ſuperius memoratæ eo interpretabantur, ut confirmationem a Superiore immediato, ſive Metropolitano impertiendam requiri ab eodem Concilio exiſtimarent, cum in utraque per Electiones & *confirmationes Canonicas ſecundum Juris communis diſpoſitionem* Metropolitanis, Cathedralibus, Monaſteriis & Collegiatis Eccleſiis providendum eſſe ſtatuerat atque decreverat.

XXI. Ab hac autem prætenſione ſua, utut æqua, tum Principes Imperii, & ipſosmet Archi-Epiſcopos poſthac receſſiſſe, vel, ut nulla ejusdem tum haberetur ratio, demum conſenſiſſe, ea ipſa, quæ per modum pacti de conſenſu eorundem confecta ſunt, Concordata luculenter teſtantur. Iſtorum enim vigore licet Pontificiæ reſervationes quoad Epiſcopatus & Prælaturas per Concordata Germaniæ fuerint ſublatæ, aut ſaltem in multis reſtrictæ, reſtituta denuo Capitulis per modum Regulæ communis Canonica Electione; Confirmationes tamen Epiſcoporum Romano Pontifici reſervatæ manſerunt, nec ad Metropolitanos quicquam Juris ſui antiqui fuit reverſum. Nec mirum ſane videri debet, quod Germanica Natio Juris antiqui eatenus reductionem obtinere a Curia Romana neutiquam potuerit, cum & nulla alia Natio præcipui quidquam, aut prærogativæ hac in re habeat. Quapropter Concordata etiam Galliæ inter Leonem X. & Franciscum I. inita cum Concordatis noſtræ Germaniæ eatenus apprime conſpirant. Nam & illis conventum quidem eſt, ut Rex Vi-

rum

rum gravem, & qualitatibus ibidem expreſſis inſtructum, & alias idoneum intra ſex menſes a die vacationis Eccleſiarum Romanis Pontificibus, ſeu Sedi Apoſtolicæ nominet, de Perſona tamen per Regem hujusmodi nominata, per Romanos Pontifices, ſeu Sedem prædictam neceſſario providendum eſſe, concluditur, adeo, ut, qui ante hanc Papæ proviſionem fructus Epiſcopatus receperit, ejusque adminiſtrationi ſeſe ingeſſerit, teſte REBUFFO jus nominationis amittat, ac intruſus dicatur. *Conf. Concord. Gall.* §. *V.* Ibi: „Illarum (Eccleſiarum Cathedralium & Metropoli-„tanarum) occurrente vacatione, Rex Franciæ pro tempore „exiſtens unum gravem Magiſtrum, ſeu Licentiatum in Theo-„logia, aut in utroque, ſeu in altero Jurium Doctorem, aut Li-„centiatum in Univerſitate famoſa, & cum rigore examinis, „& in vigeſimo ſeptimo ſuæ ætatis anno ad minus conſtitutum, „& alias idoneum, infra ſex menſes a die vacationis Eccleſiarum „earundem computandos, Nobis, & Succeſſoribus noſtris Ro-„manis Pontificibus, ſeu Sedi prædictæ nominare, & de perſo-„na per Regem hujusmodi nominata per Nos & Succeſſores „noſtros, ſeu Sedem prædictam provideri.„ Et alia quoque Indulta, ac privilegia cæteris quibusdam Regibus conceſſa, quamvis jus nominandi ad Cathedrales Eccleſias indulgeant, confirmationem tamen, ſive proviſionem Romanis Pontificibus, ſeu Sedi Apoſtolicæ ſemper reſervant, nec alteri, quam Sedi Apoſtolicæ Perſonam a Regibus illis præſentari volunt, ut paſſim hodie Confirmatio Epiſcoporum, ſive proviſio Eccleſiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium vacantium inter cauſas majores Sedi Apoſtolicæ privative reſervatas numerari fere mereatur, & cum ex more, ac inſtituto Curiæ Romanæ, juxta mentem CARDINALIS DE LUCA, ſane optimo, nimiumque commendabili, nonniſi in Conſiſtorio, & quidem iterato, antiquorum veluti Conciliorum Provincialium aliquam etiamnum figuram referente, ex voto Cardinalium fieri ſoleat, inter functiones ejusmodi Conſiſtoriales, præter creationem Cardinalium, facile præcipua cenſeatur.

XXII. Ingrata profecto, & jure non immerito, Metropolitanis videri poterat hæc juris ſui in Confirmatione Suffraganeorum alias præhabiti diminutio, aut totalis potius extinctio. Inde vero etiam reſpectu Epiſcoporum omnium Germaniæ neceſſitas perſonaliter Romæ comparendi, quæ alias ſolis Exemptis, aut immediate Sedi Apoſtolicæ ſubjectis per Capitulum: *Cupientes* 16. *de Elect. in VI.* impoſita fuerat, eodem Capitulo expreſſe per Concordata firmato, & ad omnes extenſo profluxit. Non tamen æque his difficilis eadem videri poterat, quod impediti per procuratorem legitime inſtructum ſatisfacere huic debito poſſint: atque inde adeo iis oneri non eſt, ut potius ingenti illis emolumento compenſetur. Jure enim communi, quod ante Concordata Germaniæ, Confirmatione ad Metropolitanos adhucdum pertinente, reſpectu Epiſcoporum quoque Germaniæ haud dubie viguerat, Electis, utut in concordia, omnis interdicta fuerat Eccleſiarum adminiſtratio tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus *Cap. Noſti.* 9. *Cap. Qualiter* 7. *de Elect. & Electi poteſt*: *Cap. Avaritiæ* 5. *eod. in VI.*, vi quorum Electi adminiſtrationi ante Confirmationem, etiam ſolius Oeconomi aut Procuratoris nomine, aut prætextu ſeſe ingerentes, non tantum jure per Electionem quæſito privantur, ſed pœnis quoque gravioribus ſubjiciuntur. Soli tum excipiebantur Epiſcopi immediate Summo Pontifici ſubjecti, & ad ejus confirmationem pertinentes, quibus in *Cap. Nihil* 44. *de Elect. & Elect. poteſt*: ex Concilio Lateranenſi IV. deſumpto, ſi valde remoti, & ultra Italiam conſtituti, & in concordia electi fuerint, in ſpiritualibus & temporalibus adminiſtrare Eccleſias, ſic tamen, ut de rebus Eccleſiaſticis nihil penitus alienarent, *propter neceſſitates earum & utilitates* diſpenſative permittebatur. Quæ porro illæ fuerint neceſſitates, & utilitates Eccleſiarum, Cap. *Quod ſicut.* 28. *de Elect.* in integra Decretali planius eloquitur, hac aſſignata ratione: *quia ſi tanto tempore, quouſque poſſet Electus Confirmationem cum Pallio a Sede Apoſtolica obtinere, Regalia non reciperet, Eccleſia, quæ interim adminiſtratione careret, non modicum incurreret detrimentum.* Qui vero vi hujus Capituli

ſolis

ſolis Epiſcopis immediate Sedi Apoſtolicæ ſubjectis proprius fuerat, favor omnibus reliquis per Concordata Germaniæ Epiſcopis communis redditus atque participatus eo ipſo fuit, quod omnium eorundem ad Summum Pontificem Confirmatio, atque, ut infra patebit, Conſecratio avocata fuerit, aut eidem ſaltem reſervata ſtabili jure permanſerit. Et quamvis juris Regaliæ nunc uſus ex ipſa Imperatorum jam ſuperius laudatorum benevolentia ceſſarit; æque tamen parum communi Capitulorum adminiſtrationi Sacri Canones confidunt, ac potius uni, eique proprio Eccleſiæ viduatæ Paſtori jam renuntiato, ac mox per Confirmationem præficiendo, quam pluribus eandem committere maluerunt.

XXIII. Atque inde cum diſpenſatione Juris Scripti generali tuti ſint, Placet quodam Apoſtolico, aut licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, haudquaquam iisdem opus eſt. Sed & ſiqui fortaſſis id impetrare ſoleant, non eſt, cur Doctores quidam id adeo jactitent; ac certe per non uſum paucorum privilegium a Jure communi conceſſum, non eſſe ſublatum, merito docent ex Laymanno *de Elect. Qu.* CXII. Wagnereck ad Cap. *Nihil ſup. cit.* verb. *ultra Italiam.* Item Schmier *Jurisprud. Canon. Civil. Lib. I. Tract. III. Cap. I. Sect. V.* §. *I. n.* 494. Secus tamen de Poſtulatis ſentiendum eſt, nec ad hos, utpote quibus per Poſtulationem, ante Superioris admiſſionem, nullum jus acquiritur, extendendum facile videtur. Potiori proinde jure iidem a Sede Apoſtolica Placet prædictum expetunt, quod & Ipſa, pro ſua fiducia in unius adminiſtratione repoſita, quandoque non denegat, uti, ſpecialibus id exigentibus circumſtantiis, Sanctiſſimæ Memoriæ Benedictus XIV. moderno Reverendiſſimo ac Celſiſſimo Epiſcopo, ac Principi Herbipolenſi ADAMO FRIDERICO, dum ad Epiſcopatum Bambergenſem, oblatis ultro Reverendiſſimi illius Capituli votis, poſtulabatur, impertitus fuit, per quod tanquam diſpenſationem ſpecialem eandem ſtatim, nondum obtenta, nec exſpectata poſtulationis admiſſione, adminiſtrandi licentiam ſpecialem obtinuit, quæ alias Electis concorditer in Germania per diſpenſationem generalem in Corpore Juris com-

munis clauſam indulgetur. Hæc autem diſpenſatio, & quæ eadem nititur, certa & frequentior ſaltem quoad Electos in concordia in partibus Germaniæ praxis, non tantum quoad ea, quæ Juriſdictionis Eccleſiaſticæ ſunt, ſuffragatur; ſed etiam ad effectus Juris Publici Imperii noſtri Romano - Germanici ſeſe porrigit, ut & omnem poteſtatem Territorialem, & Jura omnia, etiam Imperium univerſum reſpicientia, ſive Comitialia, utpote Territorio annexa, expedire queant. Ac proinde Moguntinus E. C. electus ſtatim Imperii negotia ſuſcipere, ea dirigere, Legatum ſuum, illorum peragendorum cauſa, ad Comitia Imperii ablegare poteſt, ſicuti & reliqui Epiſcopi electi mox votum & ſeſſionem in Comitiis habent, & quod antehac, tempore Sedis Epiſcopalis vacantis Capitulorum, Jura Territorialia adminiſtrantium, nomine geſtum fuerat, poſt electionem Legatus Electi in Epiſcopum nomine eo miſſus ſuſcipit, adeo, ut tantum in Principatibus Eccleſiaſticis tribuere dicatur electio, quantum alias in Principatibus ſæcularibus tribuit hæreditaria ſucceſſio. Illa vero, quæ Ordinis ſunt, peragere nequeunt, quæ demum per Conſecrationem conſequuntur, accedente quoque Pallii ſuſceptione, ſi de Archi - Epiſcopis quæſtio eſt, & ita Moguntinus ante Conſecrationem, & Pallii ſuſceptionem inaugurationem Cæſaris perficere haud poſſet.

XXIV. * Majorem certe præ omnibus hiſce hactenus explanatis notam, atque diſcuſſionem meretur ea, quæ mox dicto Juri confirmandi Sedi Apoſtolicæ reſervato adjecta ſequitur clauſula: *Niſi ex rationabili & evidenti cauſa, ac de dictorum fratrum conſilio, de digniori & utiliori perſona duxerimus providendum.* Hæc enim quo magis ad Regulæ II. Cancellariæ, prout olim ſaltem uſque ad Leonem X. & Clementem VII. cum hiſce voculis in fine adjectis: *Quotieſcunque Summi Pontifices illa uti voluerint*, concepta fuerat, tenorem accedere, & totum electionis, utut Canonice a Capitulis perfectæ negotium ad ſolum Summi Pontificis arbitrium reducere videtur; eo longius a Jure communi

muni ſimul, & a favore electionis Capitulis per Concilium Baſileenſe reſtituto diſcrepat. Jure enim communi Electionem electo jus ad rem tribuere, adeo, ut absque injuria, & juſtitiæ ſtricte dictæ, ſive commutativæ læſione per novam electionem, aut aliam proviſionem alius eidem Eccleſiæ præfici nequeat, niſi defectus quispiam vel ex parte Electi, vel ex parte electionis detegatur, atque doceatur, teſtantibus Cap. *Inter corporalia 2. & Cap. ult. de Translat. Epiſcop. Cap. In cauſis 30. de Elect.*, res expedita eſt. In eo quippe a Poſtulatione Electio præcipue differt, quod illam vel maxime canonice factam admittere, aut rejicere in arbitrio Superioris, qui propterea diſpenſative tantum admittere illam dicitur, ſit repoſitum; ubi e converſo vel ipſum Confirmationis, quæ in Electione locum habet, nomen juris cujusdam præexiſtentiam ſupponit. Atque ideo Confirmatio Juris, juſtitiæ, & neceſſitatis eo cum effectu, ex juris communis diſpoſitione, cenſebatur, ut etiam Sede Archi - Epiſcopali vacante a Capitulo Metropolitano ea peragi, & expediri valeret, cui alias in rebus meræ gratiæ nulla eſt poteſtas.

XXV. Concilium porro Baſileenſe, quamvis in famigerato, ac ſæpe memorato illo ſuo Decreto Seſſ. XII. ſupremam illam Paſtoralem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ in omnes inferiores Eccleſias ſolicitudinem, ac authoritatem pro ſua in eandem reverentia, ac totius Univerſalis Eccleſiæ ſalutis tuendæ ſtudio, ſalvam omnino cuperet; ita tamen eandem exerceri voluit, ut libertatem Electionum non penitus tolleret, aut everteret, ac authoritatem Sedis Apoſtolicæ in meram Pontificis voluntatem, & nudum arbitrium converti non pateretur. Statuit enim, ut abolitis reſervationibus omnibus tam generalibus, quam ſpecialibus, Eccleſiis, & Dignitatibus per Canonicas Electiones, & Confirmationes provideri deberet, & libera eligendi ac confirmandi facultas impediri non poſſet, nec ipſe quoque Romanus Pontifex adverſi quidpiam attentaret, niſi *ex magna rationabili & evidenti cauſa in literis Apoſtolicis nominatim exprimenda.* Quia tamen contra ipſius Decreti mentem non pau-

ca ſine hujusmodi cauſa geſta ſunt, unde gravia jam tum ſucceſſerint ſcandala, & graviora indies timerentur, inde nolens eadem Synodus, ut ipſius Decreti mens, quæ fuit omne obſtaculum a Canonicis Electionibus & Confirmationibus tollere, ſuo fruſtraretur effectu, idem denuo repetiit Decretum *Seſſ. XXIII. Cap. V.*, clauſulam vero ibidem additam pluribus adhucdum conditionibus auxit, & Summi Pontificis authoritatem, ne in arbitrium merum deflecteret, ſed ad ſolam Eccleſiæ univerſæ ſalutem ſeſe exereret, arctioribus adhuc cancellis circumſcripſit, ſtatuens nimirum, ut Electiones ſine impedimento aut obſtaculo omnino fiant, quæ cauſa cognita juxta Juris communis, & dicti Decreti diſpoſitionem confirmarentur: *Veruntamen* (addit enim idem Concilium) *ſi contingat, Electionem aliquam, etiam alias Canonicam fieri, quæ in perturbationem Eccleſiæ, aut Patriæ, vel boni publici vergere videatur, Summus Pontifex, cum ad ipſum Confirmatio relata fuerit, ſi talem* urgentiſſimam cauſam *adeſſe manifeſte cognoverit, ea prius mature diſcuſſa, ac parte plene defenſa, accedente poſtea S. R. E. Cardinalium, aut majoris partis ſubſcriptione, hujusmodi cauſam veram ſufficientemque fore atteſtantium, rejecta tali electione* ad Capitulum vel Conventum *remittat, ut vel intra tempus juris vel aliud juxta loci diſtantiam ad aliam, ex qua evenire talia non formidentur, electionem procedant.* Quod ipſum quoque iidem Status Imperii, jam anno MCCCCXL. Concordiam cum Summo Pontifice, depoſita neutralitate, a ſe agnoſcendo Moguntiæ meditantes, inter easdem ſuas Pacis cogitationes jam ſupra allegatas eodem §. VI. ſupra citato repetierunt, atque ex ipſo Concilio Baſileenſi mutuarunt in verbis: *Electiones autem & Confirmationes, ut præmittitur, factæ neque per Papam, aut Sedem Apoſtolicam, ſeu illius, aut alia quavis authoritate infringi valeant, ſeu quomodolibet impediri, niſi forte in perturbationem Eccleſiæ, aut privatæ, ſeu publicæ utilitatis electio aliqua vergere timeatur. Quo caſu Summus Pontifex, cum ad ipſum Confirmatio delata fuerit, ſi* talem urgentiſſimam cauſam *ſubeſſe agnove-*

noverit, ea prius mature diſcuſſa, & parte plene defenſa, accedente totius Eccleſiæ Cardinalium, vel majoris partis ſubſcriptione, cauſam ejusmodi veram ſufficientemque fore atteſtantium, tali electione reje-cta ad Capitulum vel Conventum remittat, ut infra competens tempus juxta loci diſtantiam ad aliam, ex qua talia non formidentur, electionem procedant. Quibus ſane verbis quam optime plenitudo poteſtatis, vel authoritatis Sedi Apoſtolicæ reſervatur, ubi inevitabilis neceſſitas, & Eccleſiæ ſalus, quæ ſuprema in omnibus lex eſſe debet, id exigit, ita tamen, ut cum plenitudine juſtitiæ arctiſſimo ſemper vinculo conjuncta deſideretur, ne in arbitrium illimitatum degeneret, atque ne conceſſa ſimul liberæ proviſionis facultas, quæ ſane ad illum finem parum conducit, cum tanti non interſit, per quem, ſed quam rite & digne provideatur, frequentiorum juſto irritationum ſubminiſtraret illicium.

XXVI. Verum igitur ut ſincera, & cordata libertate fateamur, primo ſane obtutu participare aliquid de allegata ſuperius Regulæ II. Cancellariæ clauſula hic Concordatorum paſſus videtur; eodem tamen penitius inſpecto multo plura ex nuper memorato Concilii Baſileenſis Decreto, & Projecto Moguntinenſi mutuata eſſe, cuivis utrumque inter ſe aliquanto penſoſius conferenti ad oculum patebit. Atque ita ea ipſa reſervatio his verbis: *Niſi ex rationabili & evidenti cauſa, ac de fratrum conſilio de digniori, & utiliori perſona duxerimus providendum*, contenta, ſi penitius cum iis, quibus ſepta eſt, limitibus, atque conditionibus examinetur, non erit forſan, cur tantopere timeatur, aut Sedi Apoſtolicæ invideatur. Siquidem (1.) primum cauſam juſtam, & rationabilem, quam inſuper Concilium ſupradictum *magnam* appellat, nec enim modica Summæ Sedis magnitudinem decet, imo (2.) eandem prorſus evidentem ſubeſſe, dein (3.) conſilio Cardinalium, re utique mature diſcuſſa, accedente trutinatam, & ut talem manifeſte cognitam eſſe, neceſſe

eſt.

eſt. Adhæc (4.) id fieri omnino debere ſtatuatur, ut Paſtor dignior ſubrogetur, ac denique (5.) utilior, ex quo nimirum conſideratis omnibus major in Eccleſiam utilitas profluat. Quibus omnibus rite penſatis, quamvis ad mentem Concilii Baſileenſis ad Capitula Germaniæ non reverti debeat vigore Concordatorum Electio, ipſa tamen Pontificii arbitrii libertas tot & tantis, imo iisdem fere conditionibus, quæ in Decreto dicti Concilii expreſſæ ſunt, conditionibus eſt circumſcripta, ut profecto dubium nullum ſuperſit, effrænem illam Regulæ II. Cancellariæ clauſulam: *Quotiescunque Summi Pontifices illa uti voluerint*, pro Germania penitus ſolenniſſima hac pactione fuiſſe ſublatam.

XXVII. Multo tamen melius, cautiusque ſibi proſpexit Rex Chriſtianiſſimus Franciscus I. in Concordatis Gallicanis cum Leone X. Papa Bononiæ anno MDXV. initis, quibus quidem Electiones, quæ per Sanctionem Pragmaticam, Decretis Concilii Baſileenſis apprime conformem, Capitulis reſtitutæ fuerant, denuo abolitæ, Regi tamen nominationes ad Eccleſias Cathedrales ac Metropolitanas, nec non Regulares conceſſæ ſunt; dum nimirum Concilio Baſileenſi tenacius inſiſtens, non tantum Digno nominato nullam amplius Summo Pontifici facultatem, nominationem ſalva juſtitia rejiciendi, reliquit, ſed & expreſſe ſibi ſtipulatus fuit, ut ſi Perſonam minus idoneam, aut qualitatibus vigore Concordatorum requiſitis deſtitutam a ſe nominari, eamque nominationem a Summo Pontifice ex ſupremo ſuo Paſtorali officio recuſari contingeret, ad Regem tamen redire nominatio debeat, atque is intra tres alios menſes Perſonam aliam qualificatam nominare poſſit, & his modo elapſis, vel altera quoque nominatione rejecta, ut diſpendioſæ hujusmodi Eccleſiarum vacationi & rite & celeriter conſulatur, Summo Pontifici de Perſona qualificata vacanti Eccleſiæ providendi facultas aſſeritur, uti clarus eorundem Concordatorum tenor aſſerit §. V. ſuperius cit. in verbis: „Et de perſona per Regem hujusmodi nomina-„ta Nos & Succeſſores Noſtros, ſeu Sedem prædictam provide-

ri:

„ri: Et ſi contingeret præfatum Regem perſonam taliter non „qualificatam ad dictas Eccleſias ſic vacantes nominare, per Nos, „& Succeſſores Noſtros, ſeu Sedem hujusmodi de perſona ſic „nominata eisdem Eccleſiis minime provideri debeat, ſed teneatur idem Rex infra tres alios menſes a die recuſationis perſonæ nominatæ non qualificatæ, ſollicitatori nominationem non „qualificatam proſequenti, conſiſtorialiter factæ intimandæ computandos, alium ſupradicto modo qualificatum nominare; alioquin ut diſpendioſæ Eccleſiarum hujusmodi vacationi celeriter „conſulatur, Eccleſiæ tunc ſic vacanti per Nos & Succeſſores Noſtros, ſeu Sedem hujusmodi de perſona, ut præfertur, qualificata, nec non Eccleſiis per obitum apud Sedem prædictam „vacantibus ſemper, nulla dicti Regis præcedente nominatione, „libere provideri poſſit &c.

XXVIII. Quidquid vero horum fuerit, non minus quoque Germani ſubſecuta poſthac ſanctæ Sedis Apoſtolicæ declaratione ſe tutos merito exiſtimant. Cum enim Fridericus III. penitius poſthac expendens, quid hac ſub clauſula latitare poſſet, & quantum ea libertati Electionum per Concordata reſtitutæ obeſſe, imo eandem fere ad nihilum denuo redigere, atque latiſſimum antiquis Nationis querelis viam aperire poſſet, bono vero, commodisque publicis Imperii haud convenire crederet, ut Epiſcoporum, qui tanquam Status ſimul, ac magnarum Imperii ditionum Principes non tantum in ſuis Territoriis, ſed etiam in univerſo Imperio, publicisque ejusdem Ordinum Conventibus tam conſultandi, quam conſtituendi ea, quæ ad totam pertinent Rempublicam, fruuntur jure, quin & participes quodammodo ſunt ſummæ poteſtatis civilis, conſtitutio per Confirmationem proprie fieri ſolita, tota ex mero arbitrio, ac nuda veluti gratia Summi Pontificis pendeat; aliunde quoque juſtam querelarum cauſam nactus, quod Romani minus obſervantes eſſent Concordatorum, quodque Germanicæ Electiones contemptui haberentur, expoſtulavit; ſed & reſponſum a Calixto III. Romano Pontifice illud

retulit, electiones omnes eas confirmatas fuiſſe, quæ Canonicæ eſſent, nec ſe uſum eſſe, nec uti velle, niſi ſumma & ineluctabili neceſſitate coarctatum, ea poteſtate, quam Legibus Divinis & humanis, & ipſo Concordato obtineret, Epiſcopum nominando digniorem eo, qui etiam Canonice electus eſſet. Teſtis eſt inter ÆNEÆ SYLVII Epiſtolas Epiſtola CCCLXXI. ibi: *Poteſtate autem illa, quæ nobis ex Divino atque humano jure, ſimulque Concordatis ex prædictis competit, providendi Eccleſiis de perſona magis idonea, etiamſi Canonica in illis electio facta reperiatur, adhuc non ſumus uſi, nec uti proponimus, niſi ex magna & urgentiſſima cauſa.* Eam proinde unice poteſtatem ſibi reſervatam hoc loco intelligere dignoſcitur CALIXTUS III., quæ Divino Jure Apoſtolico Sedis Romanæ Primatui adgnata ſit. Et quamvis quoad modum eandem exercendi in Germaniæ Electionibus diverſitas quædam conſtituatur, ac citius, faciliusque, non exſpectata videlicet nova Capituli electione, ſeſe exerere poſſit; conditiones tamen easdem requirit, quæ illis a Concilio Baſileenſi ſuperius citato requiſitis proximæ, maximeque affines ſunt, & quæ nonniſi illud ſupremæ Superintendentiæ, & inferiorum negligentiam ac deficientiam, aut a Sacris Canonibus deviationem ſupplendi munus fundare poſſunt.

XXIX. An vero & Succeſſores CALIXTI III. huic ejusdem declarationi ſemper acquieverint, aut facto ipſo detulerint, & eadem moderatione uſi, puras omnino ab omni Electionum infractione manus reapſe tenuerint, incertum nobis eſt, & exempla ſpecialia, quæ hanc in rem allegari mereantur, haud occurrerunt. Contrarium tamen Gravamina eadem Nationis ſub MAXIMILIANO I. Imperatore anno MDX. apud GOLDASTUM, & hæc inter præcipue ſecundum: *quod electiones Prælatorum quandoque rejiciuntur*, evincere videntur. Et generatim Principes Imperii ſub CAROLO V. de frequentibus nimium Concordatorum derogationibus per Curiam Romanam factis apud Summum Pontificem conqueſtos fuiſſe, ex inſtructione ab ADRIANO VI. FRANCISCO CHEREGATO Legato

gato ſuo data colligitur, qua ita illum inſtruit: „Quod autem ultimis tuis literis ſcribis, queſtos fuiſſe tecum Principes iſtos, quod „Concordatis eorum per hanc Sedem derogatum ſit; Dices: Nos „de his, quæ ante Nos facta fuere, culpari nec poſſe, nec debe„re, Nobisque ejusmodi derogationes, etiam dum in minoribus „eſſemus, ſemper plurimum diſplicuiſſe. Proinde nobis certiſſi„mam ſententiam eſſe, etiamſi ipſi non requirerent, illis noſtri „Pontificatus tempore abſtinere; partim ut unicuique Jus ſuum „ſervemus, partim quia æquitas & humanitas expoſcit, ut Incly„tam Nationem noſtram non ſolum non offendamus, ſed etiam „peculiares ei favores impendamus.„ Saltem jam inde a longiſſimis retro temporibus, & forſan ab ævo ejusdem ADRIANI VI. exemplum infractæ ejusmodi electionis nullum produci poterit. Quin nec illud ſilentio prætereundum, frequentiſſima potius majoris ac indebiti prorſus favoris Capitulis Germaniæ impenſi exempla allegari poſſe, ubi Summi Pontifices Electiones ob non ſervatam rite formam Canonicam irritas & nullas caſſaſſe quidem, nequaquam tamen afferta ſibi per Concordata eo in caſu immediate providendi facultate, ac libero arbitrio uſos fuiſſe, ſed potius caſſata electione, eidem Eccleſiæ de eadem Perſona, ex benignitate ſua, providiſſe leguntur.

XXX. Atque hæc quidem omnia hactenus dicta ad Confirmationem Epiſcoporum Germaniæ vigore Concordatorum ſoli Sedi Romanæ hodie reſervatam pertinent. Effectus autem Confirmationis iſtius a Summo Pontifice obtentæ, qua Matrimonium ſpirituale Epiſcopum inter & Eccleſiam, ſecundum recentiorem Decretalium diſciplinam, ratificari, Jus in re naſci, & omnia illa, quæ Jurisdictionis ſunt, obtineri alias dicuntur, reſpectu Epiſcoporum Germaniæ particularis & ſingularis hic eſt, ut Eccleſiæ tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus adminiſtratio, quam diſpenſative iisdem poſt ſolam Electionem in concordia factam hodie in Germania permiſſam, & quaſi ab ipſo Jure delegatam eſſe, ſuperius *num. XXI.* evicimus, poſt Confirmationem Jure om-

nibus reliquis Epiſcopis communi & ordinario eisdem ſit debita. Id quod ipſa Confirmationis formula ſatis teſtatur hiſce verbis concepta: *Authoritate Dei omnipotentis, & Beatorum Apoſtolorum* PETRI & PAULI *& Noſtra Eccleſiæ N. providemus N., ipſumque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius eidem in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committentes in Nomine P. & F. & Sp. Sancti Amen.* Hujus deinceps Confirmationis, uti & electionis fidem per Inſtrumenta facere Imperatori debent, priusquam Inveſtituram ab eodem recipiant, quæ nonniſi confirmatis concedi aſſolet. Soli excipiuntur Epiſcopi aut Prælati immediati A. C. addicti, qui Poſtulati alias dici aſſolent. Hi enim nulla Confirmatione Pontificia indigent, ſed poſtquam intra annum electionis ſuæ fidem fecerint, & juramenta regalibus conſueta feudis præſtiterint, absque ulla exceptione, exigentibus Pacis Weſtphalicæ tabulis, inveſtiri debent. Ne tamen melioris præ Catholicis Imperii Epiſcopis conditionis eſſe viderentur, eo ipſo, quod Confirmationem ſuam ab Aula Romana obtinere, & Annatas propterea perſolvere neceſſum haud haberent, cautum præterea eſt, ut ultra taxæ ordinariæ Summam ejusdem inſuper dimidium pro infeudatione pendant.

XXXI. Ad Canonicam vero Epiſcoporum conſtitutionem complendam tertius adhucdum actus requiritur, Conſecratio videlicet Epiſcopalis, qua ſpirituale fœdus conjugii inter Epiſcopum & Eccleſiam jam nuper memorati in Electione initiatum, in Confirmatione ratum, demum conſummari teſtante Cap. IV. *de translat. Epiſcop.* intelligitur. Per hanc enim uti plenitudo Spiritus Sancti & Gratiæ cœleſtis, ita & plenitudo Sacerdotii, ſive pleniſſima Epiſcopalis miniſterii, officii, atque Curæ paſtoralis animarum regitivæ authoritas confertur atque transfunditur, adeo quidem, ut iſta plenitudo non tantum ea, quæ Ordinis Epiſcopalis ſunt, & quæ ex Charactere ſacro nonniſi per Conſecrationem obtinendo neceſſario pendent, ſed etiam ea, quæ jurisdictionis ſunt, & ad

regi-

regimen curamque animarum pertinent, complecti dignoſcatur. Quoad priora illa inter omnes adeo expeditum eſt, ut nihil prorſus functionum ſacrarum Ordini Epiſcopali propriarum Epiſcopi Electi aut Confirmati ante ſuſceptum Conſecrationis munus expedire per ſemetipſos, aut vel attingere queant. Quoad hæc vero poſteriora, Diſciplina tantum vetus apertius ſuffragari videtur, ſecundum quam electio nullum adhucdum jus tribuebat, & Conſecratio a Confirmatione haud ſejuncta, ſed unus idemque actus fuerat, adeoque ſola Jus omne Sacrum & Epiſcopale conferebat. Id quod adeo certum, atque omnem extra controverſiam poſitum fuerat, ut Electi ejusmodi ante Conſecrationem nec nomen Epiſcoporum, multo minus rem participarent ac poteſtatem. Quin & Romana Eccleſia eo tempore, quo ob translationis odium ante FORMOSUM Epiſcopi in Pontifices Romanos eligi necdum poterant, ejusdem Diſciplinæ tam tenacem ſeſe oſtendit, ut electos ex ordine Presbyterorum vel Diaconorum, ante obtentam Conſecrationem Epiſcopalem, uſque ad Sæculum VIII. nequidem in ſerie aut Catalogo eorundem recenſeret; uti exemplo STEPHANI II. Sæculo mox memorato ex ordine Presbyterorum electi, & tertio ſtatim poſt electionem die, adeoque ante Conſecrationem præmortui doceri facile poſſet, utpote qui eandem ob cauſam ab omnibus antiquis Hiſtoriographis, ad PANVINIUM uſque, in Pontificum albo prætermiſſus fuiſſe noſcitur. Hodierna vero Diſciplina, ſecundum quam ex dictis ſuperius poſt Confirmationem ſtatim, non exſpectata Conſecratione, ea, quæ jurisdictionis ſunt, Electi in Epiſcopos exercere ſolent, quamvis diverſa nunc aliquatenus exiſtat, haudquaquam tamen penitus adverſatur, dum omnis iſta jurisdictio ante Conſecrationem mere delegata eſt, atque per Confirmationem, tanquam ceremoniam mere humanam ac deputationem extrinſecam, Electis adinſtar aliorum Prælatorum jurisdictione quaſi Epiſcopali pollentium communicata ex mera commiſſione Sedis Apoſtolicæ, ſive adminiſtratorio ac vicario nomine geritur, ipſa hodierna Confirmationis formula jam ſuperius recenſita diſertis id verbis eloquente: *curam & admi-*

Digitized by Google

adminiſtrationem ejus (Eccleſiæ) *in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committentes.* Jus vero ipſum intrinſecum, radicale atque proprium, ſive poteſtas ipſa regendi animas vere Hierarchica, tanquam plane divina, ſicut curam animarum, artem artium, & onus Angelicis etiam humeris formidandum involvit, ita ſola quadam deputatione extrinſeca, aut ceremonia mere humana nequaquam dari, imo nec directe auferri poteſt, ſed internam Spiritus ſancti gratiam, adeoque & actionem ſacramentalem a Chriſto ipſomet eo fine inſtitutam, & ad producendum effectum ejusmodi plane ſupernaturalem elevatam requirit, quæ ſola impoſitio manuum, Græcis Chirotonia, aut alias Chirotheſia dicta tanquam ritus Conſecrationis ſubſtantialis ac eſſentialis exiſtit. Hac ſola proprius conſtituitur Epiſcopus, ac Superior, ſive Hierarcha, aut Princeps & Rector Jure Divino inſtitutus, hæres atque ſucceſſor Apoſtolorum efficitur. Unde & hodierna Diſciplina tam in antiquæ veſtigium atque memoriam, quam potiſſimum ad hanc juris differentiam luculentius denotandam, nec electis in Pontifices ante Coronationem, antiquæ Conſecrationi nunc ſubſtitutam, nomen Pontificis tribuit, aut Pontificatus annum exprimi in data literarum Apoſtolicarum permittit, nec Epiſcopos, etiam a Summo Pontifice confirmatos, aut libere proviſos, Epiſcopos ſimpliciter, ſed ſemper etiam cum addito *Electos* compellari patitur, uſque dum & Conſecratio ipſa, qua in ſummum Sacerdotium proprie ſublimantur, tanquam ultimum conſtitutionis Epiſcopi acceſſerit complementum. Atque hæc etiam ratio permovit Patres Ss. Concilii Tridentini, ut ad extirpandum illum abuſum in Germania præſertim noſtra inolitum, quo Epiſcopi electi & confirmati, rati ſibi ſufficere, accepta confirmatione ea, quæ jurisdictionem & temporalem adminiſtrationem & uſum ſpectant, pleno jure obtinuiſſe, & parum ſoliciti de plenitudine Spiritus ſancti per Ordinationem ſuſcipienda, & ad formidandum Epiſcopatus onus neceſſaria, cum maximo Proteſtantium ſcandalo & offenſione, per totam fere vitam munus Conſecrationis negli-

glige-

gligebant, totumque Ordinis Epiſcopalis miniſterium in ſuos Suffraganeos ita dictos, aut Vicarios in Pontificalibus exonerabant, ſuaſu potiſſimum & gravi peroratione Cardinalis Lotharingici, Viri uti genere Sereniſſimi, ita eruditione ſpectatiſſimi, antiquam Diſciplinam de ſuſcipienda intra tres menſes Conſecratione Concilio Chalcedonenſi ſancitam innovarent, ac pœnis quoque reſtitutionis fructuum, quin & privationis deinceps intentatis urgerent *Seſſ. XXIII. Cap. 2. de Reformat.* ſtatuentes: *Eccleſiis Cathedralibus, ſeu ſuperioribus quocunque nomine ac titulo præfecti, etiamſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſint, ſi munus Conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur: ſi intra totidem menſes poſtea id facere neglexerint, Eccleſiis ipſo jure ſint privati.*

XXXII. Conſecratio igitur cum ſequela & comes Confirmationis ſemper fuerit, quin & per decem ſaltem priora Eccleſiæ ſæcula ab eadem vix ſejuncta; ita concomitanter cum Confirmatione etiam iſta ad Pontificem privative devoluta, neque Metropolitanis, quibus tanquam Ordinariis Conſecratoribus Diſciplina tam antiqua, ſacris Canonibus Conciliorum, quam recentior, Decretalibus Pontificum & Gregorii IX. expreſſa omnium Suffraganeorum ſuorum ordinationem detulerat, reſtituta fuit. Vehementius equidem hanc Conſecrationem, quam Confirmationem ipſam, ſibi ſalvam & integram relinqui iidem Metropolitani Germaniæ, Electores præſertim Imperii, cupiebant, adeo, ut etiam Confirmatos a Summo Pontifice nihilominus pro ſuſcipienda Conſecratione ad ſeſe remitti vellent in Gravaminibus Moguntinis de anno MCDXL. ſæpe citatis, §. eodem VI. in fine projectantes: *omni autem caſu, quo electio per mediatum Superiorem fuerit confirmanda, remittatur conſecrandus aut benedicendus ad ſuum Superiorem immediatum, niſi præſens fuerit in Romana Curia, quo caſu poſt benedictionem aut conſecrationem ſimiliter remittatur, immediato Superiori debitum juramentum præſtiturus.* Sed & hi conatus in irritum reciderunt; cum enim jam antehac Jure communi per Cap. *Cupientes XVI. de Elect. & Elect. poteſt. in VI.* conſtitutum eſſet, ut ii, quorum Confirmatio

ad Sedem Apoſtolicam, vel ob immediatam ſubjectionem, vel ob appellationem interpoſitam ad Summum Pontificem pertinebat, perſonaliter Romæ comparere deberent, & nonniſi impediti Procuratorem legitime inſtructum mittere poſſent, ſuam tamen etiam tum præſentiam corporalem adhuc exhibituri: hoc ipſo, quod per Concordata omnium Confirmatio Epiſcoporum Germaniæ reſervata fuerat, etiam hæc peregrinandi Romam neceſſitas iisdem, uti ſupra Num. XXI. memoravimus, impoſita fuit, præſertim cum expreſſe Concordata ad dictum Capitulum: *Cupientes* provocarent. Et quamvis itineris hujus tam longinqui, tamque moleſti remiſſionem in Epiſcoporum commodum Summi Pontifices perſæpe remitterent, ac remiſſuri poſthac eſſent, jam radicatam tamen in eodem Conſecrationis iisdem impertiendæ facultatem in ſui præjudicium abdicare noluerunt. Neque vel ipſi Metropolitani eandem Sedi Apoſtolicæ tenacius abnegare amplius poterant, ubi ſemel eorum, qui præſentes in Curia Romana fuiſſent, Conſecrationem in ipſis Gravaminibus ſuis de anno MCCCCXL., atque proxime poſt Concilium Baſileenſe confectis, quando contentionis æſtus vehementiſſime etiamnum exarſerat, Summo Pontifici jamjam conceſſerant.

XXXIII. Ex quibus omnibus hucusque enarratis prono velut alveo conſequitur, quod, ſicut Confirmatio, ita & Conſecratio, non tantum Metropolitanorum, ſed etiam ipſorummet Epiſcoporum Suffraganeorum reſervatis Papalibus, adventitiis tamen illis, atque ſecundariis, ſive heterogeneis ſucceſſu temporis acceſſerit, atque per Concordata roborata fuerit. Hæc omnia licet plerumque Primatui adſcribantur, & in vim Primatus exerceri a Pontifice dicantur, reapſe tamen, magisque proprie, imo & multo cohærentius ad Jura Patriarchalia reduci pleraque merentur. Idem de jure ordinandi ſive conſecrandi Epiſcopos & Metropolitanos dicendum. Et Metropolitanorum quidem ordinatio communius ad Patriarchas Orientis pertinebat. Ex Actione XVI. Synodi Chalcedonenſis id colligere pronum eſt, quæ

Sedem

Sedem Conſtantinopolitanam ad honorem Patriarchatus evehens, & Diœceſin ejusdem, Synodumque Patriarchalem ex Provinciis Pontica, Aſiana, & Thracia componens novo Patriarchæ ordinationes quidem Metropolitanorum ſui diſtrictus Patriarchalis, decreto ſuæ proviſionis a Comprovincialibus factæ ad ſe delato, concedit, non tamen Epiſcoporum, quos a ſingularum Provinciarum Metropolitanis ordinandos decernit. Ejus præterea arbitrio relinquit, vel evocare ordinandum Conſtantinopolim, vel conſenſum dare, ut, in qua urbe electio facta fuerat, ibidem & ordinaretur. Patriarcha vero Ægypti ſive Alexandrinus non ſolum Metropolitanos Ægyptiacæ Diœceſeos ordinabat, ſed etiam omnes Epiſcopos ad ſuum Patriarchatum pertinentes. Idem dein Jus obtinuit ex conceſſione Innocentii I. Alexander Antiochenus, cum hoc tamen temperamento quoad ordinationem Epiſcoporum ſecundi gradus, ut vicinos quidem ad ſe accerſeret, longe tamen poſitos in Provinciis ordinari conſentiret. Solus Pontifex Romanus, quamvis Patriarcha totius Occidentis præter eum, quem in univerſam Eccleſiam habet, Primatum ad dictum Canonis Nicæni agnoſceretur, ſuis tamen juribus Patriarchalibus, extra Diœceſin ſaltem Suburbicariam, nunquam uſus fuiſſe legitur. Omnes enim tam Metropolitanos, quam Epiſcopos, qui finibus dictæ Diœceſeos Suburbicariæ non continebantur, in ſuis ſingulos Provinciis, uti in Dardania, Africa, Hiſpania, Anglia, Gallia & Germania, Metroplitanos videlicet ab Epiſcopis ſuis Comprovincialibus, Comprovinciales vero Epiſcopos a Metropolitano viciſſim ſuis in Conciliis fuiſſe ordinatos conſtat. Per Concordata vero e votis ſucceſſit Romano Pontifici, ut Jus ſuum Patriarchale præ omnibus reliquis orbis Catholici Patriarchis ad ſummum uſque apicem extolleret, adeo quidem, ut omnes Epiſcopi Germaniæ etiam longius remoti ſecundum Conſtitutionem ſæpe allegatam: *Cupientes*, pro Ordinatione ſua obtinenda, perſonaliter Romæ comparere tenerentur.

Digitized by Google

XXXIV. Verum ſicut Patriarchæ ipſius Orientis non ſemper ordinandos ad ſe Metropolitanos evocare, ſed dato per literas conſenſu ordinationem in ea, ubi electio facta fuerat, urbe, vel Eccleſia permittere in more poſitum habuerant, ita & Summi Pontifices in eo Romanæ Peregrinationis rigore Epiſcopis Germaniæ, præſertim Imperii Principibus, condeſcendere aſſolent, ſuum hoc conſecrandi munus aliis Epiſcopis vicinis, utut meris Comprovincialibus, quin & ſæpe Titularibus, plerumque per ipſos ordinandos deſignatis authoritate Apoſtolica delegantes. Unde notante ESPENIO *Jur. Eccl. Univer. Part. I. Tit. XV. n.* 13. in Pontificali Romano ſub Titulo: *de Conſecratione Electi in Epiſcopum* hoc præmittitur monitum. „ Nemo conſecrari, debet, „niſi prius conſtet Conſecratori de commiſſione conſecrandi ſive „per literas Apoſtolicas, ſi ſit extra Curiam, ſive per commiſſi„onem vivæ vocis oraculo a Summo Pontifice factam, ſi Conſe„crator ipſe ſit Cardinalis, & ex præſcripto ejusdem Pontificalis „Ordinator priusquam Ordinationem inchoet, petit ab Epiſcopis „aſſiſtentibus, & Electum Conſecratori, ut eum ad onus Epiſco„patus ſublevet, præſentantibus: *Habetis Mandatum Apoſtolicum?* „quo lecto demum ad Conſecrationem procedit. „ Quapropter ſicut ea confirmandi & conſecrandi poteſtas radix veluti reliquorum in Suffraganeos Epiſcopos, qui per ordinationem veluti filii conſtituebantur, eorumque fons præcipuus extiterat, ita mirum non eſt, una cum ablata Metropolitis Conſecratione reliquam quoque illorum in Suffraganeos authoritatem non parum immutatam, imo inſigniter imminutam & acciſam ſenſim fuiſſe.

XXXV. * Prævidere hoc omnino debuerant NICOLAUS V. & Status Imperii, Electores præcipue Eccleſiaſtici, tanquam ſimul Archi-Epiſcopi, compaciſcentes. Atque inde eſt, quod eatenus ſive quoad exactionem Juramenti in omnem caſum, licet Electio per Pontificem confirmata, imo & Conſecratio præſentibus in Romana Curia ab eodem impertita fuiſſet, ſuis tamen juribus antiquis & Authoritati præhabitæ ſpecialius conſuli voluerint,

ex-

expreſſe in ſupradictis Gravaminibus ſæpius citato §. VI. in fine ſtatuentes, „ut tam Confirmatus, quam etiam Benedictus aut „Conſecratus a Summo Pontifice nihilominus remitteretur imme„diato Superiori debitum Juramentum præſtiturus.„ Atque hæc demum prætenſio, uti Curiæ Romanæ innoxia, ita & juſtiſſima ac antiquis Canonibus admodum conformis viſa fuit, ut pacto inter Inclytam Nationem & Legatum Pontificium inito conformiter NICOLAUS V. ipſemet per Bullam confirmatoriam ſpeciali etiam Clauſula adjecta Juramenti hujus præſtationem a Suffraganeis faciendam Metropolitanis præſervare voluerit in verbis: „*Proviſo, quod Confirmati prædicti, & per nos* (Papam) *Proviſi* „*Metropolitanis ſuis & aliis præſtent debita Juramenta, &* „*alia, ad quæ de Jure tenentur.* Inſignis enim hæc Archi-Epiſcoporum prærogativa fuerat, exigendi nimirum ejusmodi Juramentum, quod non ſolam profeſſionem fidei juratam, ut olim, nec ſolam reverentiæ & obedientiæ juxta Canones, id eſt, in Canonibus, & Decretis Pontificiis ſancitæ ſponſionem involvebat, ſed etiam ſucceſſu temporis in Juramentum quoddam fidelitatis, & ſimile illi, quod Vaſalli Dominis Directis præſtant, degeneraverat. Romanos videlicet Pontifices hac in re duces & Anteſignanos ſequi volupe ſibi ducebant Metropolitani. Ex quo enim GREGORII VII. temporibus Juramentum illud, quod Sedi Apoſtolicæ a Metropolitanis Pallii honore donatis, tum ab Epiſcopis eidem immediate ſubjectis emitti ſolitum, quo itidem ſubjectio, & obedientia juxta Canones ſola promittebatur, in juramentum tale fidelitatis, eamque, qua hodie fere conceptum eſt, formam commutatum fuit; idem quoque a Suffraganeis ſuis Metropolitani exigere cœperunt, quin & juris poſthac aſſiſtentia muniti fuere, dum GREGORIUS IX. Cap. *Dilecti filii XIII. de Major. & Obedient.* decrevit, ut Metropolitani a Suffraganeis nullam aliam juramenti formulam exigerent, quam illam, ſecundum quam Pontifici Romano fides & obſequium præſtaretur ab iis Epiſcopis, qui immediate ad ejus Conſecrationem tum pertinebant. Eadem fere Ju-

ramenti tum formula obtinuit, qualem Cap. *Ego IV. de Jurejur.* nobis exhibet. Tale anno MCCXLVII. Gerhardo Archi-Epiſcopo Bremenſi Metropolitano ſuo præſtitere Albertus Lubecenſis Epiſcopus, & anno MCCLVIII. eidem Wilhelmus Epiſcopus Suerinenſis referente Lunigio *Spicil. Eccleſiaſt. Part. II. pag.* 304. & ejusdem *Spicil. Part. II. append. pag.* 155., & ſimile prorſus ex Pontificali Romano ſub Titulo: *de Scrutinio ſerotino* allegat Espenius *Jur. Eccleſ. univ. Tit. XIX. de Metropolit. Cap. II. n.* 7.

XXXVI. Mirari propterea neutiquam poſſumus, hanc prærogativam ſingularem, Juramentum ejusmodi exigendi, tanquam reliquorum jurium Metropoliticorum cuſtodem atque tutricem, ſpeciali prorſus cura & ſolicitudine a Metropolitanis ſervari voluiſſe. Illud vero mirum videri cuipiam potiori jure poſſet, qui, inſuper habita tam ſolenni cautione ac præſervatione, nihilominus hæc obligatio, tanto licet robore firmata, ſenſim tamen in deſuetudinem abire potuerit, adeo, ut nullum hodie Juramenti iſtius exemplum produci amplius queat; niſi connaturale ſatis eſſet, Conſecratione ſemel tanquam occaſione ſublata, qua id præſtandum fuerat, & intermiſſa nunc quoque Conciliorum Provincialium frequentia, interdicta porro per Sacroſanctam Tridentinam Synodum Metropolitanis arbitraria Suffraganeorum ad ſe evocatione, qua commode ac opportune exigi, authoritate denique eorundem, qua efficaciter urgeri ac injungi potuiſſet, aliunde inſigniter acciſa, ut nequaquam Suffraganeis, tanquam Magnis inſimul Imperii Principibus, tam formidabilis amplius exiſtat, ipſum etiam intercidere debuiſſe, ac reapſe nunc penitus, nullo amplius quoad hoc inter mediatos ac immediatos remanente diſcrimine, intercidiſſe.

XXXVII. * Ulterius, præter Archiepiſcopos ſive Metropolitanos, etiam *Aliis* Jura & Juramenta ab Epiſcopis alias præſtari ſolita præſervantur. Hæc vero varia ac diverſa recenſeri poſſunt: Sunt enim inter Epiſcopos Germaniæ aliqui, qui vel plene ſuperioritati Territoriali ſubjecti, vel in Provinciis, ubi Landſaſſiatus viget, poſſeſſiones ſuas, prædia, jura habent, horumque

que ratione, aut per ſe, aut per Officiales Dominis Territorialibus, ac quandoque Directis Juramenta vel ſubjectionis, vel fidelitatis facere debent. Ii vero, qui Status Imperii, ac Territoriorum Domini ſunt, Statibus Provinciæ ſuæ Sæcularis, vel Urbis, quæ Sedem præbet, civibus, ſubditisque cæteris facere quandoque ſolent, atque ex moribus debent ſimilia Juramenta. Quamvis enim hi more Principum Sæcularium in ſuis Territoriis plenam habeant ſuperioritatem, ea tamen, ſalvis Statuum Provincialium juribus & privilegiis, eſt exercenda, habentque omnino Status provinciales ex moribus, vel pactis jus petendi ſub auſpicia temporalis Regiminis conſueta ejusmodi juramenta. Similia quoque quidam Archi- & Epiſcoporum Germaniæ Civitatibus S. R. Imperii, aliisque eximia libertate gaudentibus, in quibus ab antiquis temporibus vel Sedem aut jura quædam, Jurisdictionem civilem vel criminalem habuere, tempore ſolennis Ingreſſus præſtant, & reciproca a civibus recipiunt difficillimis ſubinde controverſiis innexa.

XXXVIII. Neſcimus tamen, quin oppido dubitamus, an iſta mox enarrata per Jura & Juramenta aliis præſtanda unice & præcipue denotari voluerint; annon potius illud fidelitatis, & Vaſalliticum Sacramentum, quod Auguſtiſſimo Imperatori & Imperio inter ſolennia Inveſtituræ faciunt tot Imperii bonis, juribus, officiis ornati Germaniæ Archi- & Epiſcopi ac Abbates nonnulli, atque Præpoſiti, majori ſolicitudine præſervare intenderint Summi Concordantes. Hoc enim dudum ab Epiſcopis non tantum Germaniæ & Italiæ, ſed & ab ipſis Summis Pontificibus Imperatoribus præſtitum, uti ab his demum neglectum, ita quoad illos quoque in controverſiam vocari antehac cœptum fuiſſe, ex Hiſtoria diuturni illius inter Sacerdotium & Imperium ſuper Inveſtitura diſſidii luculenter conſtat. Gregorii enim VII. hæc epiſtolam ex Codice antiquo Manuſcripto Thuani exhibet, qua expreſſe id ſtatuit: *Ut Clericus a Laico nunquam juſtificetur, nec pro terra* (feudum intelligit) *nec pro aliis rebus* (Juribus videlicet Regalibus) *quas ab il-*

lo tenet, nec ſibi hominatum faciat, ſed omnino, quæ ab eo tenet, ſibi antequam ullam patiatur injuriam, dimittat, ſin autem, gradum ſuum perdat. Eidem ſententiæ inſtitiſſe URBANUM II., & PASCHALEM II., atque hunc æque de dimittendis Imperatori feudis Imperii cogitaſſe, ac interdixiſſe, ne quisquam omnino Clericus hominium Laico faciat, Concilii Lateranenſis Acta teſtantur; renitentibus vero Epiſcopis ipſismet, ac Imperatoribus exactionem Juramenti fidelitatis, quamvis Inveſtituram per Annulum & Baculum tandem dimitterent, maſcule acriterque defendentibus, ſibique præſervantibus, Transactione Calixtina ſuperius memorata HENRICO V. Imperatori ejusdem præſtatio appromiſſa fuit in verbis: *Electus autem Regalia per Sceptrum a te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur; & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii conſecratus infra ſex menſes Regalia per Sceptrum a te recipiat.* Vi hujus Transactionis poſthac Epiſcopi de Regalibus per Sceptrum inveſtiendi conſueta hæc Sacramenta absque contradictione ulla præſtiterunt, uti Exempla, quorum plena eſt Hiſtoria Imperii, plenæ Epiſcoporum vitæ, frequentiſſima teſtantur. Salvum itaque & hoc generali ſaltem Clauſula, cum ſpecialiter inter hoſce ſuper reſervationibus Papalibus motus impugnatum non fuerit, relictum fuit Imperatoribus Jus exigendi Vaſallagium ab Epiſcopis Germaniæ, quod & intra annum & diem, a die Electionis computandum, ſecundum Juris Feudalis placita & Imperii ordinationes inveſtituram petentes præſtant, per quod iisdem fere hodie cum Sæcularibus Principibus cæremoniis, poſtquam per Sceptrum infeudandi mos nunc exolevit, iisdemque cum aliis Vaſallis formulis Reverentiam, fidem, ſubjectionem & ſervitia etiam armis facienda jurato profitentur.

XXXIX. Hoc igitur efficaci ſane eſt argumento, nec NICOLAUM V. Summum Pontificem alia juramenta ab Epiſcopis Imperatori & aliis præſtanda ſubjectioni ſibi ab iisdem debitæ præjudicare crediſſe, nec Status Concordantes illud Juramentum,

quod

quod Summo Pontifici in Conſecratione emittitur, cum Imperii detrimento conjunctum, aut Imperatoriis juribus adverſum exiſtimaſſe. Certe nec prudens quiſpiam, niſi vel averſione quadam in Sedem Apoſtolicam, vel partium ſtudiis, aut Religionis, educationisve præjudiciis nimium radicatis præoccupatus fuerit, ex indole aut tenore Juramenti ipſiusmet damni alicujus, aut Imperatori, aut Imperio, pertimeſcendi umbram facile inveniet, dummodo duplicem, quam Epiſcopi Germaniæ gerunt, perſonam penitius conſideraverit. Sic enim Juramentum a Principibus Eccleſiaſticis, tanquam Epiſcopis, Summo Pontifici tantum quoad ea, quæ ad veram utilitatem & Jura Eccleſiæ vera pertinent, præſtari, nequaquam vero ea, quæ cum Imperii detrimento conjuncta ſunt, aut ad illud propiorem reſpectum involvunt, concernere haud difficulter intelliget. Nihil ſane aliud diſertus ejusdem tenor exigit, niſi ut, ſecundum Chriſti monitum, & Deo & Pontifici reddantur, quæ Dei ſunt, atque Pontificis, & Cæſari, ac Imperio, quæ ſunt Cæſaris, ac Imperii; qua regula veram Imperii ſimul & Sacerdotii concordiam cum utriusque ſemper felicitate arctiſſime conjunctam contineri, certum eſt. Hac proinde Regula utriusque etiam Juramenti, quod tam Summo Pontifici, quam Imperatori, Principes Eccleſiaſtici emittunt, ſphæram & obligationem determinari Principes Imperii Eccleſiaſtici ſapienter ac Jure optimo exiſtimant, dum idem Juramentum Pontificium verbis: *ſalvo ordine meo*, id eſt, ſalvo illo, quem ad Imperatorem & Imperium gerunt, reſpectu, expreſſe adjectis limitari, atque ita fidei Imperio & Imperatori in rebus Imperium & Regalia feuda concernentibus debitæ nequaquam derogare, exemplo Imperatoris per ipſasmet adeo Capitulationes conſenſu Electorum Imperii conditas ad Juramentum, utique ſine præjudicio Imperii, Sedi Apoſtolicæ emittendum adſtringi ſoliti, ſufficienter dignoſcunt. Unde ſiqui fortaſſis Epiſcopi in rebus quoque ſolum Imperium concernentibus ad hujuſce Sacramenti Religionem provocaſſe, aut ipſi quoque Pontifices latius ejusdem fines extendiſſe leguntur,

tur, cujus generis exempla quædam Buderus in Diſſert. *de Juramentis Principum Eccleſiaſticorum* §. *XXVII.* allegat; prætextus is potius fuerat, quo aut illi ſua quandoque facta juſtificare panico præſertim timore abrepti, aut nimia quoque Religione ducti voluerunt, aut iſti ferventibus utrinque partium ſtudiis ſuum potius intentum, & convenientiam, quam verum Eccleſiæ & Imperii emolumentum tueri contenderunt. Ex natura autem & indole ipſius Juramenti neutiquam hæc conſequuntur. Nec facile de æquitate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ præſumi poterit, quod tot funeſtis jam exemplis edocta, quantum nimiæ Pontificum in temporalia Imperii negotia ingeſtiones, aut implicamenta Eccleſiæ obfuerint, ad easdem unquam prætenſiones ſit reverſura.

XL. * Exhauſtis hactenus congrua explanatione iis omnibus, quæ in Concordatis diſpoſita ad Eccleſias Cathedrales pertinent, cætera præſentis §. verba ad Monaſteria & Prælaturas, ſive Beneficia Regularia reſpiciunt. Et quidem Monaſteria Virorum per Regulam Cancellariæ II. omnia abſque ullo alio, niſi ſolorum fructuum valorem annuum CC. florenorum auri communi æſtimatione non excedentium, reſpectu, aut diſcrimine, ſive electiva illa fuerint, & Conventum habentia, ſive Conventu carentia, & in Commendam dari ſolita, ſive exempta, & immediate Sedi Apoſtolicæ ſubjecta, ſive non exempta, & Ordinariis ſubjecta fuerint, ſolitariæ Summi Pontificis diſpoſitioni fuiſſe reſervata, ex generali ejusdem tenore jam ſupra aſſeruimus: ſed & omnibus tam immediate, quam mediate Sanctæ Sedi Apoſtolicæ ſubjectis æquali favore jus eligendi fuiſſe reſtitutum per Concordata, ibidem oſtendimus. Unicum hoc loco diſcrimen in eo ſtatuitur, quod Electiones ad Monaſteria non immediate Sedi Apoſtolicæ ſubjecta factæ ad eandem pro obtinenda Confirmatione, vel proviſione non deferantur, quo tamen ex Monaſteriis ſaltem quibusdam immediate eidem ſubjectis vi Concordatorum ſunt deferendæ. Clarus enim eſt verborum iſtorum tenor:

Et

Et in Monaſteriis dictæ Sedi immediate non ſubjectis .... Electi, ſeu illi, quibus providendum eſt, pro Confirmatione vel proviſione hujusmodi ad Curiam Romanam venire non tenebuntur. Atque eatenus, ſicut Concordata Regulam Cancellariæ ſecundam, indiſtincte Monaſteria omnia Virorum expreſſe reſervantem, ſuſtulere, ita omnino Conſtitutioni Generali LXXXVI. PII IV. anno MDLXIV. editæ, qua diſerte Confirmationem Electionis ad quæcunque Monaſteria, nullam diſtinctionem de immediate ſubjectis Sedi Apoſtolicæ, ſive non, faciens, ſibimet ſoli aſſeruit, tanquam poſteriori prævalere debent. Et uſus quoque ac obſervantia id ſatis docet, iis ex Monaſteriis, quæ locorum Ordinariis ſubſunt, Confirmationem Electi ab ipſis tantum Ordinariis peti, atque petendam eſſe; quin & notanter ſuperius præoccupatum fuit, ex aliquibus ſaltem Monaſteriis dictæ Sedi immediate ſubjectis, non autem omnibus, pro Confirmatione, aut proviſione Romam recurrendum eſſe. *Nonnullis tantum* Monaſteriis Regularibus, quæ propterea communiter Conſiſtorialia nuncupentur, conſiſtorialiter provideri, teſtatur ESPENIUS *Jur. Eccleſ. Univ. P. I. Tit. XXV. num. XII.*, atque eundem in modum, referente eodem, PERARDUS GASTEL in Tract. *de uſu & praxi Curiæ Romanæ pag.* 35. *edit.* 1693. tradit, Pontifices jam pridem conveniſſe cum Cardinalibus, de *certis* tantum Monaſteriis proviſiones ſe non daturos eſſe, niſi de eorum conſilio & conſiſtorialiter, prout in literis proviſionis exprimitur: *De perſona tua Nobis & Fratribus noſtris accepta Eccleſiæ N. de Fratrum eorundem conſilio Apoſtolica autoritate providemus.* Monaſteria enim omnia Ordinis Ciſtercienſis ſunt exempta a jurisdictione Epiſcoporum, & Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecta; Electi tamen in Abbates non omnes Confirmationem a Summo Pontifice petunt: utpote quorum alii per Commiſſarios, atque delegatos a Generali ejusdem Ordinis eandem obtinent, alii vero, non obſtante exemptione alias illis competente, antiquum nihilominus Confirma-

tionis Epiſcopalis jus comiter etiamnum reverentur, illudque Epiſcopi, tanquam inſignem juris ſui antiqui Diœceſani portionem adhuc reliquam, ſolicite tuentur. Juſta quippe præſumptio eſt, eosdem, plurium præſertim Monaſteriorum ſua ex munificentia fundatores vel dotatores, non aliter in exemptionem eorundem conſenſum ſuum præſtitiſſe, niſi ſub certis conditionibus ſibi adhucdum præſervatis. Et ipſa quoque Sedes Apoſtolica exemptionis privilegia concedens, idem jus quandoque Epiſcopis ſalvum eſſe voluiſſe atque intactum, imo & ſpeciali clauſula roboraſſe non raro videtur. Quemadmodum, cum anno MDCLXXXIV. in Bavaria Monaſteria Ordinis S. Benedicti in Congregationem ſub nomine Sanctorum Angelorum Cuſtodum erigerentur, jus confirmandi Abbates Monaſteriorum, quæ Ordinariis prius erant ſubjecta, prævio Decreto Congregationis particularis ſub die XIV. Julii ejusdem anni, & in Brevi deſuper expedito a Sede Apoſtolica iisdem Ordinariis fuit præſervatum.

XLI. * Atque hinc eſt, cur Concordata Germaniæ non ſimpliciter ſola Monaſteria non exempta, ſed etiam omnia alia regularia Beneficia, id eſt, quamvis exempta ſint, ab hoc recurſu pro obtinenda Confirmatione Romam faciendo abſolvant, ſi in iis talis recurrendi ad Romanam Curiam conſuetudo non fuerit, in verbis: *Et aliis Regularibus Beneficiis, ſuper quibus pro Confirmatione, vel proviſione ad dictam Sedem non conſuevit haberi recurſus*; atque inſuper cur inferius, ubi de Confirmatione Electis etiam Regularibus ad eundem modum, quo Electis in Epiſcopos aſſolet, impertienda loquuntur, ad eandem recurrendi conſuetudinem potius, quam ad exemptionis qualitatem provocent, ſtatuendo: *Ubi autem pro Monaſteriis ad dictam Curiam venire, ſeu mittere conſueverint, non aliter confirmabimus, quam ſuperius de Cathedralibus Eccleſiis eſt expreſſum.* Unde in aprico ſane eſt, ſola illa Monaſteria exempta,

empta, ſive Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecta pro Confirmatione obtinenda Romam recurrere debere, in quibus hactenus eo recurri conſueverat. Et hæc conſuetudo cum ſit facti, ab allegante quoque, nimirum ipſamet Curia Romana in eadem ſe fundante, omnino erit probanda. Probatio vero iſta ex antiquis Cameræ Apoſtolicæ libris erit depromenda, niſi tamen poſteriori obſervantia legitime probata, & iiſdem contraria hactenus fuerit derogatum. Deſcriptio enim Monaſteriorum in hujusmodi Libris probat, illa Conſiſtorialia eſſe, ſive conſueviſſe Conſiſtorialiter, & a Summo Pontifice provideri, ſicut teſte & allegante RIGANTIO *Comment. ad Reg. II. Cancellar.* §. *II. num.* 110. ex ſententia Rotæ, & ex antiqua reſolutione ſacræ Congregationis Conſiſtorialis anno MDXCI. probant LOTTERIUS *de Re Benefic. Lib. I. Cap. XXVI. n.* 50. *cum duobus ſeqq.* AMAYDEN. *Cap. XVII.* §. 2. *num.* 21. *pag.* 316. SPAD. *Conſ.* 134. *n.* 12. *& ſeqq.* Solis autem Libris Cameralibus, abſque prædicta recurrendi conſuetudine conſideratis, & ab hac ſeparatis ſi omne hac in re punctum committi ab allegatis mox Autoribus velit, male certe vertendum non erit, ſi Germanos ſibi Doctores eatenus diſſentientes habeant, in extraneorum privatorum, atque præcipue partialium verba jurare haud aſſuetos, ſed fidei potius, publicæ, juriumque Nationi per pacta publica aſſertorum tenaces, per quæ certe primarium hac in re fundamentum in antiqua potius pro Confirmatione recurrendi ad Sedem Apoſtolicam, conſuetudine diſertis verbis reponitur. Quin adeo in Belgio, quamvis ex Taxa Abbatiarum, & Monaſteriorum, quam exhibet TAMBURINUS ad calcem *Tomi primi de Jure Abbatum* ad exemplar Libri Sacri Collegii & Reverendiſſimæ Cameræ Apoſtolicæ, pateat Abbatias Belgii omnes futuras eſſe Conſiſtoriales, ſi earum proviſio Romæ peteretur, cum taxa illarum ibidem notata valorem annuum ducentorum florenorum auri de Camera multum excedat; moribus tamen Belgii, Abbatum Confirmationem juxta Jus potius commune, & particulares cujusque Ordinis conſtitutiones & privilegia peti & obtineri, & pauciſſima eſſe, eaque ſola a jurisdictione Ordinario-

rum exempta Ordinis Benedictini Monaſteria, refert Espenius *Jur. Eccleſ. Univ. P. I. Tit. XXXI. num. 7.*, quæ a Sede Apoſtolica proviſionem, ſeu Confirmationem petere conſueverint. Atque hunc inveteratum morem ipſis adeo Indultis Caroli V., Philippi II., & Alberti Archiducis de nominando ad primarias Eccleſiarum Dignitates, quibus expreſſe cavebatur: *quod ſic nominati a Sede Apoſtolica obtinebunt Confirmationem*, prævaluiſſe ibidem teſtatur. Quidni jure multo potiori ad ſimilem recurrendi conſuetudinem expreſſa Concordatorum lege firmatam, receptam atque canonizatam provocare, Germanis integrum erit permiſſumque? Sola proinde illa Monaſteria exempta Conſiſtorialia dici vi Concordatorum Germaniæ poſſunt, quæ in Libris Cameræ Apoſtolicæ antiquis, per Concordata & contrariam conſuetudinem non contradictis, taxata ſunt, & de quibus pro Confirmatione obtinenda ad Curiam Romanam recurri conſuevit. Atque ideo ſiqua hodie poſt Concordata Monaſteria a Jurisdictione Epiſcoporum eximi contingeret, non illico & eo ipſo illa Conſiſtorialia, aut ad Confirmationem Summi Pontificis pertinentia cenſeri poterunt; ac jure proin optimo illa Confirmationis Epiſcopalis præſervatio quoad Monaſteria Ordinis Sancti Benedicti in Bavaria ſuperius memorata non tam neceſſitatis, quam abundantioris duntaxat cautelæ, fuiſſe videtur. Sed & illud incidenter, ut ajunt, haud otioſe tamen hic quoque animadvertendum eſt, quod Monaſteria, quæ ex ſe Conſiſtorialia ex conditionibus hic recenſitis ſunt, atque probantur, ex accidenti tamen & cauſis quibusdam rationalibus interdum extra Conſiſtorium, ſive non conſiſtorialiter, ſed per Datariam expediantur.

XLII. * De Monaſteriis igitur vacantibus, reſtituta Capitulis Regularibus electione, ſe non amplius, niſi illa prævia, per Confirmationem, ubi hanc in Curia Romana peti uſus habet, diſponere, atque nonniſi perſonis canonice Electis de illis providere velle, appromittit Pontifex. Liberam autem, & cui ipſe voluerit, providendi facultatem non aliter ſibi reſervatam agnoſcit, quam eo in

caſu,

caſu, & modo, quo etiam in Eccleſiis Cathedralibus providere integrum ipſi eſt, ac permiſſum; quando nimirum Electiones a Conventibus, ſive Capitulis Regularibus factæ intra legitimum trium menſium tempus ad Sedem Apoſtolicam delatæ, aut præſentatæ non fuerint, vel ſi præſentatæ, minus canonicæ fuerint deprehenſæ. Uti verba diſerta innuunt: *Ubi autem pro Monaſteriis ad dictam Curiam venire ſeu mittere conſueverint, non aliter confirmabimus, vel providebimus, quam ſuperius de Cathedralibus Eccleſiis eſt expreſſum.* Hanc enim duplicem limitationem ſuperius jam expoſitam, in caſu nimirum utriusque negligentiæ tam in committendo, quam in omittendo conſiſtentis fundatam, generalibus hiſce verbis comprehendi voluiſſe, indubitatum prorſus videtur. Non autem æque facile induci nos pateremur, ut & alteram limitationem famoſa illa Clauſula itidem ſuperius explanata: *Niſi ex rationabili & evidenti cauſa &c.* comprehenſam, hic quoque ſola generali ejusmodi provocatione denuo repeti voluiſſe, crederemus. Nimium enim hæc reſtitutæ Electionum libertati præjudicioſa, & ipſi quoque Juri communi adverſa dignoſcitur, ut ſpeciali propterea expreſſione indiguiſſe, non autem generalibus tantum verbis comprehenſa fuiſſe, videri poſſet. Veruntamen & hoc ſatis etiamnum veroſimile vel inde redditur, quod tam Concilii Baſileenſis Patres in Decretis ſuis *Seſſ.* XII. *&* XXIII., quam Status Imperii in Gravaminibus ſuis Moguntinis pariformiter de Eccleſiis tam Regularibus, quam Cathedralibus, atque tam de Conventibus, quam de Capitulis locutos fuiſſe, ſuperius ex Num. XXIV. liquido pateſcat. Subſequa proinde Concordatorum & Tranſactionis hujus publicæ diſpoſitio, ut anteactis conformis ſit, ſub generali hac provocatione illam quoque Clauſulam tanquam hic tacite iteratam complecti veroſimiliter voluit. Sed cum quoad Epiſcopatus & Eccleſias Cathedrales illa Clauſula, utut expreſſe poſita, tot contradictionibus jamjam obnoxia fuerit, & vix unquam in uſum deducta, aut ex Declaratione Calixtina

poſthac facile deducenda ſit; multo magis eadem Declaratio. Calixti III. mox memorata ad Electiones etiam Regularium erit reducenda. Nihil denique commemorando, quod multo forſan rarius in ejusmodi Monaſteriis tam magna, evidens & urgentiſſima cauſa, partim per clauſulam ipſam in diſerto ſuo tenore ſpectatam, partim per ſubſecutam poſtea Calixti Declarationem, neceſſario requiſita ſubintrare poſſit, ut vel hoc ex capite clauſulæ hujus etiam ad Regularium Electiones extenſio, in numero præſertim ſimilium Abbatiarum Catholicarum, quæ ad proviſionem Conſiſtorialem pertinant, nunc etiamnum exiſtentium perexiguo, non admodum gravi præjudicio Nationi noſtræ Germanicæ poſthac unquam futura prævideatur.

XLIII. * De vacaturis vero Monaſteriis, ſive Dignitatibus ac Prælaturis Regularibus hoc ipſo quoque liberam diſponendi facultatem Summo Pontifici non competere, clara eſt conſecutio, cum & hæc Capitulis Regularibus ſuam eligendi libertatem ſancte adeo appromiſſam, cum majori adhucdum Eccleſiarum incommodo, violet, atque prævertat. Nec opus proinde fuit ſpeciali deſuper clauſula cavere; ſed cum nullo alio Concordatorum §. de aliis quibuscunque Beneficiis regularibus commodior dicendi locus occurreret, hic ſaltem eorundem mentio inſerta fuit, & generatim omnis circa illa ſaltem vacatura diſpoſitio excluditur, ubi ipſa exſpectativis gratiis ſubjici non poſſe, decernitur in verbis.: *Ipſaque Regularia Beneficia ſub exſpectativis gratiis non cadant.* Exſpectativæ enim gratiæ, ex quibus nimirum impetrans beneficium exſpectat, Mandata Apoſtolica ad vacatura Beneficia dicuntur, atque iiſdem, queis & reſervationes motibus & Nationum querelis cum fuerint obnoxiæ, iisdem etiam Concordatis limitari atque coarctari debuerant. Sed inferius hæ loco opportuniori, *Capite* nimirum, *ſequenti*, examinandæ erunt, ubi de collatione Beneficiorum, & alternativa menſium ſpeciatim agetur. Id unum hic attingitur, quod quoad Regularia ſaltem Beneficia, tam majora, quam minora Germa-

nica

nica Natio ab omni captandæ mortis alienæ voto, cui anſam dare ſolent, magis aliena damnabiliores illas crediderit, atque ideo jam dudum, ante Concilium Tridentinum, per hanc ipſam conventionem publicam ſublatas voluerit ac interdictas.

XLIV. Illud quoque hoc adhucdum loco annotari meretur, nomine Gratiarum exſpectativarum etiam Coadjutorias cum ſpe futuræ ſucceſſionis excluſas, in Beneficiis hiſce utrisque Regularibus cenſeri, utpote quæ aliud non ſunt, niſi Gratiæ præventivæ, & totaliter dependentes a futuro, nempe a Vacatione Beneficii per obitum Coadjuti, & æque collationem cum Clauſula: *ex nunc, prout ex tunc*, imo & ſpecialem reſervationem, quemadmodum aliæ exſpectativæ, continent, ac liberam in caſu vacationis conferendi facultatem tollunt, ac impediunt. Ita enim ipſimet Curialiſtæ Romani ſentiunt, reſpectu Concordatorum, utpote quæ ex Regulis generalibus rectæ Concordatorum interpretationis, ſuperius in *Præfatione* fundamenti loco præmiſſis ſunt favorabilia, & latiſſime interpretanda, atque per modum Pacti ac veri contractus pro bono publico, ad ſedandas nimirum discordias inter Eccleſiam Romanam, & Principes tam Eccleſiaſticos, quam Sæculares Nationis Germanicæ exortas, favore Capitulorum, & Ordinariorum, qui aſſiſtentiam Juris communis & antiqui ſuper collatione Beneficiorum ſuæ Diœceſeos, vel ſuper Electione habebant, inita, atque vel ideo latiorem extenſionem, quæ & alias in Gratiis titulo oneroſo conceſſis, & favorem publicum evitandi ſcandala reſpicientibus, fieri aſſolet, atque ſub exſpectativis prohibitis etiam Coadjutorias complectitur, omnino exigunt; quidquid demum ſentiant de Indultis particularibus extraordinariis, quæ interdum Collegiis, & Univerſitatibus Studiorum conceſſa noſcuntur, ut certa Beneficia Rectoribus, ſeu Lectoribus, aut Regentibus, ſeu Legentibus conferri debeant, *quibuscunque proviſionibus Apoſtolicis, Gratiis exſpectativis, ſpecialibus & generalibus reſervationibus, nominationibus, nominandi facultatibus ac mandatis &c. &c. non obſtantibus.* Hæc enim Indulta favore

vore illorum, qui nullam juris pro ſe aſſiſtentiam habent, conceſſa ſicut ſoli, & unicæ Summi Pontificis benignitati ac liberalitati in acceptis referri debent, ita etiam publicum favorem evitandi ſcandala, & pacem ac unionem Eccleſiæ cum Imperio reſtituendi haud præſeferunt, ſed privatam duntaxat Profeſſorum aut Lectorum ejusmodi utilitatem concernunt, & nullatenus naturam ac indolem pacti, aut veri contractus participant. Unde & nunquam favore publico Concordatorum illa gaudere, neque ſimilem exſpectativarum ad Coadjutorias quoque extenſionem recipere, tradunt NICOLARTS *ad Concord. Germ. Tit. I. de Reſervation. Dub. VIII.* §. 10. *ſeqq.* REMOUCAMP *de Coadjutor. Cap. V. n.* 18.

XLV. Idem quoque ad Sæculares Prælaturas electivas (nam de Beneficiis inferioribus inferius *Cap. ſeq.* erit dicendi locus) extendendum omnino venit; nimirum eodem modo Coadjutorias cum ſpe futuræ ſucceſſionis, invito Capitulo, ſalvis Concordatis dari non poſſe, id quod juxta hactenus dicta ex ipſo Electionis liberæ jure Capitulis ſolenniſſime perpetuo, absque omni ad certos vacationis caſus, aut tempus limitatione, & absque menſium diſtinctione reſtituto conſequitur. Dum enim datio Coadjutoris cum ſpe futuræ ſucceſſionis vacationem Prælaturæ in caſum obitus Coadjuti præpedit, atque gratia Pontificia hanc prævertit, æque Electionis libertati adverſatur, quam Prælaturæ actu vacantis immediata per Pontificem proviſio. Equidem Ss. Concilium Tridentinum ipſum *Seſſ. XXV. Cap. VII. de Reform.*, ubi generatim Coadjutorias cum futura ſucceſſione in quibuscunque Beneficiis Eccleſiaſticis nemini poſthac permitti voluit, Prælaturas tam Regulares, quam Sæculares, id eſt, Epiſcopatus, & Abbatias excipit, in quibus, neceſſitate urgente, & evidenti utilitate Eccleſiæ, Pontifex Coadjutores dare ſinitur cum ſpe ſucceſſionis, dummodo ii eligantur, quibus affluant ea omnia eruditionis, pietatis, & virtutum reliquarum ornamenta, quibus & Jus Canonicum, & Tridentinum ipſum maxime Concilium Paſtores inſtructos eſſe deſiderat: *Quod ſi quando* (ait enim loco ſup. cit.) *Eccleſiæ*

Cathe-

Cathedralis, aut Monaſterii urgens neceſſitas, aut evidens utilitas poſtulet, Prælato dari Coadjutorem, is non alias cum futura ſucceſſione detur, quam hæc cauſa prius diligenter a Sanctiſſimo Romano Pontifice ſit cognita, & qualitates omnes in illo occurrere certum ſit, quæ a Jure & Decretis hujus ſanctæ Synodi in Epiſcopis, & Prælatis requiruntur : alias conceſſiones ſuper his factæ ſurreptitiæ eſſe cenſeantur. Ad ſolas has igitur Epiſcopales Eccleſias, uti & ad Abbatias, probavit Tridentina Synodus, aſſignari a Summo Pontifice Coadjutores, ſuccedendi ſpe & fiducia certa munitos, idque urgente gravi neceſſitate. Nec ullibi quoque hæ frequentiores eſſe ſolent, quam in noſtra Germania, ubi gravis Eccleſiarum neceſſitas vel inde ſæpius urget, quod diuturna Sedis vacatio ingentia Eccleſiis damna quandoque afferre ſoleat, tum prævalente viciniorum alicubi Proteſtantium præpotentia, tum quoque communi Capitulorum tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus adminiſtratione, in qua, argumento Capituli: *Nihil* 44. *de Elect. & Electi poteſt.* jam ſuperius allegati, non admodum Sacri Canones confidere videntur, ut propterea timenda inde majora, ut ajunt, Interregni mala minori quodam, & inflicto etiam ſacris Canonibus, Eccleſiæ non vacantis conceſſionem alias acerrime prohibentibus, vulnere redimere malint. Conſenſus tamen Capituli, de cujus jure per Concordata quæſito agitur, omnino neceſſarius eſt. Quin & ſpectata Theoria, & ſecundum juris apices non iniqua videtur eorum prætenſio, qui non qualemcumque Capituli per majora, aut majoris duntaxat partis, ſed unanimem quoque omnium & ſingulorum, qui ſunt de Capitulo, conſenſum requirerent, ubi ſaltem quæſtio : *An conſtituendus ſit Coadjutor ?* verteretur. Hic enim de ſingulorum jure agi, inde convincitur, quod dato Coadjutore futuræ ſucceſſionis ſpe certa munito, ſive perpetuo, Jus Suffragii ſui efficacis, in futura alias Canonica Prælati Electione ferendi, amittant, quod per Electionem Coadjutoris, ſive qualemcunque conſenſus Capituli declarationem circa Perſonam certam a Summo Pontifice in Coadju-

torem deſignandam & conſtituendam non ſatis compenſatur, cum iſte nequaquam, ſicut ille, qui vacante Prælatura præſtatur, efficax foret, atque nullum hujusmodi Electo jus, utpote totum ex gratia Sedis Apoſtolicæ pendens, tribuere valeret; niſi tamen omnes unanimiter ad talem Electionem accedendo, ſuffragiis licet in certam Perſonam per majora duntaxat dein collatis, hoc ipſo juri ſuo libere renuntiarint. Inde quoque eſt, quod nunquam a Summo Pontifice in Germania Coadjutores in Prælaturis & Epiſcopatibus cum futura ſucceſſione dari ſoleant, niſi prævia Capituli Electio acceſſerit, aut potius illud conſenſum ſuum prævium declararit; quin & hoc declarato in literis Apoſtolicis adhucdum ſpecialis Clauſula Concordatorum derogatoria adjicitur, quæ tamen, cum juri ſuo, & favori pro ſe per Concordata introducto Capitulum reapſe jam renunciaverit, non tam neceſſitatis, quam ſtyli potius, atque ideo tanquam innoxia, absque omni Nationis Germanicæ vero & reali præjudicio, admittenda eſſe videtur, niſi & abundantiorem in eo cautelam huic ineſſe quispiam crediderit, quod ipſamet Curia Romana de Jure ſingulorum hic vertente, & de aſſerta inde ſuperius unanimis omnium conſenſus quoad quæſtionem: *An?* neceſſitate convicta, vel hoc etiam modo omnibus contradictionibus, poſthac nimium ſeris, obviare contendat. Quin etiam quoad Coadjutorias in Pontificalibus, ſive Epiſcopalibus Dignitatibus reapſe major huic derogationi Summi Pontificis, ſive clauſulæ Concordatorum derogatoriæ vis & efficacia aſſerenda eſt, ut juri ejusmodi ſingulorum, & pertinaci nimium pauciorum, aut minoris partis contradictioni, & præfractæ quoad quæſtionem: *An?* renitentiæ prævalere jure merito debeat. Hoc ipſo enim, quod nonniſi *ob urgentem neceſſitatem, aut evidentem utilitatem* Eccleſiarum Cathedralium, eas Concilium Tridentinum fieri voluerit; male ſane huic proſpectum, conſultumque foret, ſi ex arbitrio vago unius, aut paucorum, proprium plerumque & privatum, non publicum Eccleſiæ commodum reſpicientium, illa pendere deberet, atque his tam neceſſariam Coadjutoris conſtitutionem aut dationem ſolo

for-

forſan prætextu hujus juris ſui impedire integrum, atque permiſſum foret, ubi tamen potius generalis prudentiæ politicæ regula, publica privatis anteferenda eſſe bonis, dictaret atque præciperet. Hic igitur eminens potius ſupremi Eccleſiæ Capitis circa omnium inferiorum Eccleſiarum ſalutem cura ac ſuperintendentia, adeoque altum & ſupremum illud imperium, velut eſſentiale conceſſi divinitus Primatus reſervatum, per Concordata inabdicabile, vel ſub Concordatis non comprehenſum, neque coarctatum, locum haberet, cui omnes inferiores Collatores Ordinarii, ſeu Electores Canonicam debent profiteri ſubordinationem, præterquam quod alioquin ita animo conſtitutos, paratosque illos eſſe oporteat, ut non ſibi, ſed Eccleſiæ vivant, illam præ omnibus privatis commodis, aut vanæ ſpei prætextibus prædiligant, amplexentur, eique ex totis animis ſe impendant, ex quo & illud conſequitur, ut jure collationis aut electionis privari lubenter præſto ſint, ſi ita penſatis omnibus evidenter conducat Eccleſiæ, vel præciſe neceſſarium ſit. Neque mirum profecto videri debet, in datione Coadjutoris Eccleſiarum Cathedralium, ſive Dignitatum Pontificalium ſimilem, interpretatione Doctorum, contra privatos & ſingulos duntaxat Electores derogandi facultatem Summo Pontifici aſſeri, qualem ipſa Concordatorum litera adverſus Electiones ipſas, conſenſu ſaltem majoris partis totius Capituli concluſas, ex eadem gravis neceſſitatis & evidentis utilitatis cauſa de alio digniori, & utiliori præficiendo expreſſe Clauſula ſuperius *Num.* XXIV. *& ſeqq.* explanata eidem præſervat. Unde quod hic de Jure ſingulorum, & de conſenſu eapropter unanimi quoad quæſtionem: *An?* in Datione Coadjutoris neceſſario dictum fuit; facile in Coadjutoriis ad Prælaturas alias, utut Electivas, Epiſcopali tamen inferiores locum habere poterit. Uti enim magis horum nutat vacillatque Coadjutorum ratio, quorum ſuccedendi conſuetudini nulla favent jura, ſed unus Romanæ Curiæ uſus, ſtylusque, & in quibus non eadem utilitas & neceſſitas publica Eccleſiæ, ſed privata plerumque cupiditas & avaritia, ſubintrat, atque ob eandem cauſam magis

gis proſcripti ſunt a Tridentino Concilio loco ſupra citato Coadjutores hi minorum gentium, omnes ſpe ſuccedendi ſibi blandientes; ſicut & regreſſus, & artes demum eæ omnes, quibus Beneficia velut hæreditaria una aliqua in gente perpetuantur; ita nec obeſt, quod major ex conſenſu ſingulorum neceſſario iisdem obex per Concordata ponatur, graviorque injiciatur difficultas.

XLVI. * Sola denique ſuperſunt Monaſteria Monialium, de quibus ſpecialiter ita hocce in loco conſtituitur: *Et de Monaſteriis Monialium non diſponemus, niſi ſint exempta, & tunc per Commiſſionem ad partes.* Hæc enim Mulierum Monaſteria non comprehendi, nec comprehenſa etiam olim fuiſſe ſub Regula II. Cancellariæ, tanquam principium generale a Curialiſtis ipſismet Romanis aſſeritur, & reſtrictio expreſſis verbis: *ad Monaſteria Virorum*, facta luculenter docet; præſertim cum pleræque, ac fere omnes in aliis, extra Germaniam, Regionibus Abbatiſſæ duntaxat triennales, aut alias temporaneæ exiſtant. In Germania vero quamvis plures perpetuæ, vel ad tempus vitæ electæ numerentur; nec harum tamen Monaſteria, uti non comprehenſa ſub Regula II., ullo modo reſervata Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni fuerant. Ex nonnullis ejusmodi Monaſteriis pro obtinenda Electionis Confirmatione per eorundem Monaſteriorum fundationem, erectionem, aut inſtitutionem eisdem præſcripta, vel pro facultate muneris benedictionis ad Sedem Apoſtolicam recurritur; ſed alia hæc non ſunt, niſi quæ exempta, eo ſcilicet modo, quo de Monaſteriis Virorum ſuperius memoratum fuit, id eſt, quæ Conſiſtorialia ſimul eſſe, ex libris Conſiſtorialibus, uſu aut conſuetudine contraria legitime introducta non contradictis, doceri poterunt. Quin & de his Sedes Apoſtolica vi Concordatorum non aliter diſponit, niſi vel favore Monialium, quæ ſunt in Abbatiſſas vel Superioriſſas electæ, easdem nimirum illorum Regimini præficiendo, & confirmando, vel tantum in caſu devolutionis, ſi electio intra legitimum tempus, vel non expleta, &

plane

plane neglecta, vel minus Canonice aut legitime facta fuerit; & tum quidem in forma commiſſoria, non autem gratioſa proviſionem ejusmodi faciendam eſſe, & Natio in Concordatis per modum pacti conceptis ſibi ſtipulatur, & Pontifex in Bulla eorundem confirmatoria pollicetur, dum decernendam eſſe Commiſſionem ad partes, ſive Delegatos a ſe pro expedienda ejusmodi proviſione conſtituendos eſſe decernit, eo haud dubie fine, ut, cum Summus Pontifex ex rerum natura de neceſſitatibus & utilitatibus ejusmodi Monaſteriorum, & qualitatibus ac meritis particularium Monialium informatus ſatis eſſe nequeat, auribus autem alienis duntaxat audiens, facillime cum maximo Monaſteriorum, ac diſciplinæ regularis, quæ ex integritate præſidentium præcipue pendet, detrimento circumveniri valeat, per Delegatos ejusmodi Commiſſarios, Viros in Dignitate conſtitutos, melius, atque utilius non perſonis, ſed Eccleſiis provideatur. Unde & Nationales ejusmodi Commiſſarios eſſe oportet, qui & de moribus, indole, genio, & ſpecialibus circumſtantiis Monaſteriorum pleniorem propioremque notitiam habeant, & nimiis ſumptibus Monaſteria gravare haud debeant. Id quod ſane nec aptius, nec elegantius, breviusque exprimi poterat, quam ea ipſa, quæ in Concordatis per modum Pacti conceptis, & in Bulla eorundem confirmatoria reperitur, exigua verborum differentia, dum in illo, utpote a Principibus & Legato Sedis Romanæ in Germania exiſtentibus confecto, Commiſſionem illam: *in partibus*, in hac vero a NICOLAO V. Summo Pontifice, Romæ degente, exarata Commiſſionem: *ad Partes* decernendam eſſe manifeſte ſtatuitur, atque breviter quidem, ſed nervoſe ſatis determinatur.

CAPUT IV.

Introductam quoad inferiora Beneficia menſium alternativam explanat.

SUMMARIA.

I. *Præmiſſa tranſitione exponitur, quid circa Beneficia inferiora in Concordatis Conſtantienſibus diſpoſitum fuerit.*

II. * *Quid textus modernorum Concordatorum Aſchaffenburgenſium de iisdem diſponat, relato eorundem tenore generaliter oſtenditur.*

III. *Quo ordine ad ductum bujus Concordatorum tenoris hoc in Capite interpretando incedendum, indigitatur.*

IV. * De menſibus Ordinariorum *inprimis agitur etiam in ipſo textu Concordatorum; & quid circa abolendas, in iisdem menſibus Ordinariorum,* reſervationes *hoc loco Concordatorum promiſerit Pontifex, declaratur.*

V. * Expectativarum *quis hodie uſus ſit, ad textum Concordatorum, & ordinationem Tridentini expenditur.*

VI. * *E verbis*: aut quamvis aliam diſpoſitionem, *eruitur inprimis, manus Papalis appoſitionem contra hunc* §. *Concordatorum locum habere non poſſe.*

VII. & VIII. *Deinde ex iisdem ſtabilitur, uſum Præventionis aut concurſus Papalis hic omnino ſublatum eſſe.*

IX. * *Ex promiſſa hic collationis ordinariæ* libertate *oſtenditur, penes ſolum Pontificem arbitrarie non eſſe, ut Beneficia Germanica quovis modo diminuat, & præſertim penſionibus gravet.*

X. * *Hactenus dicta ſpeciali quadam in clauſulam finalem huc appoſitam reflexione roborantur.*

XI. * & XII. *Quinam* Ordinariorum *nomine hoc loco Concordatorum veniant, deducitur.*

XIII. * *Regulæ de computandis & definiendis circa alternativam menſibus ſtatuuntur.*

XIV.

XIV. *Favor Concordatorum præ Regula IX. Cancellariæ, in quo conſiſtat, aperitur.*

XV. * Ad menſes Pontificios *fit progreſſus, ubi duo generaliter prænotanda inſimul traduntur.*

XVI. * *Prolixior ſuper verba hic primo occurrentia*: vacante Beneficio, *inſtituitur commentatio, & inprimis*

XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. *Ex variis genuinæ interpretationis Regulis oſtenditur, iisdem non comprehendi* (*a*) Dignitates vere Electivas, *cum certo & individuo Canonicatu non connexas, ſive* ambulantes, *ut vocant.*

XXII. * *Neque* (*b*) Dignitates & Officia, *Profeſſuræ v.g. Prædicaturæ &c. certis Canonicatibus* inſeparabiliter connexa *iisdem verbis reſervari, defenditur.*

XXIII. * *An & quæ* (*c*) Eccleſiæ Parochiales *ſub hiſce verbis*: vacante Beneficio *comprehendantur, adeoque ſub reſervationem cadant, determinatur.*

XXIV. * *Sub ly* vacante *omnis vacationis modus, excepto reſignationis, intelligitur.*

XXV. *In dubio, an beneficium in Menſe Apoſtolico, an ordinario vacaverit, præſumptio eſt pro collatione Ordinarii facienda.*

XXVI. * Tempus, *intra quod collatio Pontificia maturanda, ex ipſa Concordatorum litera determinatur.*

XXVII. * *A deducta hactenus, alternativæ Beneficiorum per menſes Collationis, regula excipiuntur* Dignitates majores poſt Pontificalem in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis *liberæ Ordinariorum collationi pro ſingulis vacationis vicibus relictæ.*

XXVIII. * *Id quod tum ex ipſa Concordatorum litera,*

XXIX. * *Tum ex Actis, & Documentis Hiſtoricis Concordata illuſtrantibus firmiter demonſtratur.*

XXX. * *Neque in contrarium objici poteſt a Curialiſtis obſervantia a die Concordatorum uſque in præſens ſervata.*

XXXI. * *Explicatur clauſula de acceptatione ſpeciali hujus Concordatorum* §. *ſingulis Ordinariis permiſſa, & quid exinde pro Eccleſia Herbipolenſi præſertim favoris deſumi poſſit.*

XXXII. * *Speciales rationes Clauſulæ finalis:* Niſi in futuro Concilio &c. *huic Concordatorum materiæ accommodatæ ſuggeruntur.*

I. QUandoquidem ſuperiori Capite de Dignitatibus Epiſcopalibus, Abbatialibus, aliisque *majoribus*, & reſtituta circa illa libera, & Canonica Capitulorum, Conventuum, aliorumque Electione actum fuit, modo de *Dignitatibus, aliisque Beficiis inferioribus & minoribus*, ipſo ſic textu Concordatorum manuducente, tractandum, & diſpiciendum reſtat, quid circa hæc pactitia eorundem Concordatorum noſtrorum lege confectum fuerit. Notum eſt, quantum non modo circa Dignitates *Majores*, & Epiſcopales, ſed & circa *minora*, & *inferiora* Beneficia incrementum ſumpſerint *reſervationes Pontificiæ* tum per Conſtitutiones Pontificias, tum per Regulas Cancellariæ ſucceſſive & pedetentim introductas. Nota pariter ſunt omnium fere, quæ alicujus ſunt nominis, Nationum, in ſpecie *Germanorum*, gravamina, querelæ, clamores, oppoſitiones poſt dictas reſervationes nimium ingraveſcentes. Dum interea celebrabatur Concilium *Conſtantienſe*, innovabantur querelæ, quærebatur earundem ſalutare remedium. Natio Germanica per Deputatos Provinciarum ſuarum exhibuit Anno MCCCCXVI. ſua Aviſamenta, in quorum *Capite primo* generatim reſervationum *omnium*, ſola Juris ſcripti retenta, caſſatio poſtulabatur; *Capite* deinde *ſexto* ſpeciatim circa *Beneficia inferiora & minora* petitum ad Congregatam Synodum *Conſtantienſem* dirigebatur, ut in futurum Summus Pontifex nonniſi *unica* quemlibet Ordinarium quoad beneficia inferiora exſpectativa gravaret, oneraretque. A quo tamen ſuorum Aviſamentorum rigore receſſit, mediamque omnino ſemitam ingreſſa fuit noſtra Natio, dum Anno MCCCCXVIII. quinquennalia cum MARTINO V. Concordata paciſcebatur, ceu in quorum *Capite tertio*, relictis omnino iis, qui vel ex una parte omne compoſitionis medium reſpuebant, totalemque omnium reſervationum abolitionem impoſterum urgebant; vel ex altera parte *duas* Beneficiorum vacantium partes, reſervata

ſibi

ſibi *unica*, & *tertia*, Summæ Sedis diſpoſitioni, conditione certe dura, relinquebant, de *Beneficiis* inferioribus *alterna* a Summo Pontifice & Ordinariis Germaniæ *vice* conferendis hiſce verbis conventum fuit. *De cæteris Dignitatibus, & Beneficiis quibuscunque ſæcularibus, ſive regularibus vacaturis, ultra reſervationes jam dictas, majoribus Dignitatibus, poſt Pontificalem in Cathedralibus, & Principalibus in Collegiatis Eccleſiis exceptis, de quibus jure Ordinario provideatur per illos inferiores, ad quos alias pertinet, nec computentur in Turno vel vice eorum, idem Dominus noſter Papa declarat, quod per quamcunque aliam proviſionem, gratiam exſpectativam, aut quamvis aliam diſpoſitionem ſub quacunque verborum forma per eum, aut ejus authoritate factam vel faciendam non velit, neque vult, neque intendebat, neque intendit facere, aut fieri, quominus media parte illarum, & illorum, cum vacabunt, alternis vicibus libere diſponatur per illos, ad quos collatio, proviſio, præſentatio, electio, aut quævis alia diſpoſitio pertinebit, ad ipſos ſpectabit de conſuetudine, vel de Jure.* Ita *quod cum de una Dignitate, Perſonatu, Officio, vel Beneficio ex illis ad electionem, proviſionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem alicujus ſpectantem fuerit authoritate Apoſtolica proviſum, aut alias diſpoſitum, ille, ad cujus electionem, proviſionem, collationem, vel quamvis diſpoſitionem primo loco pertinebat, de alio immediate vacaturo provideat, aut diſponat, prout ad eum pertinebit, & ita conſequenter de ſingulis hujuſmodi Dignitatibus, Perſonatibus, Officiis, & Beneficiis vacaturis, authoritate ejusdem Domini noſtri Papæ factis vel faciendis non obſtantibus quibuscunque. Quoties vero aliquo vacante Beneficio cadente in vice & gratia exſpectativa non apparuerit infra tres menſes a die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo ſecundum prædictas ordinationes fuerit Apoſtolica Authoritate proviſum, Ordinarius vel alius, ad quem illius diſpoſitio pertinebit, de illo libere diſponat, nec ſibi in ſua vice computetur; Beneficia etiam, quæ per ſimplicem renunciationem, aut permutationem vacaverint, neutri parti computentur.*

II. * Delapſo autem, quod intra prædicta Concordata obligabant, *quinquennio*, antiquas reſervationes reductas etiam in Ger-

mania fuiſſe, conſtat tum ex querelis & gravaminibus ante Concilium *Baſileenſe* innovatis, tum ex ipſiſſimo *Baſileenſi* Concilio, in cujus Seſſ. XII. & XXIII. reſervationes omnes, unica illa Juris ſcripti excepta, ſublatæ fuerunt; quod Concilii placitum ipſa etiam Natio noſtra amplexa fuit, neutram ſeſe, & nullius Pontificis addictam partibus per octennium exhibens, eidemque uſque adeo inhæſit, ut in primis, queis de reſtabilienda concordia, & præſtanda Eugenio IV. tanquam vero Summo Pontifici obedientia cogitaret, tractatibus, Aviſamentis ſcilicet *Moguntinis* de anno MCCCCXL. §. V. poſtulare non dubitaret, ut Summus Pontifex, ad cujus obedientiam redeundum eſſet, inprimis & ante omnia, *omnes & ſingulas reſervationes tam generales, quam ſpeciales ſive particulares Eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & Monaſteriorum, Dignitatum & Beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque caſſaret, annullaret, & irritaret, reſervationibus in Corpore Juris clauſis duntaxat exceptis.* Hac tamen via cum fruſtra concordiam tentari paulo poſt adverteret, receſſit tandem in Conventu *Francofurtano* ab exceſſivo, quod ſaltem Legati Pontificii arbitrabantur, petito, illisq; potiſſimum, exceptis paucis, inſtitit impoſterum, quæ in Concordatis ſuis Conſtantienſibus quoad hunc paſſum jam confecta fuiſſent. Quibus cum Legati Pontificii absque ulteriori hæſitatione annuerent, dictorum Concordatorum Conſtantienſium ſupra adducta placita, fere ipſo etiam verborum tenore retento, Concordatis modernis Aſchaffenburgi ſub ſchemate pacti conceptis inſerta fuere, quodque in illis ad quinquennium, hoc fere omne in hiſce ad perpetua tempora laudatum, approbatum, concluſum, & concordatum fuit; eo proinde ferme ſolum Concordata Conſtantienſia inter, & Aſchaffenburgenſia diſcrimine remanente, quod illa mediam Beneficiorum partem *alternis* cum Pontifice *vicibus*, hæc vero *alternis* cum eodem *menſibus* conferendam ſtatuerent, prout ex ſequentibus eorundem ſub ſchemate pacti proditorum verbis ſat apparet: *De cæteris* (inquiunt ſub finem §. IV.) *Dignitatibus & Benefi-*

neficiis quibuscunque ſæcularibus & regularibus vacaturis, ultra reſervationes jam dictas .... idem Sanctiſſimus Dominus Noſter per quamcunque aliam reſervationem, gratiam exſpectativam, aut quamvis aliam diſpoſitionem, ſub quacunque verborum forma, per eum, aut ejus authoritate factam vel faciendam non impediet, quominus de illis, cum vacabunt in menſibus Februarii, Aprilis, Junii, Auguſti, Octobris & Decembris, libere diſponatur per illos, ad quos collatio, proviſio, præſentatio, electio, aut alia quævis diſpoſitio pertinebit. Reſervationibus aliis præmiſſis, ac diſpoſitionibus authoritate ejusdem Domini noſtri Papæ factis vel faciendis non obſtantibus quibuscunque. Quoties vero aliquo vacante Beneficio de Menſibus Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris & Novembris ſpecialiter diſpoſitioni Apoſtolicæ Sedis reſervatis non apparuerit infra tres menſes a die notæ vacationis in loco Beneficii, quod alicui de illo Apoſtolica authoritate fuerit proviſum, ex tunc & non antea, Ordinarius vel alius, ad quem diſpoſitio pertinebit, de illo libere diſponat.

III. Facile, & per ſe pateſcit, *tria* generaliter & per modum Regulæ hoc Concordatorum loco confecta, atque determinata eſſe. Quippe (I.) in verbis anterioribus Dignitates & Beneficia in *menſibus*, ut ajunt, *paribus* vacantia liberæ *Ordinariorum* collationi, aut quovis alio modo faciendæ diſpoſitioni relinquuntur. Quæ (II.) inſequuntur, Beneficia in *menſibus imparibus* vacantia *Sedi Apoſtolicæ* reſervant. Demum (III.) *tempus collationis* Beneficiorum in menſibus Papalibus vacantium determinatur.

IV. * Primum quod attinet, ſpeciali animadverſione digna ſunt verba fere ſingula, queis Summus Pontifex ſancte appromitit, ſe

ſe *per quamcunque aliam reſervationem, gratiam exſpectativam, aut quamvis aliam diſpoſitionem ſub quacunque verborum forma* per ſe, aut ſua authoritate faciendam non impediturum, quo minus de ejusmodi Beneficiis, quæ in dictis menſibus paribus vacabunt, per collatores Ordinarios diſponatur. *Per quamcunque aliam reſervationem* dicit inprimis Summus Pontifex. Quamvis enim ex allatis jamjam in Cap. II. expreſſis Concordatorum verbis: *Sanctiſſimus Dominus noſter .... ſuper proviſionibus Eccleſiarum, Beneficiorumque quorumcunque utetur*, vel prout verba in Bulla confirmatoria ſonant: *Placet Nobis ſuper proviſione Eccleſiarum & Beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque uti Juris ſcripti reſervatione, & Execrabiiis, & ad Regimen conſtitutionibus modificatis*, ſufficienter queat dignoſci, quæ mens, quæ voluntas, in non adhibendis, contra expreſſum Concordatorum tenorem, reſervationibus, Summi Pontificis fuerit, altera tamen hic vice, repetitisque verbis, & amplioribus quidem hoc loco, magisque univerſalibus ſpondet is ipſe Summus Pontifex, ſe præter adductas in cit. Cap. II. reſervationes in Jure ſcripto, Extravag. *Execrabilis, & ad Regimen* contentas, & illam *ſex menſium*, de qua mox infra hic dicetur, nulla alia reſervatione adverſus prædicta Concordata, inque eorundem, & Ordinariorum collatorum præjudicium uſurum eſſe.

V. * Pergit deinde Summus Pontifex: *per quamcunque aliam gratiam exſpectativam.* Quibus verbis id colligitur, *gratiis exſpectativis* quoad Beneficia *ſæcularia* (quod enim Beneficia *regularia* concernit, illas reſpectu horum omnino in Concordatis abolitas fuiſſe, jam Capite ſuperiori demonſtratum fuit) ſaltem in præjudicium Ordinariorum, eorumque liberæ in ſex menſibus paribus Beneficiorum collationis, locum nullum conceſſum eſſe; quam-

quamvis in toto Concordatorum tenore nullibi legatur inhibitum, quo minus Summus Pontifex dictis exſpectativis reſpectu Beneficiorum in ſuis menſibus, *imparibus* ſcilicet, vacantium uti poſſit. Verum non ita pridem poſt erecta Concordata, etiam *in præjudicium Ordinariorum* easdem factas fuiſſe, *Gravamina Principum Germaniæ* circa annum MDX. cum remediis & aviſamentis ad Cæſaream Majeſtatem miſſa, & a GOLDASTO *Tom. II. Conſtit. Imper. pag.* 119. relata loquuntur, quorum *quintum* hoc tenore erat conceptum : *Quod exſpectativæ gratiæ absque numero concedantur, & multæ interdum ad unum collatorem, unde ſurgunt quotidianæ lites, & pecuniæ dilapidantur, tum illæ, quæ pro litibus deducendis confirmantur. Inde apud quosdam ortum eſt proverbium: quisquis gratiam exſpectativam ab Urbe extraxerit, centum aut ducentos aureos nummos in ciſtam ſimul ad ipſam gratiam reponat, quibus ad proſequendam litem opus habebit.* Quibus Germanorum Principum Gravaminibus aliarum quoque Nationum querelæ ſucceſſere. Atque inde inter abuſus, quos in *Synodo Tridentina* reformandos notavit *Conventus Prælatorum a* PAULO III. *delectorum*, etiam hic notatur : *Alius abuſus eſt in* exſpectativis *& reſervationibus Beneficiorum, quibus & datur occaſio, ut aliena mors deſideretur, & libenter audiatur. Præcludunt etiam aditum ſupremum dignioribus, dum vacant, dant litibus cauſam.* Omnes has putamus tollendas eſſe. Adhæc cum inter *Articulos* nomine CAROLI IX. Regis Galliæ Patribus Tridentinis *oblatos* XXI. his eſſet verbis expreſſus : *Mandata de providendo,* exſpectativæ, *regreſſus, fiduciariæ reſignationes, & commendæ revocentur, &* omnino arceantur *ab Eccleſia, veluti Decretis contraria;* tandem *Concilium Tridentinum* his permotum rationibus easdem exſpectativas quoad Beneficia quæcunque, ſive *Sæcularia*, ſive Regularia penitus revocatum ivit *Seſſ. XXIV. Cap. XIX. de Reform. Decernit Sancta Synodus, mandata de providendo, &* gratias, *quæ exſpectati-*

tæ dicuntur, **nemini** *amplius, etiam Collegiis, Univerſitatibus, Senatibus & aliis ſingularibus perſonis etiam ſub nomine Indulti, aut ad certam Summam, vel alio quovis colore concedi, hactenus conceſſis cuiquam uti licere, ſed nec* **reſervationes mentales**, *nec aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura, nec Indulta ad alienas Eccleſias, vel Monaſteria alicui, etiam ex Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus concedantur, & hactenus conceſſa abrogata eſſe cenſeantur.* Quibus verbis ita demum omnes exſpectativæ etiam in ſæcularibus Beneficiis ſublatæ ſunt, ut nec accedente conſenſu Ordinariorum, quibus ſolis favere hoc loco Concordata voluerunt, hodie amplius fiant, aut, *declarante ipſamet Cardinalium Tridentini Interpretum Congregatione*, etiam *in menſibus Papalibus* fieri valeant; atque inde inſimul, fatente GONZALEZ *ad Regulam Cancell. VIII.* §. 2. proemiali „ plura ac plura jura, quæ ſunt ſub titulis de Reſcriptis, de „Præbendis, & de conceſſione Præbendæ &c. tam in Decretali-„bus, quam in Sexto, & Clementinis, ac Extravagantibus, una cum „eorum gloſſis & tractatibus de exſpectativis per Doctores com-„poſitis, jam hodie evanuerunt, & ab Aula receſſerunt. „ Quæ omnia in vim allati Tridentini hactenus dicta ſuum etiam, idque pleniſſimum robur reſpectu Concordatorum Germaniæ habere, exinde liquido conficitur, quod ſub hoc ipſo Concordatorum articulo ſpeciatim expreſſa legatur clauſula jam in Cap. I. hujus Diſſertationis indigitata : *niſi in futuro Concilio de conſenſu Nationis aliter fuerit ordinatum.*

VI. * Subjungit demum Pontifex in Concordatis : *aut quamvis aliam diſpoſitionem ſub quacunque verborum forma per eum, aut ejus authoritate factam, vel faciendam.* Quæ verba generalia adeo ſunt, & energica, ut, quidquid liberam Ordinariorum in menſibus infra recitandis faciendam collationem lædere, turbare, aut quovis alio modo impedire poteſt, iisdem removeri, quam luculentiſſime appareat. Neque vero

fas

fas eſt dicere, per ea excludi ſolum *reſervationes, gratiasque exſpectativas*, de quibus, cum jam expreſſa mentio, earumque ampla, quoad dictos menſes, abolitio in verbis antehac explicatis præceſſerit, neceſſario hiſce ſubintelligi alia debent, ne verba adeo generalia, adeoque energica fruſtra, & ſine effectu poſita gratis cenſeri, & aſſeri debeant. Cum enim ex mox dictis hac verborum prægnantia & univerſalitate removeatur in genere omne illud, quidquid perfectam & integram Ordinariorum in conferendis menſium ſuorum Beneficiis libertatem ſauciare, intervertere, turbare, impedire, aut quovis modo infringere & imminuere poteſt, complura certe ſunt alia, ac dictæ jam, & ſatis per verba antecedentia, remotæ reſervationes, atque gratiæ Expectativæ, contra integram Ordinariæ collationis libertatem mediante praxi ſtyloque Curiæ Romanæ, aut recens plane invecta, aut ex antiquatis ſaltem, virtute & vigore Concordatorum ruderibus revocata, quæ dicta verborum amplitudine contineri, perſtringi, aboleri atque caſſari, quam luculentiſſime perſpicitur. Hæc inter præprimis, ut plura alia tacendo prætereamus novitium illud & ſubtile nimis Romanæ praxeos inventum, quod *appoſitionem manus Papalis* vocant, inque illis potiſſimum Beneficiis, quæ, poſt factam in Curia promotionem, ex Indulto Apoſtolico retenta, per obitum deinceps longo poſt intervallo vacantia evadunt, locum habere dicunt, notari hiſce impetique, jam ſupra Cap. II. num. XXXI. abunde diſcuſſum fuit.

VII. Porro vero his ipſiſſimis quoque verbis præjudicioſum illud ordinariæ collationis libertati *Jus præventionis, ſeu concurſus Papalis*, quod data ſubinde occaſione Legati, Nuntiique Apoſtolici reſtaurare meditabantur, extra omnem in Germania uſum, & inter antiquata reponi, ex ſequentibus confici indubitanter poteſt. Atque ne diſtineamur longioribus in derivandis deducendisque, quos dictum Jus præventionis, multo antehac etiam in Germania uſu, viridique in obſervantia vigens, habuerit, natalibus, ſatis interea ſuperque conſtat, illud, ſuccedaneum

quen-

quendam plenitudinis poteſtatis Pontificiæ, immediatæque & concurrentis in omnibus Diœceſibus Jurisdictionis effectum, & ſequelam fuiſſe, cujus ſatis equidem multa & frequens in recentioribus, & Sæculo XII. poſterioribus Decretalibus, nulla tamen in vetuſtioribus, quos ſincera nobis antiquitas genuine transmiſit, Canonibus, mentio deprehendi poteſt. Quanquam vero tempore, quo Concordata parabantur, conficiebanturque, nec mens, nec animus forte unquam fuerit, ipſum hocce fontale ſic dicti *Juris præventionis* principium aggredi, eidemque quæſtionem movere; propterea quod forſan probe conſideraretur, periculoſius nihil eſſe, quam ſupremas quaslibet poteſtates in abſtracto dimetiri, eisdemque, ſeparatis practicis circumſtantiis, quoſdam limites figere velle; concluſionem tamen quoad *uſum præventionis* inde enatam hic loci impetitam, eundemque penitus ſublatum eſſe, vel ipſa illa verborum, de quibus hactenus dictum eſt, generalitas & amplitudo ſufficienter oſtendit. Id quod præterea ex *actis Hiſtoricis*, Concordata noſtra præcedentibus dilucidius apparet, quod, cum in Concilio *Baſileenſi*, utut de Jure Ordinariorum, præſertim circa Collationem Beneficiorum, reſtituendo ſollicitum fuerit, *Seſſ. XXXI. Art. II.* Jus præventionis Pontifici reſervatum fuerit in verbis: *Neque etiam Collationes per præventionem fiendas intendit impedire;* hanc tamen Concilii *Baſileenſis* clauſulam, una cum Clero *Gallicano* in Conventu *Bituricenſi*, *Germani* quoque in Synodo *Friſingenſi* anno MCCCCXL. congregati detrectaverint, fecerintque Concilio *Baſileenſi* ſupplicari, ut ſaltem declarare dignaretur; „quod vigore „horum decretorum non intenderit tollere inferioribus collatori„bus Ordinariis tempus Lateranenſis Concilii, quodque ante ip„ſius lapſum non habeat locum *præventio*. Cui Germanorum ſupplicationi equidem nullibi legitur Concilium Baſileenſe ſpecifice detuliſſe, ſuumque Decretum renovaſſe, aut limitaſſe, vel expoſuiſſe; cum tamen eosdem paulo poſt ad ſuam obedientiam reductum iret, & concordiam ſponderet Eugenius Summus Pontifex

tifex; non tam vecors profecto Germana Natio fuerit, ut, quod antea tam ardenter petiit, hic data ſibi meliore occaſione penitus negligeret, vel ſaltem reſervatum ſibi in ſuis ſubſequentibus Concordatis *Jus liberæ* per ſex menſes *collationis*, non ſublato *præventionis curſu*, vacuum redderet, & ſtabilitam menſium alternativam ut plurimum inefficacem.

VIII. Et vero ſi teſte Joanne a Chokier in *Proœmio Regulæ VIII. Cancell. n.* 17. per illam, quæ in dicta Regula VIII. (hodie IX.) adornata fuit, *menſium diviſionem*, *tacite* quodammodo Pontifex Ordinariis addixiſſe videatur, quod *Jus conferendi* iis in menſibus *liberum* ipſis maneret, atque hinc, prout obſervat Espenius *Jur. Eccleſ. Univerſ. Part. II. Tit. XXIII. Cap. VII. §. XXV. ſub fin.*, in Belgio, ubi ſecundum dictam Regulam IX. menſium diviſio ſtabilita eſt, *Præventionum uſus exoleverit*; *neque ulla* in menſibus Ordinariorum proviſio Apoſtolica *Jure præventionis* unquam *expediatur*; quid non a fortiori obtineat in noſtra Germania, ceu in cujus Concordatis non menſium tantum diviſio, & alternativa introducta, ſed & eadem *prægnantiſſimis clauſulis*, verbis maxime energicis & generalibus corroborata fuit. Inſuper cum ex Edicto *Aurelianenſi* Art. XII., cujus meminit Fevretus *Tract. de Abuſu Lib. II. Cap. VII. n.* 3., in *Gallia* omnibus Regni Judicibus interdicatur, ullam in judicio poſſeſſorio Beneficiorum rationem habere proviſionum, quæ obtentæ eſſent *per præventionem*, idque ſub pœna privationis ſuorum officiorum; nec poſſint impetrantes hujuſmodi proviſionibus uti ſine licentia Regis; non obſtante, quod per Concordata Gallicana *Tit. de Mandatis Apoſtolicis* Jus præventionis Pontifici expreſſe reſervatum fuerit; quid non fiat in *Germania*, in cujus Concordatis *Jus præventionis* nedum Pontifici non aſſertum, ſed & aperte ſatis hoc paſſu contradictum fuit. Quam enim uſus præventionis Canonicam Ordinariæ Collationis libertatem hic aſſertam impediat haud opus eſſe credimus, ipſa ſatis rei evidentia convicti, prolixioribus ut ob oculos ponamus. Legantur tantum, quæ anno MDXLVII. Legatis Re-

gis Galliæ in mandatis data fuere, ut Patribus Tridentinis exponerent. In his præter alia *de uſu præventionis*, referente ſic Espenio *Jur. Eccleſ. Univ. Part. II. Tit. XXIII.* §. *XXVIII.* hæc contibantur: „ Quod Collatores Ordinarii per eas (præventiones) fru„ſtrentur ſuo jure. „ Sicut enimvero ſi *Ordinarius Patronum* ſua collatione præveniret, eundem ſuo præſentandi *Jure fruſtraret* revera, turbaretque in illo, ac impediret, ita quoque haud aliter fieri poſſe, clare dignoſcitur, quam ut, ſi Papa *Jure præventionis* utatur, ſuo conferendi jure fruſtretur, vel ſaltem in eodem turbet, & impediat Ordinarios, faciatque proinde, quominus libere per Ordinarios Collatores diſponatur. Omittimus hoc loco fuſius deducere argumenta reliqua, ex applicata illa; de Concordatis in favorem Ordinariorum interpretandis, regula deprompta, ceu quæ, cum in *Diſſert.* noſtra *Gener. Cap. II. Sect. II.* § *VIII.* allata jamjam fuerint, huc recolligi ſatis & revolvi a Lectore benevolo poterunt.

IX. * Non obſcure ex hactenus allatis colligitur, liberam Ordinariorum collationem, Jure præventionis in uſum deducto, tolli penitus, infringi, deſtrui, & evacuari, ut proinde non poſſit non tam extanti Summi Pontificis compaciſcentis promiſſioni: *aut per quamvis aliam diſpoſitionem ſub quacunque verborum forma &c.* graviſſime & e diametro adverſari. Verum examinanti penſiculatius, & in ſubſequenti verborum tenore promiſſionem hancce Summi Pontificis exuberantiſſimam conſideranti occurret facile, hic non ſolum removeri ea, quæ ſtabilitam Ordinariorum libertatem deſtruunt omnino, atque excludunt; ſed & ea quoque, quæ eandem infirmant, ac imminuunt, ſive quæ *impediunt*, quominus Canonica hæc conferendi libertas ſit integra, perfecta, & in pleno ſuo vigore conſtituta. *De cæteris*, promittit Pontifex, *Dignitatibus & Beneficiis quibuscunque ..... per quamvis aliam diſpoſitionem, ſub quacunque verborum forma .....*

non

non impediet, quo minus de illis .... libere diſponatur &c. Quotquot igitur modi extant, quibus Beneficia Eccleſiaſtica ex Doctrina Juris Canonici *tot. Tit. Ut Eccleſiaſt. Beneſ. ſine diminut. confer.*, diminuuntur, hoc Concordatorum textu eatenus ſaltem ſecluſi, & inhibiti eſſe, aperte dignoſcuntur, quatenus in mero Summi Pontificis arbitrio repoſitum non ſit, invitis Germaniæ Ordinariis Beneficia ſcindere, dismembrare, unire, penſionibus aliisque oneribus gravare, aut quovis alio modo diminuere. Hiſce enim omnibus contra datum in Concordatis promiſſum impediret Summus Pontifex, quominus libere de talibus Beneficiis per Ordinarios diſponeretur. Quippe ſi ex *Can.* XV. *C.* I. *Q.* III. *libere* is Beneficio ſibi collato haud fruitur, qui cum *diminutione aliqua* illo perfrui debet; ſi in libero ſuo præſentandi Jure per notoria Patronus is læditur, cujus Beneficia Ordinarius forte diminutione quadam aut novo impoſito onere aggravat; quidni & Ordinarii illi impediantur, quominus de Beneficiis ſibi ſuæque collationi competentibus *libere* diſponere poſſint, ſiquando forte unum vel alterum ex illis a Summo Pontifice quovis modo diminueretur. Hac enimvero diminutione quovis modo facta contingeret plane, ut Pontifex *partialiter* ſaltem de Beneficio diſponeret, & ſic vel per indirectum Beneficium ſcinderet, cujus tamen totalis, integra & libera collatio Ordinariis per Concordata relicta fuit. Unde Boehmer *Jur. Eccl. Prot. Lib. III. Tit. XII.* §. *fin.* ſpecifice ibidem de Penſionibus loquens non incongrue huc dicit: „In Germania talis (penſiones imponendi Beneficiis) poteſtas Pontifici haud indulgetur reſtricta per Concordata Nationis Germanicæ. Beneficiis non reſervatis nullum onus imponere poteſt *per quamcunque diſpoſitionem ſub quacunque verborum forma.* „Cum autem ante mortem Præbendati non conſtet, utrum in menſe Papali vacaturum ſit Beneficium, iſtud ſequitur, quod ante mortem de partiali ejusmodi Beneficii collatione diſponere interim non poſſit. Quid? quod ſi & in ſuo menſe actualiter va-

„cans Beneficium penſione gravat, haud aliter id poteſt, quam ut „hoc onus præciſe ſtringat Proviſum Apoſtolicum, non ſucceſſo„rem ejusdem Beneficii, ſi Beneficium hoc poſtea in menſe Or„dinarii Collatoris vacaverit; Neque enim plus juris in penſio„narium transferre potuit, quam ipſe circa Beneficium pro præ„ſenti ſtatu habuit.

X. * Hiſce autem omnibus, quæ ex tam late patenti Summi Pontificis promiſſione, non invita certe conſectariorum deductione, deprompta fuere, pro majore eorundem robore adjecta demum eſt in textu Concordatorum hæc Clauſula: *Reſervationibus aliis, aut promiſſis, ac diſpoſitionibus auctoritate ejusdem Domini noſtri Papæ factis vel faciendis non obſtantibus quibuscunque.* Quæ cum de ſe adeo claris concepta verbis ſit, ut nulla plane commentatione hic indigeat, illud potius, ad plenam hactenus dictorum confirmationem, reflexiſſe conſultum duximus, quod vix ſit paſſus in tenore Concordatorum integro, qui, quod pro objecto ſuo habet, majori verborum ac Clauſularum amplitudine, generalitate, energia ac frequentia aſſerat, confirmet, ac muniat, ac hic ipſe, de quo nobis ſermo hactenus fuerat, quique liberam omnino & integram Ordinariorum per alternos menſes Beneficiorum collationem ſtabilitum ivit. Quid enim dici potuiſſet clarius, ac illud, quod nulla diſpoſitione ſub quacunque verborum forma concepta Jus Ordinariorum in infra dicendis ſex menſibus turbare velit Pontifex; quid exprimi abundantius debuiſſet, ac quod idem Summus Pontifex nullo modo velit impedire, quominus libera & integra, Beneficia in ſex menſibus conferendi, poteſtas penes Ordinarios reſideat? Et his tamen omnibus inſuper habitis, pro indiſputabili hujus liberi & integri Juris aſſertione ac corroboratione tertia demum vice addita fuit allegata ſuperius clauſula: *Reſervationibus aliis &c. . . . non obſtantibus quibuscunque.* Unde pronum eſt conjicere, nihil ferme Summis Concordantibus curæ adeo cordique fuiſſe, ac per-

fectum,

fectum, quatenus ſaltem fieri potuit, Canonicæ illius, atque adeo favorabilis Ordinariorum libertatis ac Juris ſtabilimentum, vi cujus fit, ut in conferendis Beneficis libere diſponatur per illos,

XI. * *Ad quos Collatio, proviſio, præſentatio, electio aut alia quævis diſpoſitio pertinet.* His ſcilicet verbis *Ordinarii* collatores, circumſcripta quadam phraſi, indigitantur. Sicut autem in materia Judiciaria de Jure tam Civili, quam Canonico *Ordinarii* dicuntur, qui vi Magiſtratus, quem gerunt, nomine ſuo ac jure proprio, proindeque Ordinario jurisdictionem exercent, ita pariter in hac, in qua modo verſamur, materia Beneficiaria Ordinariorum nomine veniunt illi, quibus Jus conferendi Beneficia competit nomina proprio, quo dici queant Collatores jure ſuo ſive Ordinario, & non ex alicujus ſpeciali delegatione pro hac, illave vice. Jus hocce nomine ſuo & jure proprio conferendi Beneficia Eccleſiaſtica, ſi primitivam & antiquiorem Eccleſiæ diſciplinam, quamdiu nimirum Beneficia Eccleſiaſtica a Sacra Ordinatione ſejuncta non fuerant, ſpectemus, *privative & ſolitarie* ad Epiſcopum Diœceſanum pertinebat. Quemadmodum enim is ſolus Ordinarius Ordinum Sacrorum in ſua Diœceſi Miniſter erat, ita quoque ſolitarius Miniſteriorum Eccleſiaſticorum collator. Unde CARDINALIS DE LUCA *Tom. I. in Summa Beneficiorum* §. *II. n.* 6. inquit: *Juris communis diſpoſitione, primævoque Eccleſiæ uſu attentis, omnia Beneficia quandocunque & quomodocunque vacantia ad Epiſcopi ſeu Ordinarii loci collationem ſpectant.* Conſiderata vero Politia Eccleſiæ recentiore, & poſtquam Beneficiorum tituli ad normam & formam hodiernam erecti fuere, eorumque collatio ab Ordinatione ſejuncta, quæſtio ſtatim, obſervante DUARENO *de Sacris Miniſter. Lib. II. cap. III.* moveri cœpit: *Quis Beneficium conferre poſſit?* compluribus videlicet in participium hujus poteſtatis Epiſcopis hactenus privativæ & ſolitariæ venire contendentibus. Atque inde poſthac inaudiit, & uſque hodie invaleſcere, ac uſitari cœpit illa inter Ordinarios diſtinctio, quod alius ſit *primarius* & *eminens*, alii *inferiores.* Primarii & Eminentis nomine is ipſe Epiſcopus Diœceſanus venit,

cui antehac Jus conferendi miniſteria Eccleſiaſtica unice & ſolitarie competebat, & quaſi adnatum erat. *Primarius* dicitur, quod pro eo militet præſumptio Juris, adeoque qui Epiſcopum a Beneficiorum collatione excludere, ejusve collationem reſtringere prætendit, titulum probare debeat, & ſi nova Dignitas aut Beneficium erigatur, neque ex ipſa erectione, aut aliunde probetur, illius collationem aut præſentationem alicui eſſe ſpecialiter delatam, collatio ad eundem Epiſcopum ſpectet hoc ſolo titulo, quod *primarius* omnium Beneficiorum ſuæ Diœceſeos Collator ſit, & maneat, quouſque probetur, collationem ad alium pertinere. Ex eo vero, quod *eminens* vocetur dictum Jus Epiſcopo competens, illud fluit, ipſius adeo Juris communis Decretalium ordinatione ſtabilitum, quod in erectione novorum Beneficiorum, imo etiam juxta certarum Eccleſiarum ſtatuta & conſuetudinem, in omni eorundem collatione, etiamſi Jus actualis collationis ad alios inferiores fuerit devolutum, aut ſaltem per Jus Patronatus ceu quandam Juris Eccleſiaſtici ſervitutem reſtrictum, ſpecialis Epiſcopo authoritas fuerit conſervata, qua non interveniente Beneficii aut erectio aut collatio nullius roboris haberi debeat.

XII. *Inferiores* Ordinarii dicuntur ex hodierna diſciplina Capitula, Collegia, & etiam ſingulares Canonici, verbo: quicunque alii Epiſcopo inferiores, quibus ex quocunque titulo vel Juris communis, vel ſpecialis fundationis, vel certi privilegii, vel legitimæ præſcriptionis &c. dictum Jus nomine proprio & ſuo, circa Beneficia Eccleſiaſtica diſponendi, competit. Quinam ſpecifice illi ſint, quibus ex ſpeciali fundatione, legitima præſcriptione, certo privilegio, aliove ſpeciali titulo id competat, nonniſi inſpectis ſingularum Eccleſiarum tabulis ſtatutariis & conſuetudinibus determinari poteſt, id quod tamen hujus plane loci non eſt. Juris vero communis regula militat pro Capitulis, ſive Cathedralibus ſive Collegiatis, quorum cum Canonici ſinguli membra ſint, per ſe apparet, convenientius nihil eſſe, quam ut ad eorundem aſſumptionem totum Corpus concurrat. Et quoniam præ reliquis Capi-

tula Cathedralia arctiori quodam cum Epiſcopo vinculo conjuncta, atque cum eodem tanquam Capite ſpeciale quoddam Corpus conſtituere ipſo etiam Jure communi *Cap. IV. de his quæ fiunt a Prælato ſine conſenſu Capituli*, cenſentur, hinc procul dubio factum, ut in plerisque Eccleſiis Cathedralibus aſſumptio Canonicorum ad Epiſcopum ſimul & Capitulum etiamnum hodie pertineat, utroque tamen ad eandem aſſumptionem pro diverſitate Eccleſiarum diverſimode concurrente. In nonnullis enim Eccleſiis Epiſcopi ſolius ſuffragium æquivalet votis totius Capituli; ita ut Epiſcopus & Capitulum non ſimul Capitulariter eligant, ſed Epiſcopus ſeparatim ſuum, ſua pariter ſeparatim vota Capitulum depromat. In aliis fit electio ſimultanea per Epiſcopum, & Capitulum Cathedrale, ſoletque hoc caſu Epiſcopus tanquam Caput Capituli proponere, & concludere, eoque titulo ſuffragium deciſivum in votorum paritate habere. In aliis nonniſi votum habet, ſicut reliqui Capitulares, cenſeturque hoc caſu, quemadmodum *Cap. XV. de Conceſſ. Præbend.* loquitur, *ut Canonicus* aſſumptioni novi membri intervenire. Quæ omnia aliter dicenda ſunt quoad Eccleſias Collegiatas, quæ cum in tam arcta cum Epiſcopo unius ejusdemque Corporis unione non cenſeantur eſſe conſtitutæ, rarius fit in illis, ut in qualibet novi Canonici aſſumptione cum Capitulo Epiſcopus concurrat; ſed conformiter etiam ad Jus commune ea ad ſolum Capitulum una cum ſuo Decano, vel alio, qui cum Canonicis unum Corpus ſive Capitulum conſtituit, pertinere videtur; de quo vid. latius Garcias *de Benef. part. V. cap. IV.* Quamvis plures etiam extent Eccleſiæ Cathedrales, in quibus Epiſcopus, ſicut circa plurima alia negotia præciſe Capitularia, ita etiam circa aſſumptionem novorum Canonicorum nullam plane partem habet, adeo, ut quemadmodum *Cap. XXXI. de Elect.* loquitur, *ſolum Capitulum irrequiſito Epiſcopo eligendi Canonicos habeat facultatem.* Id quod veroſimilius exinde contigiſſe, non vane creditur, quod, cum, diſſoluto inſtituto Chrodegangi, inter menſam Epiſcopi & Capituli fructus divi-

deren-

derentur, plura alia emolumenta ad menſam Epiſcopalem accederent in hiſce Eccleſiis, reſervata ſolis Capitulis Beneficiorum collatione, ceu quæ ex diſciplina iſtius temporis inter fructus quoque jam computabatur. Sed de his omnibus quidquid ſit, illud tamen ex hactenus dictis apertum fit, de Jure communi hodierno aſſumptionem Neo-Canonici eſſe actum Collegialem, a Capitulo tanquam Ordinario Collatore inferiore celebrandum. Quoniam vero plures perſæpe tumultus & turbæ in actu hoc Collegiali exercendo concitabantur, in multis Eccleſiis tum Cathedralibus tum Collegiatis, obſervante Cardinale de Luca *loc. ſup. cit.*, uſus inolevit, ut Juris hujus in habitu & radice ſemper collegialis exercitium per introductum Turnum in ſingulos divideretur. Qua tamen in re penes plura Capitula illud inſigniter controvertitur, utrum per ſubſtitutos Turnarios vera fiat Beneficii collatio, & Canonica inſtitutio, an vero ſolum per eoſdem deſignetur perſona, cui deinde & non alteri Capitulum per ſolemnem receptionem Beneficium actualiter confert, eamque ſolenni inveſtitura Canonice inſtituit? Qua tamen in quæſtione cum textus Concordatorum pro neutra parte decidat quidpiam, quin potius hoc loco ſollicite præcaveat, omnes illos, in ordine ad hanc alternativam menſium, tanquam Ordinarios ſpectandos eſſe, ad quos vel electio, vel collatio, vel proviſio, vel ſola etiam præſentatio, aut quævis alia diſpoſitio pertinet; hujus loci nihil eſt, quod uberius hic diſcutiamus, illud unice adhuc animadvertentes, quod hoc Concordatorum loco vi dictæ hactenus phraſeos excludatur Summus Pontifex, omneſque illi, qui ipſius vice Beneficia conferunt. Et quanquam Legati a latere juriſdictione & poteſtate ordinaria gaudere in Decretalibus hic & nunc perhibeantur, verbis tamen Concordatorum ſupra relatis ſub Ordinariorum nomine nequaquam comprehendi, uberius jam in *Diſſert.* noſtra *Gener. Cap. II. Sect. II. §. fin.* diſcuſſum fuit.

XIII. *

XIII. * Per hos igitur, quos modo deſcripſimus, Ordinarios Collatores ut libere diſponatur de Dignitatibus & Beneficiis, vult textus Concordatorum, *cum de menſibus Februarii, Aprilis, Junii, Auguſti, Octobris & Decembris vacabunt.* Quibus in verbis *alterna* menſium inter Ordinarios & Pontificem *partitio* inſtituitur, atque in *ſex* modo dictis *menſibus* libera Ordinariorum collatio ſtabilitur, qui proinde *menſes Ordinariorum*, vel etiam *menſes pares* communi nomine audiunt. Computandi ſunt autem, quemadmodum monet poſt alios GONZALEZ ad *Reg. Cancell. VIII. Gloſſ.* 11. *n.* 1., dicti menſes, „prout ipſi collocantur, & ja„cent per totum circulum anni, ſive quilibet menſis habeat XXX. „dies, ſive plus, ſive minus. Quo fit (pergit n. 6.) ut menſis „Apoſtolicus terminetur in dimidia nocte ultimi diei, & ex illa „dimidia nocte impoſterum incipiat menſis Ordinarius, & duret „uſque ad dimidiam noctem ultimi diei illius menſis. *L. more Ro„mano. ff. de feriis.* Hinc ulterius addit citatus Author *n.* 11: „pro„inde quando Epiſcopus confert aliquod Beneficium vacans ad fi„nem ſui menſis, vel in principio illius, in illa ultima nocte, quæ „dat finem menſi Ordinario, & principium menſi Apoſtolico, vel „e converſo; conſulte faciet, ſi ante collationem faciat examinari „teſtes de hora & puncto obitus ultimi poſſeſſoris, & in ipſo col„lationis inſtrumento annotaverit, ut ſic evitetur controverſia, „quantum poſſibile ſit, ſuper tempore vacationis, an contigerit in „menſe Ordinario, vel potius in Apoſtolico.„ Porro ſi vacet Beneficium per mortem Beneficiati in menſe Ordinarii, manet ad proviſionem Ordinarii, etiamſi vacatio duraverit uſque ad menſem Apoſtolicum, ſicut econtra Beneficium, cujus vacatio contigit in menſe Apoſtolico, manet reſervatum, licet vacatio protrahatur ad menſem Ordinarium; id quod ſcite rurſus monet, & fuſius probat laudatus jam GONZALEZ loco cit. *num.* 84.

XIV. Videmus ſat clare ex hactenus deductis, quam multam hic Concordatorum locus cum Regula Cancellariæ, prout hodie

 extat.

extat, nona, ceu cujus temperamentum quoddam eſt, connexionem & affinitatem habeat, quamque inſigniter Authores harum commentatores iſtorum interpretationi inſerviant. Interea tamen, quin moneamus, haud prætermittendum, latam eſſe, valdeque notabilem, & in effectu favorabilem diſcrepantiam, quæ dictam Regulam Cancellariæ inter, & hunc Concordatorum paſſum intercedit. Quamvis enim in altera hujus Regulæ parte menſium quoque alternativa quadantenus indulgeatur, ea tamen nonniſi ad *Patriarchas, Archi - & Epiſcopos reſtringitur*, ut proinde ad *Capitula ſive Cathedralia ſive Collegiata*, ad *Abbates etiam nullius Diœceſeos* & jurisdictione quaſi Epiſcopali gaudentes, verbo ad *reliquos omnes Epiſcopis inferiores*, quibus tamen alias nomen & jura *Ordinariorum* Collatorum competunt, non ſit extendenda; quemadmodum pluribus notat Espenius *Jur. Eccleſ. Univ. Part. II. Tit. XXIII. Cap. VI. num.* 4. & *ſeqq.* Aliam longe, & *omnibus*, ac *ſingulis Ordinariis* favorabiliorem hac in parte eſſe Concordatorum noſtrorum diſpoſitionem, ex jam dictis ſatis liquet, ceu in quibus nulla ad Archi - & Epiſcopos reſtrictio deprehenditur, ſed alterna per menſes Beneficiorum collatio conceditur quibuscunque, ſive Epiſcopi ſint, ſive non ſint, *ad quos collatio, proviſio, præſentatio, electio, aut alia quævis diſpoſitio pertinet.* Præterea in ſupradicta Regula Cancellariæ nec ipſis quoque Epiſcopis *illimitate & univerſaliter* alternativa iſta indulgetur, ſed *quamdiu apud Eccleſias, aut Diœceſes ſuas vere ac perſonaliter reſederint duntaxat.* Quæ clauſula omnem *fictam* reſidentiam ita excludit, ut, cum in anno MDCIII. obſervante ſæpius adducto Gonzalez *loc. cit. Gloſſ.* 43. *num.* 41. contigiſſet, quod Epiſcopus *Segovienſis* habens alternativam, & continuo in ſua Diœceſi reſidens, ob adventum Regis Catholici ad locum quatuor duntaxat milliaribus a ſua Diœceſi diſtantem, ad duos duntaxat dies abfuerit, quo Regem in eo loco ſalutaret, eique gratias ageret de nominatione, quam de ſua perſona fecerat ad Archiepiſcopatum *Compoſtellanum*, cum-

cumque ſpatio iſtorum duorum dierum vacaſſet Canonicatus in menſe Ordinarii, dubitaretur, & in quæſtionem verteretur, an dictus, Epiſcopus *Segovienſis* ex tam juſta cauſa, & ad tam modicum tempus abſens cenſendus eſſet reſidens ad mentem Regulæ, ut alternativa etiam eo tempore gauderet. Hæc dura adeo, & rigoroſa conditio cum in noſtris Concordatis neutiquam adjecta, quid? quod alternativa per menſes collatio *quibuscunque Ordinariis absque ulla conditione*. in iisdem conceſſa legatur, notabilis ille eorundem, præ dicta Regula, favor ultro ſeſe ſponteque ſua prodit.

XIV. * Atque hiſce, poſtquam Concordata de ſex menſibus liberæ Ordinariorum collationi relictis uberius diſpoſuere, Beneficia in ſex reliquis menſibus vacantia Summæ Sedis diſpoſitioni reſervant per expreſſa verba: *Quoties vero aliquo vacante Beneficio de menſibus Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris & Novembris ſpecialiter diſpoſitioni Apoſtolicæ Sedis reſervatis &c. &c.* Quæ circa antequam uberiorem ſecundum inſtitutum noſtrum commentationem hic adornemus, duo prævie & generaliter monenda eſſe videntur. *Primum* eſt, hæc verba, cum ſint *reſervationum inductoria*, jurisque proinde Ordinariorum liberi *reſtrictiva*, *odioſa* eſſe, atque inde reſtrictius interpretanda; cum econtra, quæ anteceſſerant, *favorabilia* eſſe, adeoque *largioris* interpretationis, ex eo ipſo conſtet, quod reſervationum vincula moderentur, relaxentque, ac alia quoque Juris Ordinariorum liberi impedimenta efficaciter ſatis, & energice removeant. Quod ipſum eſt, quod duo inſignes in Regulas Cancellariæ Commentatores Joannes a Chokier in *proœmio regulæ Cancellariæ ſibi octavæ*, *nobis nonæ num.* 20. & Gonzalez *ad eandem regulam* §. 6. *proœmiali* hiſce fere verbis monuerunt: „Hæc Regula in quantum *continet reſervationem*, & manibus Ordinariorum „ligamen imponit, eſt Epiſcopis & Ordinariis *præjudicialis*, detra„hit poteſtati Ordinariæ, corrigit Jus commune, & eatenus *odioſa* „eſt, & conſequenter *reſtringenda*. Quatenus vero dictam reſer-

„vationem, & vinculum moderatur, & partim relaxat, ac impedi„mentum removet, eſt Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis ac „aliis Eccleſiis *favorabilis*, ac proinde etiam *amplianda*, cum inni„tatur Jure communi.„ *Alterum*, quod hoc loco præmoneamus, eſt, eam, quæ in ſupra relatis verbis inducitur, reſervationem ita comparatam eſſe, ut pari cum reliquis reſervationibus per Concordata paulo ſuperius inductis, & a nobis *Cap. II. hujus Diſſert.* ſpecifice recenſitis, ac explicatis fato, *durante* tantum *vita Pontificis perdurent*, *eo exſpirante exſpirent* pariter, ſicut ipſæ etiam Regulæ Cancellariæ, quarum cum Concordata hiſce in locis lenimentum quoddam & moderamen exiſtant, duriorem certe, ac ipſæ illæ Regulæ Cancellariæ, Ordinariis, imponere conditionem nequeunt.

XVI. * Præmonitis hiſce, ipſe nunc textus Concordatorum accuratius expendendus venit, in quo tum ordine, tum rei, quam exhibent, momentoſitate occurrunt prima, exactiori meditatione digna, verba: *Vacante Beneficio.* Anſam ea præbent quæſtioni, quænam ſint illa Beneficia, quæ ſub verbis hiſce, & reſervatione per eadem inducta comprehendantur. Sunt, qui *latius* verba propoſita interpretanda, pluraque ſub iis non tantum *Beneficia*, *ſed & Dignitates*, imo ſubinde & *Dignitates & Beneficia ſimul* contenta eſſe dicunt. Sunt econtra, qui verba illa *ſtrictioris interpretationis*, & reſtringenda eſſe ex Regula prima *ſuperiori Numero* indigitata autument. Quæ noſtra hac in re mens ſit, illuſtriores quasdam Beneficiorum ſpecies in evenientibus ſæpe caſibus acriori diſceptationi ſubnoxias referendo, easque tum ad Concordatorum literam, tum ad alias in præfatione recenſitas interpretationis germanæ regulas examinando indicabimus.

XVII. Evenire ſolet, ut morte Canonicorum, in quadam ſimul ejusdem Eccleſiæ Dignitate, Decanatus v. g. conſtitutorum, duo in eadem Eccleſia Beneficia, ſive Dignitas ſimul & Beneficium vacet. Hic obitus ſi in menſe Papali contingat, Romana Curia conſuevit perſæpe hactenus, ut reſervationem vigore præ-

ſentis

ſentis Concordatorum tenoris inductam, ultra Beneficium ſive Canonicatum & Præbendam, ad ipſam quoque Decanatus v. g. Dignitatem extenderet, & in vim hujus extenſionis literarum Apoſtolicarum impetratores utriusque & Beneficii & Dignitatis proviſionem a Capitulis animoſe ſatis, & nonnunquam importune, poſtularent. Verum contra hæc Romanæ Curiæ, aut potius Proviſorum Apoſtolicorum molimina acerrime ſemper reſtitere, reniſaque fuere dicta Capitula, quæ pro tuenda Electionum ſuarum, quoad vacantes Dignitates, libertate etiam ad ſupremum Officium Protectionis, & Advocatiæ Sacræ Cæſareæ Majeſtatis non infrequentem deſuper recurſum hactenus cum effectu inſtituerunt, ita, ut ad pacificam collationis Prælaturarum & Dignitatum proprie electivarum poſſeſſionem modo dicta Curia pervenire hactenus non potuerit.

XVIII. Quo tamen ſecurius aliquando, & promptius, contra ipſum hunc ad Sacram Cæſaream Majeſtatem inſtitutum recurſum, Curia finem ſuum ſcopumque conſequeretur, ipſis quoque Indultis Pontificiis, primarias Imperatoris preces concernentibus, amplas ejusmodi, & extenſivas clauſulas inſerere non dubitavit hiſce fere verbis: „ Ad conſequendum Beneficium Eccleſiaſticum „cum cura, & ſine cura tam ſæculare, quam regulare, *etiamſi* „*Canonicatus, & Præbenda, Dignitas, Perſonatus, adminiſtratio, vel* „*officium fuerit* in Collegiata, Cathedrali, vel Metropolitana Ec„cleſia, & ad illud conſueverint qui per electionem aſſumi, quod „in præſentia, ſive proxime quomodolibet vacare contigerit, ad „collationem, præſentationem, ſeu quamlibet aliam diſpoſitio„nem ſpectans (*Canonicatu nihilominus & Præbenda, Dignitate,* „*Perſonatu, adminiſtratione vel officio etiamſi ex perſona plurium* „*ſucceſſive vacaverint, pro uno computatis beneficio &c.*) Quæ ampliſſimæ modo adducti Indulti clauſulæ in nonnullis equidem Eccleſiis ſuum jamjam effectum conſecutæ fuerunt, adeo, ut in vim earundem, & vigore Concluſi Concilii Imperialis Aulici Preciſta Cæſareus *Vechtæ* in *Præbendam* ſimul ac in *Scholaſteriam* anno

anno MDCCXXXI. immitteretur; ſimiliter quoque Moguntiæ *in Eccleſia Sancti Victoris* D. DE HETTERSDORFF tam *Decanatum, quam Præbendam* vigore Precum Cæſarearum obtineret; in Eccleſiis tamen aliis ſatis multa proſtant præjudicia contraria, quibus vel ſolis abunde colligi poteſt, duo hæcce particularium Eccleſiarum exempla id roboris necdum nacta eſſe, ut in eorundem vim quædam generalis in omnibus Germaniæ Eccleſiis obſervantia inducta queat prætendi, & allegari. Ne tamen in producendis hiſce præjudiciis, quæ in Eccleſiis Cathedralibus *Auguſtana & Baſileenſi* copioſa ſatis extant, prolixi nimium ſimus, unum cæteris pluribus recentius, et, ut nobis quidem videtur, efficacius, quod hic *Herbipoli* A. MDCCXVI. contigerat, allegaſſe ſufficiat. Emanaverat nimirum XVI. Sept. modo dicti anni, tempore CAROLI VI. Glor. mem. Imper. ex eadem Cancellaria, & ſub eadem forma, ex & ſub qua diplomata Primariarum Precum prodire ſolent, Reſcriptum Cæſareum ad Decanum & Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ in Novo Monaſterio, in quo quidem diſertis verbis legebatur: *Comprehendimus quoque ſub his Scholaſteriam, & Parochiam habitualem Rotenburgi*; ſed NB. immediate his verbis ſubjuncta erant ſequentia: *Si vel utraque vel ſaltem alterutra Canonicatui ſæpe memorato individuſe ſit annexa*; ***Jus vero eligendi (ſiquod vobis competat legitime) turbare & intervertere nullatenus intendimus.*** Quam energicam ob clauſulam effectum quoque fuit, ut ANTONIUS ROMAN Joſephinus tum Preciſta, qui non tantum duo, ſed etiam contra ipſum ſenſum literalem Diplomatis tria Beneficia morte Canonici HOLZAPFEL vacantia, ſcilicet Canonicatum, Parochiam, & Scholaſteriam pro uno computare, & ſimul affectare voluerat, unico duntaxat, ſcilicet Canonicali Præbenda in ultimo Canonicorum, & quidem Domicellarium loco contentus eſſe deberet. Unde prone ſatis colligitur, nec primis Precibus, utut ampliſſimo illo Indulto Pontificio munitis, Dignitates & Prælaturas electivas univerſali quadam Eccleſiarum Germanicarum obſervantia ſubnoxias redditas, nec proinde illud Ro-

manæ Curiæ obtentum fuiſſe, ut ita easdem quoque Dignitates & Prælaturas reſervationi menſium hoc Concordatorum loco inductæ ſubjiceret.

XIX. * Et recte quidem. Quodſi enim ipſam Concordatorum *literam* tum ſecundum ſe, & propriam ſuam ſignificationem, tum etiam ſecundum alia germanæ interpretationis adminicula & Regulas penſiculatius nonnihil expendamus, tantum abeſt, ut argumenti quidquam ac roboris pro earundem reſervatione Dignitatum hic loci facta deprehendamus, ut potius in alia omnia eundum eſſe, ex iiſdem principiis derivare penitus queamus. *Vacante Beneficio* inquit clara litera: quibus verbis ne per jota ſit mentio de Dignitatibus ſive Prælaturis, quæ tamen, ſi ſub reſervationes menſium ſimiliter ex mente compaciſcentium cecidiſſent, veluti ſpeciali nota & expreſſione dignæ exprimi debuiſſent, & haud dubie expreſſæ fuiſſent. Sane ubi paulo ſuperius de reſtituta quoad ſex menſes pares Ordinariis collatione aliaque diſpoſitione alternativa Concordatis ſermo erat, non Beneficia ſolum, ſed & ipſæ quoque Dignitates commemorantur in verbis: *de cæteris vero Dignitatibus & Beneficiis &c.* quod tamen haud ita neceſſarium fuerat, cum, benigniore quadam, & magis larga interpretatione locum ibidem omnimodum ex generaliter ſupra Num. XI. obſervatis obtinente, easdem ſub verbo: *Beneficiis* comprehenſas fuiſſe, dici facile potuiſſet. Quanto magis easdem Dignitates ſpecialiter hic annotare, ſi eas ſub reſervationes cadere mens paciſcentium voluiſſet, neceſſarium fuiſſet, cum hic non largior, ſed reſtrictior, ex iiſdem ſupra obſervatis, interpretatio ſit facienda. Clara, ni fallimur, hæc eſt interpretatio ex ipſa Concordatorum litera deprompta, quam necquidquam obſcurare illud poteſt, quod in toto hoc Concordatorum §. ſolæ Dignitates majores poſt Pontificalem in Cathedralibus, & principales in Collegiatis ab inducta hic menſium reſervatione, juxta inferius a nobismetipſis dicenda, ſpeci-

fice

Digitized by Google

ſice exceptuentur; juſta exinde conſequentia proflua, quod reliquæ Dignitates non majores, non principales, ſive deinde electivæ ſint, ſive non ſint, ſub eadem reſervatione comprehendantur hoc ipſo, quod ſpecialiter exceptuatæ non ſint. Enimvero ſpecialia omnino ſunt, quæ ſpecialis hujus ſupradictarum Dignitatum majorum & principalium exceptionis occaſionem dedere, quæ cum pro reliquis Dignitatibus non obtineant, intentati argumenti robur omne per ſe concidit. Deſumpta quippe fuit hæc ſpecialis exceptio, ſicut fere integer hic de Alternativa menſium Articulus, ex ſuo velut Prototypo Concordatis Conſtantienſibus, in quibus cum reliquæ Dignitates non majores, non principales per verba ſpecifica: *ita quod cum de una Dignitate, perſonatu, officio, vel Beneficio . . . fuerit auctoritate Apoſtolica proviſum &c.* menſium reſervationi ſubderentur, neceſſarium equidem fuerat, dictas Dignitates majores & Principales ſpeciali adverſus hanc reſervationem exceptione communire; quamvis vero par in Concordatis Aſchaffenburgenſibus neceſſitas, allatam exceptionem repetendi, non adfuerit, quod ex ſupra dictis, & adhucdum dicendis, reliquæ Dignitates, præſertim electivæ, ſub confirmata menſium reſervatione non comprehenderentur, placuit tamen eandem ſuperabundantioris, quam in multis aliis Concordatorum clauſulis huic præſertim Concordatorum §. adjectis adhibitam fuiſſe, ex ſupra jam dictis conſtat, cautelæ ergo hic repetere, & noviter ex eo potiſſimum capite huc inſerere, quod ſpecialis jam tum exiſteret, & etiamnum hodie extet Regula Cancellariæ olim tertia, hodie quarta earundem Dignitatum majorum reſpective, & principalium reſervatoria, qualem cum tamen quoad reliquas dignitates extitiſſe, aut etiamnum hodie exiſtere, nullibi deprehendimus. Neque enim eas ſub illa, quæ hic potiſſimum temperata fuit, Regula IX. comprehenſas fuiſſe, ex illis, quæ ſubſequenti Num. adducentur, manifeſtius evadet. Verum & ſi forte quædam hanc ſpecialem exceptionem repetendi neceſſitas ſubfuiſſe gratis videri velit, aliunde tamen

men

men illa haud apparet, quam quod dicta exceptio priori hujus §. parti, ubi de menſibus Ordinariorum agebatur, ſpecialisque & Dignitatum & Beneficiorum mentio fiebat, insereretur, non vero poſteriori, ubi de menſibus Pontificiis diſponebatur, ſolaque Beneficia, nullæ vero Dignitates in verbis: *Vacante Beneficio* exprimebantur.

XX. Adeo nimirum clara ſunt, quæ in ipſa Concordatorum litera pro non exiſtente in iisdem Dignitatum, præſertim Electivarum, reſervatione perhibentur. Quæ omnia illuſtriora fiunt, pleniorique luce donantur, ſi, quæ ex Actis publicis Concordata præcedentibus pro re eadem proſtant, fundamenta dictis hactenus ſubjunxerimus. Equidem haud formidamus, quominus aſſeramus, ex mente & placito Concordatorum Conſtantienſium, quæ & cæteroquin Aſchaffenburgenſium baſis, typus, & fundamentum ſunt, Dignitates quoque una cum Beneficiis etiam electivas, ſolis majoribus reſpective, & principalibus exceptis, ſub eam, de qua hic loquimur, menſium reſervationem cecidiſſe; tantum tamen abeſt, ut exinde adverſum quid hactenus dictis depromi valeat, ut potius ſolidiori quodam argumento illud a contrario legitime deducatur, quod, cum in dictis Concordatis Conſtantienſibus ob clariſſimam, diſtinctam & ſpecificam Dignitatum, etiam ubi de Reſervatione agitur, in verbis ſuprarelatis mentionem merito pro earundem reſervatione ſtandum ſit; in modernis econtra Concordatis hæc ipſa reſervatio hoc ipſo amoveri debeat, quod, nulla plane in iisdem, ubi de Reſervatione & menſibus Pontificiis agitur, earundem Dignitatum mentione vel per ſyllabam facta, ſola commemorari Beneficia, liquido dignoſcatur. Et ſane poſtquam ſæpius dictorum Concordatorum Conſtantienſium quinquennium, quod intra vim obligandi habebant, elapſum erat, mox in alia omnia itum fuiſſe, notum ſatis perſpectumque eſt. Quippe in *Seſſ. XII.* Concilii Baſileenſis habita die XIV. Julii anno MCCCCXXXIII. ſtatutum fuit, „generalem reſervationem „omnium Eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, Mona-

„ſteriorum, ac *Dignitatum electivarum* per Romanum Pontificem „de cætero fieri, aut facta uti non debere, reſervationibus in „Corpore Juris clauſis, & his, quas in terris Romanæ Eccleſiæ „ratione directi ſeu utilis dominii mediate vel immediate ſubje„ctis fieri contigerit, ſemper exceptis; ſed quod per Electiones „& Confirmationes Canonicas ſecundum Juris communis diſpo„ſitionem prædictis Metropolitanis, Cathedralibus, Monaſteriis „& Collegiatis Eccleſiis ac *Dignitatibus electivis* debite providea„tur.„ Quod Decretum non tantum ab ipſo EUGENIO IV. Summo Pontifice per Bullam ab eo in *Seſſ. XVI.* publicatam, qua ratificat omnia ab ipſo Concilio hactenus edita, patenter approbatum legitur, ſed & Germana, inter reliquas, Natio eidem poſtmodum conſtanter adeo inhæſit, ut in ultimis ſuis, ante confecta Concordata moderna, oblatis Aviſamentis, Moguntinis ſcilicet, de anno MCCCCXL. §. V. hæc ex eodem Decreto Baſileenſi excerpta proponeret: *Beneficiis autem, & Dignitatibus electivis in Corpore Juris non reſervatis, juxta diſpoſitionem Juris communis debite provideatur &c.* Qui igitur ſtantibus hiſce gravaminibus fieri potuit, ut, cum poſtea concipiendis Concordatis inſudaretur, clarior dictarum Dignitatum expreſſio non fieret, ſi easdem ſub Reſervatione & menſibus Pontificiis comprehendi Summi Paciſcentes voluiſſent. Imo quod plus eſt, qui fieri potuit, ut, cum totus hic §. ad ductum & verba Concordatorum Conſtantienſium conciperetur, integer ille ſenſus in Concordatis Conſtantienſibus perhibitus omitteretur, ex quo clara Dignitatum ſub menſibus Apoſtolicis comprehenſio deſumi ſolum poterat. Porro ſi verum eſt, quod eſt longe veriſſimum, quod Germana Natio in ſuis Concordatis ſe ſuasque Eccleſias & Ordinarios plus gravare reſervationibus non voluerit, ac iidem per regulas Cancellariæ antecedaneas gravati fuere; qua veri ſimilitudine affirmari poterit, ſæpefatas Dignitates in Concordatis reſervationi menſium ſubjectas fuiſſe, quas tamen ſub Regula IX, Cancellariæ hic modificata nunquam comprehenſas fuiſſe, abun-

de

de conſtat. Enimvero ex Sanctione Pragmatica Galliæ *Tit. de Collationibus* §. *Fruſtra enim* & §. *Quodſi quis* clare apparet, in eodem regno Galliæ, ſtante & per eandem Sanctionem Pragmaticam confirmato ſupra relato Decreto *Seſſ. XII.* Concilii Baſileenſis, obtinuiſſe expectativas & mandata de providendo in octo menſibus, adeoque Regulam Cancellariæ hodie IX., quæ de octo menſibus & de Alternativa inſcribitur, in plena obſervantia viguiſſe, quin tamen, quod per modo dictum Decretum Baſileenſe viridi pariter in obſervantia vigens fieri non poterat, ſub eadem Electivæ præſertim Dignitates comprehendi cenſerentur. Et, ſi fides eſt ESPENIO *in append. Monument. ſuppl. Jur. Eccl. Univ. ſubjuncto pag.* 180. *verſ. Non mirum.* hoc idem Decretum Baſileenſe unice in cauſa fuit, „quod in Regula Cancellariæ VIII. „(hodie IX.) de menſibus poſt tempora Concilii Baſileenſis ad „modernam formam concepta & edita nulla fiat nominatim Di„gnitatum Electivarum mentio, quæ tamen, ut comprehenderen„tur, ſpeciatim exprimendæ fuiſſent. Inde etiam eſt, quod teſte eodem ESPENIO *loc. cit.* tum in *Brabantia*, tum in *Flandria*, tum in univerſo *Belgio*, ubi ejusdem regulæ recens vigor viridisque hodiedum obſervantia eſt, hæ Dignitates electivæ in omnibus Eccleſiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis a dicta menſium reſervatione ſint exemptæ, earumque electio libera penes dictarum Eccleſiarum Capitula remanſerit. Quid? quod tametſi in Gallia vigore Concordati poſtmodum inter LEONEM X. & FRANCISCUM I. initi Romano Pontifici fuerit conſervatum Jus præventionis quoad omnia Beneficia, & ipſas etiam Dignitates, nihilominus tamen teſte PETRO TONDULO *Lib. I. Quæſt. Benefic. Cap. XL. n.* 8. quoad Dignitates proprie electivas præventio non admittitur. Ecquis autem ex hiſce omnibus, & a fortiori quidem, ad Dignitates proprie Electivas in Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis Germaniæ pro libertate Electionis non ducat argumentum? cum præſertim generalior ibidem inveterata praxis eidem libertati ſuffragari, & Natio Germanica ſuæ libertatis præ reli-

quis ſemper tenaciſſima, & retinentiſſima fuiſſe, & eſſe dignoſcatur, cujus Libertatis firmum fulcrum, & inſignis portio eſt libera & canonica ad Prælaturas Eccleſiaſticas Electio, quam illa toties impugnatam viriliter, & conſtanter propugnavit, ac una propemodum orbis Chriſtiani Provincia invicte hactenus retinuit.

XXI. Quibus demum omnibus accedunt *urgentiſſimæ rationes*, quæ Dignitates vere & proprie electivas libere tales manere debere, omnino ſuadent. Nam inprimis ſimiles Dignitates Electivæ annexum habere ſolent Officium & Adminiſtrationem in temporalibus & ſpiritualibus, ſingularem induſtriam, eruditionem, experientiam, fidelitatem, aliasque qualitates requirentia, quæ omnia Capitulis & Collegiis magis & facilius, quam Summo Pontifici innoteſcere, & perſpecta eſſe poſſunt ac ſolent. Et, ut de cœteris Dignitatibus, de quibus conferri poterit ſæpe fatus ESPENIUS *Jur. Eccleſ. univ. Part. I. Tit. XI. de Dignitatibus Capitulorum* per integrum, hic nihil dicamus, quis ambigat, quin in Decanatu, ceu in quo frequentior caſus occurrit, magna prudentia, experientia, agendi dexteritas, morum probitas & fidelitas requiratur, utpote cui tota fere directio & inſpectio in Canonicorum, & aliorum Eccleſiæ Miniſtrorum vitam ac mores, Jus convocandi & dirigendi Capitula, Cura animarum, & adminiſtratio præcipua in ſpiritualibus, & ſubin in temporalibus concredita eſt, ita, ut eapropter Electio Decanorum eodem fere modo peragatur, quo Epiſcoporum, & ipſi Canonici in plerisque Eccleſiis ſimili quoque gravi juramento adſtringantur, ad eum in Decanum eligendum, quem idoneum, & Eccleſiæ utiliorem futurum judicaverint. Nullum porro remanet dubium, quod, ſicut ejuſmodi Collegia Eccleſiaſtica multo rectius & ſecurius idoneos & digniores Prælatos conſtituere valent, cum ea meliorem de Eccleſiæ ſtatu, utilitatibus, & neceſſitatibus, & reliquis particularibus omnino attendendis circumſtantiis informationem habeant, ita etiam Prælatus vel Decanus hoc modo præ-

via ſuper moribus, vita, religione, natalibus, ſcientia, & prudentia, inquiſitione electus, & Canonice renuntiatus majoris ſit exiſtimationis, & Authoritatis, vehementiusque obſervari, reverentius coli, atque ardentius a Collegio & Clero Eccleſiæ diligi ſoleat, quam ſi ipſo Collegio invito aliquis ſæpe ignotus & extraneus, juvenis, jejunus, inexpertus conſtituatur. Denique doctrinam & diſciplinam Prælati Electi multo fructuoſiorem, Regimen utilius, atque poteſtatem ad ædificandum longe eſſe efficaciorem, pariter in aprico eſt. Neque prætermittendum, quod, cum Decanatus, aliæque etiam Dignitates *ex ipſa* ſæpe ſæpius ſua *fundatione* & *primæva conditione*, quam inſuper rationabilia Eccleſiarum Germanicarum Statuta, & non interrupta laudabilis obſervantia inſimul confirmarunt, ſint, & fuerint Dignitates *Electivæ*, hæc a fundatoribus requiſita, vel ſuppoſita qualitas ac conditio in præjudicium Eccleſiarum interverti, aut immutari eo minus poteſt, cum fundationum Leges, præſertim literæ, ſpiritui, & Diſciplinæ Canonum tantopere conformes ſanctæ & inviolatæ remanere, & ſervari debeant. Atque hæc omnia hactenus dicta ſi non aperte, & plene evincant, Dignitates ejusmodi electivas a reſervationibus menſium vi textus literæ Concordatorum exemptas eſſe, id tamen indubie conficient, earum ſub reſervatione comprehenſionem litera, Actis & Documentis publicis, conſtantique hactenus obſervantia etiam adminiculata plene & concludenter probari haud poſſe, qua probatione plene & concludenti non confecta, & abſoluta, reſervationem incaſſum prætendi, ex alias dictis ſatis notorium eſt.

XXII. Utrum vero, quæ hactenus de Dignitatibus certo & individuo Canonicatui non adnexis, ſed de uno ad alium, prævia Electione, migrantibus diſſertata fuere, locum pariformiter obtineant in *Dignitatibus*, *officiis*, & *gradibus Academicis*, quæ, *certæ* cuidam, & *individuæ* Præbendæ *vi fundationis vel conſuetudinis*, aut *Statuti* alicujus Eccleſiæ *indivulſe* ſunt annexa? *in theſi*, & *abſtractim* decidi nequit, ſed varia in variis ita affectis & quali-

lificatis Præbendis penſiculatius conſideranda veniunt. *Interdum* enim certis Præbendis *ſolus* gradus Academicus ita eſt annexus, ut præter qualitatem Doctoris, aut Licentiati, aut Baccalaurei nullum *ſpeciale* officium ſimili Præbendæ ſit annexum, & de eadem proviſo incumbat. Ejuscemodi Præbendas inductæ hoc Concordatorum loco menſium reſervationi obnoxias eſſe, non tantum ex ipſa Concordatorum *Aſchaffenburgenſium* litera in verbis hucusque ſæpe allatis: *vacante Beneficio* , ſatis propitia, & ſuffragante determinari poteſt, ſed & ipſa Concordata *Conſtantienſia*, Aſchaffenburgenſium baſis, & prototypon, ſat clare id innuunt in verbis *ubicunque non fuerint, ſaltem ſexta pars Canonicorum Præbendatorum in Metropolitana aut Cathedrali Eccleſia taliter graduatorum, ibi quomodocunque deinceps Canonicatus & Præbenda vacaverint, quacunque etiam Apoſtolica vel alia autboritate nonniſi taliter Graduato conferatur, quousque dicta ſexta pars compleatur taliter graduato* &c. Non ægre tamen, & in malam partem vertendum Capitulis Eccleſiarum Germanicarum, ſi adveniente de tali Præbenda Doctorali Proviſo Apoſtolico, antequam ipſum in dictæ Præbendæ poſſeſſionem immittant, ſedulo inquirant, an idem Proviſus Laurea Academica inſignitus iisdem ſcientiis, virtutibus, qualitatibus & meritis effulgeat, quibus inſtructos eſſe decet, quos talis Laurea coronat; poſtquam præſertim teſte experientia ſatis conſtat, multis male gradus ejusmodi Academicos conferri, et, quod pejus eſt, referreque piget, pretio venales exiſtere; unde, quam multa in Eccleſiam damna & incommoda redundent, videri poteſt apud Espenium *Diſſert. Canon. de inſtit. & Offic. Canonic. Part. I. Cap. IV. §. IV.* Non diſpar hujus rei exemplum in Notariis auctoritate etiam Apoſtolica conſtitutis occurrit, e quorum imperitia cum damna oriri plurima facile poſſint, Concilium Tridentinum *Seſſ. XXII. Cap. X. de Reform.* ſingulis Epiſcopis conceſſit facultatem, adhibita examinatione eorum ſufficientiam ſcrutari, illisque non idoneis repertis officii ſui uſum perpetuo, aut ad tempus prohibere

hibere. *Subinde* vero aliæ ſunt Præbendæ, quibus *in individuo Dignitas* v. g. *Scholaſtici*, *Cantoris &c. &c.* indivulſe, præſertim cum Officio perſonaliter implendo cohæret, ita quidem, ut cum collatione Præbendæ collatio quoque talis Dignitatis fiat, & abſolvatur. Quales Præbendas ſub reſervatione menſium non comprehendi, ſatis fundate ex illis ipſis verbis Concordatorum: *Vacante Beneficio:* erui videtur, ceu quæ, cum ex ſupra dictis *ſtrictioris* hic ſint interpretationis, proindeque nonniſi Beneficia ſic *ſtricte* & *in rigore* dicta complectantur, non eſt, cur illa ad ipſas etiam Dignitates ſive electivas, ſive collativas, perinde eſt, extenuari velint. Sunt *demum* Præbendæ aliæ, quibus præter Lauream Academicam *ſpeciale quoque Officium*, Profeſſoris v. g. Prædicatoris, Theologi, Pœnitentiarii &c. incumbit, quales duæ inſigniter conſpicuæ ſunt in hujate Eccleſia Collegiata ad utrumque S. Joannem in Haugis, quarum altera Profeſſuram Ss. Canonum, altera Officium Prædicaturæ adnexum habet. Sive porro Præbendæ ejusmodi ſint *liberæ Ordinarii collationis*, qualis eſt ibi Præbenda Profeſſuralis, ſive vero *per veram & Canonicam Electionem* conferantur, quomodo res ſe habet in Præbenda Prædicaturæ, ſive demum *per viam concurſus* ad tales Præbendas perveniatur, uti obtinet circa Profeſſuram Juris Canonici in Univerſitate *Trevirenſi*, cui Præbenda Capitularis in Eccleſia Collegiata ad S. Simeonem adnexa eſt; nullas tamen ex ejuſcemodi Præbendis, ſuppoſito etiam, quod exiſtant in Eccleſiis, ubi alias reſervatio menſium inducta viget, quam tamen hic Herbipoli non obtinere ex inferius dicendis apparebit, ſub dicta menſium reſervatione contineri, veroſimilius videtur. Quanquam enimvero in ipſa Concordatorum litera argumenti huc quidquam conducentis nihil deprehendi queat, rationes tamen cæteras Numero præcedente pro vindicandis Dignitatibus electivis allatas, & hic quoque firmiter obtinere in propatulo eſt; Quibus accedit porro, elegantiſſimum ſimul ac ſolidiſſimum COVARRUVIÆ teſtimonium, qui *Pract. quæſt. Cap. XXXIV. num. IV.* ita

ita inquit : *Si Beneficia Patrimonialia, ſive Canonicatus Cathedralium Eccleſiarum, qui Theologis, Magiſtris, & Juris Pontificii Doctoribus ex Electione ſunt conferendi, apud Sedem Apoſtolicam vacaverint, non facile admittitur derogatio hujus privilegii vel conſuetudinis, nec recipitur Summi Pontificis collatio in præjudicium Eccleſiarum, quibus maxima utilitas comparatur, ſi ad unguem & exacte Jura iſta ſerventur. Hoc ipſum comprobari poterit ex Gloſſ. celebri in Cap. Cum in Eccleſia de Præbend. in VI. quæ ad finem probat, hæc Beneficia, quæ ex conſuetudine Magiſtris aut Doctoribus ſunt conferenda, non comprehendi ſub reſervationibus, nec ſub literis Apoſtolicis, quæ exſpectativæ dicuntur, cujus Gloſſ. opinionem præter Doct. ibi ſequuntur* LUDOVICUS GOMEZ *in Tract. de exſpectativis num.* 93. GASPAR PERUSINUS *in Tractat. de reſervationibus, &* ÆNEAS A FALCONIBUS *in Tract. de quæſt.* 3. *num.* 22. Et quanquam vero is ipſe laudatus COVARRUVIAS in verbis mox ſubſequentibus recitatam hactenus opinionem ſuam dicat, & fateatur eſſe *dubiam*, ſub finem tamen in hac controverſia diligenter obſervandum eſſe monet, quid praxi *receptum* fuerit, & quid ſit Chriſtianæ Reipublicæ, ac Miniſterio Divino *conducibilius*. De exemplo vero hactenus nobis non conſtat, quod oſtendat, Præbendam quandam ita qualificatam in una vel altera Eccleſia reſervationi Apoſtolicæ ceſſiſſe; atque ipſe COVARRUVIAS §. ſuum hactenus a nobis citatum claudit ſequentibus: *Admodum conducit, hæc beneficia non comprehendi ullis reſervationibus.* Id quod uberioribus, expreſſioribus, & efficacioribus verbis effert ſcriptum publicum, quod ſub tit. *Remedium contra gravamina Nationis Germanicæ cum aviſamentis ad Sacram Cæſaream Majeſtatem & ipſius Imperatoris edicto* refert GOLDASTUS in ſuis *Politicis Imperialibus fol.* 1041. his verbis: *expediret rebuspublicis, & animarum ſaluti, ſi Summus Pontifex immutabiliter ſanciret, ut in quolibet Collegio duæ ad minus eſſent Præbendæ Gratiis non ſubjectæ, ad quas duo Theologi, aut unus Theologus, & alter Canoniſta duntaxat*

taxat promoveri poſſent. Quibus & illud depromi poſſe non adeo obſcurum eſt, eſſe quidem nonnullas Germanicas Eccleſias, in quibus ſimiles Præbendæ Gratiis non ſubjectæ obtinent, expedire tamen Rebuspublicis, & animarum ſaluti, ut in aliis quoque, in quibus necdum extant, duæ earundem inducerentur.

XXIII. * Num *Beneficia curata*, & *Eccleſiæ Parochiales* ſub verbis illis : *vacante Beneficio :* ſaltem hodie adhuc comprehendantur, non una eſt Authorum ſententia. Nonnulli cum NAVARRO, uti refert ESPENIUS *Jur. Eccleſ. univ. Part. II. Tit. XXIII. Cap. V.* §. *XVII.*, reſervationem dictarum Eccleſiarum Parochialium *per Concilium Tridentinum Seſſ.* 24. *Cap.* 18. *de Reform.* ſublatam eſſe credunt, idque uſu in multis Diœceſibus fuiſſe receptum, ait ZYPÆUS *Conſult. I. de Elect.*, notans deinde, quod Concilium Tridentinum in Belgio ſit receptum, prout ſonat, „non „ut *quotidianæ interpretationes*, Decreta, Conſtitutiones, Roma adferri poſſint, quæ decretum alterent, amplient, aut reſtringant, vel Regulam VIII. de Reſervationibus *quoad Beneficia curata* Parochialia abrogatam, reſtituant.„ Quæ NAVARRI & ZYPÆI opinio ſi ſubſiſteret, tanto in noſtra Germania obtinere deberet firmius, quanto expreſſioribus verbis huic Concordatorum §. adjecta legitur Clauſula, jam ſemel hoc Capite obſervata : *niſi in futuro Concilio de conſenſu Nationis* (ſive expreſſo, ſive tacito) *aliter fuerit ordinatum.* Attamen non fundatam ſatis eſſe dictorum Authorum ſententiam, vel citati Decreti Tridentini tenor abunde prodit, ceu quo expreſſe perhibetur, omnia Beneficia Parochialia inducto ibidem concurſui ſubjecta eſſe, „etiamſi „ipſa Parochialis Eccleſia *reſervata* fuerit generaliter, vel ſpecialiter &c. Atque hinc etiam laudatus ſæpe ESPENIUS *Jur. Eccleſ. univ. Part. II. Tit. XXII. Cap. IV.* §. *XVII.* præfatorum Authorum ſententiam ita moderatur & temperat, dicens : „Vi Concilii Tridentini eatenus quidem eſſe reſervationem ſublatam, quod „ea non obſtante concurſus inſtitui queat ; Sed tamen collatio ex-

„aminato, & per Epiſcopum tanquam magis idoneo electo facienda ſit ab ipſo Pontifice, ad quem titulo reſervationis collatio „ſpectat. Et ita declaravit PIUS V. in Bulla ſuper forma concur„ſus, quæ incipit : *In conferendis* XXXIII. in Bullario Romano. Verum aliter omnino, ac hæc extraneorum Doctorum fert opinio, in noſtra Germania rem conſiderandam eſſe, diverſa noſtrarum Eccleſiarum Parochialium conditio, diverſusque ſtatus exigit. In multis ſane noſtræ Germaniæ Diœceſibus non improbanda, ſed ex graviſſimis rationibus utilitatis publicæ omnino laudanda conſuetudo viget, ut Eccleſiæ Parochiales haud amplius in vim veri Tituli, & ſtabilis perpetuique Beneficii Eccleſiaſtici, ſed nonniſi in temporalem & de ſe, ex prudentiâ paſtorali, motivis diſciplinæ & boni animarum nixa, ab Epiſcopo revocabilem commendam conferantur. Quandoquidem vero in hiſce Diœceſibus Eccleſiæ Parochiales ſpectari haud poſſint tanquam *vera Beneficia Eccleſiaſtica*, ceu quæ ex natura ſua & eſſentiali qualitate requirunt, ut ſint quoad vitam Beneficiati *perpetua*, nonniſi ex cauſis Canonicis, & mediante via juris ab Ordinariis revocabilia; ultronee jam conſequitur, easdem ſub allatis hactenus verbis : *vacante Beneficio:* ſubintelligi non poſſe, cum præſertim ex ſupradictis hæc verba ſtricte interpretanda veniant. Sunt tamen adhucdum aliæ in noſtra Germania Diœceſes, in quibus vel omnes adhuc, vel certæ ſaltem Eccleſiæ Parochiales in vim tituli, & veri ac perpetui Beneficii Eccleſiaſtici conferri ſolent. Haſce Eccleſias ſecundum vim, & rigorem literæ Concordatorum hodiedum reſervatas eſſe, eo ſcilicet ſenſu, ut, quemadmodum paulo ſuperius ex ESPENIO notatum eſt, Collatio examinato in concurſu, & ab Epiſcopo tanquam magis idoneo approbato, ab ipſo Summo Pontifice ſit faciendа, nobis quidem nullum dubium ſupereſſe videtur. Quoniam tamen pro obtinenda collatione a Romano Pontifice tempus ſubinde non modicum requiritur, incommodumque, & a Spiritu Ss. Canonum alienum omnino foret, tanto tempore Eccleſiam Parochialem non ſine multis interdum animarum periculis vaca-

re,

re, proprioque Paſtore deſtitutam eſſe; uſus in illis ſaltem, quas ſcire licuit, Diœceſibus invaluit hactenus, expediretque in ſingulis, ſiquæ forte adhuc eſſent, in quibus nondum vigeret, invaleſcere, ut prævio ſaltem Indulto generali a Summo Pontifice impetrato, etiam in Parochiis reſervatis, ſive ſub reſervationem menſium alias cadentibus collatio ab ipſo Epiſcopo peragatur; Quemadmodum ita etiam in Belgio obſervari, imo etiam id invaluiſſe loco ſupra citato §. XVIII. notat Espenius, ut „ipſa reſervatio quoad „Parochiales ſaltem per concurſum conferri ſolitas penitus cenſea„tur ſublata, ac provideatur indifferenter, & eodem modo Eccle„ſiis Parochialibus reſervatis, & non reſervatis, de quo uſu, per„git,„ teſtatur Zypæus *in Jure novo Tit. de Elect. num.* 15. & la„tius deducit, & a verbis Concilii Tridentini diſſonum non eſſe hunc uſum contendit *Conſult. I. de Elect.*

XXIV. Diſquirendum demum hoc loco reſtat, utrum verbis hiſce: *vacante Beneficio:* quiſcunque vacationis modus ſubintelligatur? Litera ſatis ampla & generalis eſt, ut vix dubio locus ſupereſſe videri poſſit. Inſuper & potiores vacationum, extra caſum obitus, modi jam ſpecialibus illis reſervationibus *Cap. II.* ſuperius recenſitis comprehenduntur, ut adeo & ſuperflua, & inutilis de reliquo quæſtio dici vix non poſſit. Cum tamen in Regula IX. Cancellariæ modus vacationis *per reſignationem* notanter ſit exceptus in verbis: *Omnia Beneficia Eccleſiaſtica .... extra Romanam Curiam alias, quam per reſignationem, quocunque modo vacatura*; Hujus porro ipſiſſimæ Regulæ ſubſtratus Concordatorum §. temperamentum, & modificatio exiſtat; Natio certe Germanica in Concordatis compaciſcens tantæ ſimplicitatis & vecordiæ argui nequit, ut, quod temperare, & imminuere cogitabat, reapſe augeret, durioremque Ordinariorum Germanicorum conditionem efficeret, ac fuiſſet ea, ſi regulam, uti primitus erat, ſine ullo adhibito temperamento, reliquiſſet. Atque hinc, cum *permutatio Beneficiorum* etiam quædam *reſignationis* ſpecies ſit, ideo hanc vacationem a reſervatione

hic excipi credunt Regularum Cancellariæ interpretes, uti notat a CHOKIER *Gloſſ. VII. num.* 6., qui *num.* 7. & hanc rationem addit: „Quia reſervatio eſt juris communis correctoria, eoque reſtringen„da eſt, & propterea quoad effectum reſervationis Beneficia *re„nunciata ex cauſa permutationis* non dicuntur vere vacare.„ Utut autem hæc in theoria loquendo penitus ſubſiſtant, & ſuum omnino fundamentum habeant; ad evitanda tamen non neceſſaria, & inutilia litigia authores in praxi ſemper eſſemus, ut ſimiles reſignationes & permutationes, cum præſertim in mora periculum non ſit, uſque ad menſem ordinarium differantur.

XXV.* Atque hæc ſunt, quæ prolixiori nonnihil ſermone in ſæpius memorata hactenus verba: *vacante Beneficio*, huc erant referenda. NUNC ad illa, quæ inſequuntur, tantiſper digrediendum erit. *De menſibus*, inquit textus, *Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris & Novembris ſpecialiter diſpoſitioni Apoſtolicæ Sedis reſervatis.* Quibus verbis ſex menſes impares tanquam menſes Apoſtolici ſive Pontificii determinantur, & ſtabiliuntur, atque beneficia in iisdem vacantia ejusdem Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſervata declarantur. Pro horum autem menſium computatione eædem prorſus regulæ obſervandæ veniunt, quas ſupra de computandis menſibus Ordinariorum ſufficienter jam ſuggeſſimus. Nil proinde hoc loco reliquum eſt, quam ut breviter indagemus, quid in dubio, an vacatio alicujus Beneficii in menſe Apoſtolico, an vero in menſe Ordinarii contigerit, ſit ſtabiliendum, & an interpretatio hoc caſu dubio in favorem Proviſi Apoſtolici, an vero in favorem Collatarii Ordinarii ſit facienda. Illud inprimis extra omnem controverſiam poſitum eſt, pro *poſſeſſore*, ſiquis jam adſit, omnino eſſe præſumendum; & ſiquis contra hunc poſſeſſorem prætendat, eidem probandum eſſe, vacationem in hoc illove menſe contigiſſe. Verum ſi *neuter ſit in poſſeſſione*, tunc *præſumptionem* pro illo eſſe, qui ab *Ordinario* collationem obtinuit, eum Proinde proviſo Apoſtolico eſſe præferendum, hiſce jam ſæpe citatus GONZALEZ loco quoque ſæpe citato

ita

ita deducit: „quoniam non ſolum *non præſumitur reſervatio* ratio-
„ne menſis, ſed etiam debet *concludenter probari* vacatio de menſe
„Apoſtolico, ut Proviſus a Papa obtineri poſſit. Ratio eſt, quia
„Ordinarius & Proviſus ab eo fundat intentionem ſuam de jure
„communi *Cap. Ex frequentibus. de inſtitutionibus*, FELINUS *in Cap.*
„*cum venerabilis num.* 32 *de exceptionibus*, ROTA *Deciſ.* 78. n. 1. &
„per totum *parte prima diverſorum*, & diximus in §. I. procemiali
„princip. & ſublata reſervatione noſtræ Regulæ Epiſcopus poſſit
„providere libere in omnibus menſibus CAPUTAQ. *deciſ.* 254. *num.*
„5. *Parte* 2. CASSAD. *deciſ.* 3. n. 4. & *deciſ.* 4 *num.* 1. & 2. *de*
„*Privilegiis*, PUTEUS *deciſ.* 492. n. 3. Lib. 2. CRESCENTIUS *Deciſ.*
„3. n. 4. *de Privilegiis.* Sequitur quod proviſus ab Ordinario ni-
„hil aliud probare teneatur, niſi anterioritatem ſuæ Collationis in
„jure communi fundatam, & quod onus probandi reſervationem
„ratione menſis ſpectet ad Proviſum Apoſtolicum ſe fundantem in
„reſervatione in menſe Apoſtolico, cum hoc ſit ſuæ intentionis funda-
„mentum.„ Quæ GONZALEZII dicta rem omnem ita conficiunt,
& exhauriunt, ut addendis ulterioribus, contenti hiſce & omnino
convicti, ſtudioſe abſtineamus, examinaturi demum ad reliqua hu-
jus paſſus verba, eundem cum antea allatis ſenſum & conſtructio-
nem grammaticalem conficientibus, tempus illud, quod intra col-
latio Beneficiorum in menſibus Apoſtolicis vacantium a Summo
Pontifice fieri debet.

XXVI. * Verba integra, & cum prioribus, exigente ita ſyntheſi
grammaticali, huc relata ſonant: *quoties vero aliquo vacante
Beneficio de menſibus .... ſpecialiter diſpoſitioni Apoſtolicæ Se-
dis reſervatis non apparuerit infra tres menſes a die notæ vatio-
nis in loco Beneficii, quod alicui de illo Apoſtolica Authoritate
fuerit proviſum, ex tunc & non antea, Ordinarius, vel alius, ad
quem illius diſpoſitio pertinebit, de illo libere diſponat.* Contra
quæ verba in anno MDLXXVI. a GREGORIO XIII. ſummo Pontifice ſpe-
cialis edita eſt declaratio in Bulla: *Quæ in Eccleſiam.* Cum enim Ordi-
narii ſæpius, quando intra tres menſes, juxta tenorem claræ Con-

 corda-

cordatorum literæ, proviſus Apoſtolicus non comparuit, ſuasque literas Ordinario inſinuavit, ac præſentavit, libere alteri, quia non apparuerat a Pontifice proviſum, vacans beneficium contuliſſent, deindeque modo dictus Proviſus Apoſtolicus apparuiſſet ſerius, & ab Ordinariis repulſam paſſus; res graves peperit controverſias tum inter ipſos Proviſos Apoſtolicum & Ordinarium, tum inter ipſos quoque Collatores Ordinarios, & Summum Pontificem. Quibus ut occurreret, finemque imponeret GREGORIUS XIII. edidit in ſupra memorata Conſtitutione verborum ab initio relatorum ſequentem declarationem, *apparuerit* hoc loco idem ac *fuerit*, denotare, quaſi ſenſus foret: Si infra tres menſes Romæ proviſum, ſive proviſio facta non fuerit. Hujus porro declarationis binas haſce in citata Bulla rationes dedit, (*a*) impoſſibile ſæpius eſſe propter impedimenta plurima, ac diſcrimina itinerum, proviſos Apoſtolicos intra tam breve tempus ſuas præſentare literas, & propterea indignum, quod ſine ſua culpa debeant carere beneficio. Nec porro (*b*) conſultum, nec utile Eccleſiis eſſe, absque prævia ſufficienti deliberatione collationes a Summo Pontifice deproperari potius, quam maturari. Hanc autem declarationem una cum ſuis momentis & rationibus a Germanis meritiſſimo, humillime tamen detrectari, ex iis, quæ in hujus Diſſertationis Prooemio dicta ſunt, clare liquet. Clara inprimis & favori Ordinariorum nimis, quam evidenter propitia eſt litera & ſenſus Concordatorum, quæ profecto extenſiva Pontificis declaratione detorqueri nimium videtur. Porro declarationem Concordatorum authenticam ad ſolum Summum Pontificem non pertinere, ex iis pariter, quæ ſupra in Præfatione adduximus, notius eſt, quam ut pluribus hic ea repetere, expediens videatur. Ipſa denique pactitiæ hujus diſpoſitionis ratio, quam etiam, ceu regulam interpretationis, omnino attendendam eſſe, ibidem poſtulavimus, eidem Ordinariorum favori conſulere omnino videtur; ſiquidem terminus iſte trium menſium hunc in finem Pontifici ſit præfixus, ut citius Eccleſiis de Rectoribus & Miniſtris provideatur. Unde conſequitur, hanc diſpoſitionem niti

ſpecia-

Digitized by Google

ſpeciali favore publico, & quamvis proinde interdum aliquis Proviſus Apoſtolicus absque culpa pati debeat, forſan etiam ex aliorum malitia impediri poſſit, id tamen ex mero accidenti evenit, huicque favorem Eccleſiarum, & rationem publicam, quæ hic involvitur, prævalere ex trita illa regula: *publica privatis anteferenda bonis*: absque longiore diſcurſu profluum apparet. Hæc porro, quod ulterius hic notatum cupimus, prolongatio termini Collationi Pontificiæ ad trimeſtre præfixi pertinet duntaxat & præciſe ad Beneficia, de quibus hic ſermo ſit, in menſibus ſcilicet Papalibus vacantia, neutiquam vero ad illa, quæ in Curia vacare dicuntur. Hæc enim intra menſem conferri debere jam ſupra Cap. II. ſtabilitum fuit. Concordata porro hoc loco de reſervatione menſium duntaxat ſermonem faciunt, nihil vero circa reſervationem Beneficiorum apud Curiam vacantium, ceu de quibus jam ſuperius diſpoſitum fuit, hic immutant; unde, cum ampliatio termini, & diuturnior vacationis Eccleſiarum mora ſit odioſa, illa termini trimeſtris ampliatio non extendenda, ſed reſtringenda venit. Adhæc diſpar quoque eſt utrobique ratio, ſiquidem Beneficia in menſibus Apoſtolicis vacantia vacant regulariter, & plerumque extra Curiam, & antequam vacatio Pontifici inſinuetur, jam notabile tempus effluit; unde conveniebat, per Concordata ampliorem hic terminum præfigi, illumque a die non *factæ*, ſed *notæ* vacationis currere; cum econtra Beneficia in Curia vacantia Pontifici *ſtatim*, citiusque, ac Ordinariis, innoteſcant, haud neceſſe creditum fuit, terminum collationis quoad illa prorogari, illumque a die notæ primum vacationis præfigere; hoc ſiquidem modo absque neceſſitate via longioris vacationis aperietur, quam utpote odioſam Eccleſiisque pernicioſam Concordata in majus Nationis præjudicium aperuiſſe, de tam ſalubri Eccleſiis pactione aſſerere indignum, ab ejusque ſcopo quam maxime alienum fuiſſet. Quo demum jure id fiat, ut elapſo ſine facta collatione termino trimeſtri Ordinarius vel alius, ad quem illius beneficii diſpoſitio pertinebit, de illo juxta men-

tem

tem & literam Concordatorum diſponere poſſit; ex iis, quæ jam ſuperius Cap. II. Num. XIII. dicta fuere, eſt petendum.

XXVII. * Hiſce, quæ hactenus dicta ſunt, regula hoc Concordatorum §. ſtabilita continetur, cui modo ſecundum rectam ſenſus analyſin, & conſtructionem exceptio ibidem quoque aſſerta eſt ſubjungenda. Quippe in omni reſolutione legum, quæ regulam ſimul & exceptionem continent, ſic procedatur, neceſſe eſt, ut explicetur prius regula, deinde exceptio, licet forte exceptio, ſicuti hic eſt, ordine ſcripturæ regulam præcederet. Effertur autem ea hiſce Concordatorum verbis: *Majoribus Dignitatibus poſt Pontificales in Cathedralibus & principalibus in Collegiatis Eccleſiis exceptis, de quibus jure ordinario provideatur per illos inferiores, ad quos alias pertinent.* Quæ circa verba, cum varient editiones Bullæ Concordatorum confirmatoriæ, tam quoad eorum integritatem, quam in factis interpunctionibus, exindeque tota controverſiæ hic vigentis deciſio unice dependeat, neceſſe viſum fuit, ante omnia textum iſtum quoad utrumque variationis, & controverſiæ punctum ſolidius aſſecurare; quemadmodum jam plenius id executa eſt Diſſertatio Germani cujusdam Anonymi edita in anno MDCCLVII. loco incognito ſub hoc titulo: *Analytica Demonſtratio cujusdam Germani ex litera & mente Concordatorum Germaniæ Præpoſituras, quæ ſunt in Germania Majores poſt Pontificales in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis Eccleſiis Dignitates, non eſſe Sedi Apoſtolicæ reſervatas.*

XXVIII. Prout textus ille a nobis mox allatus fuit, exhibetur quoad verba ſingula in Concordatis ſub ſchemate pacti conceptis, quæ ſingula & integra omnes eorundem Concordatorum ſub dicta forma pacti conceptorum lecturæ *mira* quadam *conſtantia* & *conſonantia* retinuerunt. Huic proinde lecturæ poſthabendæ ſunt omnes illæ, quæ omiſerunt poſt verbum *exceptis* deciſiva iſta verba: *de quibus*; item quæ loco verbi: *provideatur* habent: *providetur;* ſiquidem ex regula naturali conſonantes lecturæ prævaleant oppoſitis inter ſemetipſas non concordantibus. Cui accedit, quod communiores etiam ipſius Bullæ

con-

confirmatoriæ editiones apud BRANDENIUM, A CHOKIER, NICOLARTS, GOLDASTUM, LIMNÆUM, & in ipſo quoque BULLARIO ROMANO conſentiant. Unde haud multum moranda credimus nonnulla illa alia exemplaria, in Germania Typis edita, quæ illas magni momenti particulas: *de quibus*, omiſerunt, quæque inter potiſſimum duo memoranda veniunt, *unum* impreſſum *Argentinæ* A. MDXIII. cum Summariis Anonymi Authoris: alterum quod dedit HENRICUS CANISIUS *in fin. Jur. Canon.*, cum inſuper in neutra editione ſit adjectum, quo ex authographo textus ſuus ſit depromptus. Quod jam alterum variationis & controverſiæ punctum concernit, *interpunctiones* ſcilicet, *commata*, *puncta*, *parentheſes*, *claudatur*, in quibus quoque exemplaria multum variant, certum eſt ex ſupra dictis in præfatione, has eſſe *recentioris additionis*, nec in antiquis originalibus totidem interpunctionum ſigna quoad paſſum etiam concernentem reperiri, proindeque in his juxta hodiernum modum adponendis naturalem conſtructionis ſitum ac ordinem pro duce reverendum eſſe. Hiſce ſic ſtantibus ſpontanea concluſione fluit, ut, ſiquis in textu ſubſtrato *parentheſin* & *claudatur* facere velit, neceſſitate Grammatices haud aliter poſſit, quam ut ſigna hæc ante, & poſt integra verba a nobis ſupra recitata apponat, & conſtituat. Aliter certe ſi fiat, nonniſi miſera & calva prodibit ſenſus conſtructio, obſtantibus ſemper verbis, *de quibus*, quæ expungi ſinceritas, & integritas lecturæ haud patitur. Ex hac autem ſic conſtructa integra, & interpunctata Concordatorum quoad hunc paſſum litera ſatis aperte conficitur, exceptionem hic, a regula per integrum hunc §. ſtabilita, poſitam eſſe in favorem Ordinariorum Germaniæ, ſive, *Dignitates poſt Epiſcopales in Cathedralibus majores, in Collegiatis principales*, quæ in noſtra Germania *Præpoſituræ* paſſim audiunt, ab introducta hic, per modum regulæ, menſium alternativa ita exceptuatas eſſe, ut de illis *Jure Ordinario provideatur per illos inferiores, ad quos alias* (hoc eſt, abſtrahendo a reſervatione Regulæ IV. Cancell.) *pertinet.* Alius certe bonus, & integer ſen-

ſus ex verbis hiſce, vel ab ipſis etiam partialibus elaborari haud poterit. Ponamus enim, in Concordatis verba ita poſita eſſe: *De quibus Jure reſervationis provideatur per Summum Pontificem*, nihil evidentius profecto credent Curialiſtæ, quam reſervationem hoc loco inductam eſſe. At vero, cum ſit poſitum, *de quibus Jure Ordinario provideatur per illos inferiores, ad quos alias pertinet*, an non par quoque ſubſit verborum evidentia pro Jure Ordinariorum quoad haſce Dignitates libero? Ita ſane viſum fuit Juriſconſultis, aliiſque Doctoribus exteris nec a Curia, nec Germana Natione redemptis, aut præventis, ſed pure ductis ſecundum ſanæ interpretationis regulas. Subſtratum quippe Concordatorum paſſum ad noſtram mentem intellexit Author Gallus Rousseaud *de la Combe dans ſon recueil de la Jurisprud. Canonique* in verbo *Concordat. Sect. III.*, ubi tertiam noſtrorum Concordatorum partem, eorumque contenta ſic recenſet: *La troiſieme partie comprend les Benefices collatifs, qui ſe conferent* alternativement *par le Pape, & par les Collateurs Ordinaires en cette maniere: Le Pape a droit de conferer tous les Benefices, ſeculiers, & reguliers, alternativement, a commencer par Janvier: ces mois s' appellent menſes Papales: les autres mois appartiennent a l' Ordinaire. Cette difference de mois n' a point lieu a l' egard de premieres Dignités des Egliſes Cathedrales, & Collegiales, aux quelles il eſt pourvu de droit par ceux, a qui il appartient.* Similiter Natalis Alexander *Hiſt. Eccl. Tom. VIII. pag.* 222. recenſens Beneficia vigore Concordatorum reſervata diligenter, nullatenus connumeravit primas haſce Dignitates; non potuit enim illam prætenſam reſervationem videre ex textu, vel contextu, quæ tamen utpote longe illuſtrior alternativa menſium, viro accurato alias, & oculato debuiſſet in viſum inſilire, ſiqua in facto fuiſſet. Demum Joannes a Chockier magni alias nominis apud Curialiſtas interpres *ad Regulam Cancell. II. num.* 16. ponens Summam Concordatorum ad mentem noſtram ſic ajebat:

In

In cæteris vero Dignitatibus, & Beneficiis quibuscunque tam ſæcularibus, quam regularibus (exceptis majoribus dignitatibus poſt Pontificalem in Cathedralibus, & principalibus in Collegiatis Eccleſiis) Papa ſibi reſervat omnia prædicta Beneficia vacatura in menſibus Januarii &c. Et ad Regulam III. *n.* 16. *Hæc Regula multo reſtrictior facta, imo ſublata eſt, in Germania per Concordata, quibus Jure Ordinario de prædictis Dignitatibus erit providendum per illos inferiores, ad quos alias Collatio, proviſio, præſentatio, electio, ſeu quævis alia diſpoſitio pertinet, ut conſtat per Conſtitutionem* Nicolai V. *ſuper Concordata in verſu: de cæteris vero Dignitatibus &c. & infra latius oſtendemus, ad Regulam VIII. & in Gloſſ. verb. aut aliorum ſub Concordatis, quæ eſt ordine* 11*ma, ubi ſub num.* 3. idipſum repetit ſub verbis: *In cæteris Dignitatibus & Beneficiis quibuscunque tam ſæcularibus, quam regularibus vacaturis in menſibus Januarii &c. eadem Sancta Sedes ſibi iſta Beneficia reſervat. In menſibus vero Februarii &c. non impediet per quamcunque aliam reſervationem &c. quominus de illis, cum vacabunt in dictis menſibus Februarii &c. Ordinarii, vel alii inferiores libere diſponant, exceptis tamen majoribus Dignitatibus poſt Pontificales in Cathedralibus, & Principalibus in Collegiatis Eccleſiis, de quibus Jure Ordinario erit providendum per illos inferiores, ad quos alias collatio, proviſio &c. pertinet.* Ita impartiales, neutriusque partibus addictiores Juriſconſulti & Doctores controverſi hujus Concordatorum paſſus ſenſum reddidere, & intellexere, ut adeo exinde non poſſit non maximum noſtræ interpretationi pondus accedere.

XXIX. Sed his omnibus majora ſunt, quæ pro eadem ex *Actis & Documentis* hiſtoricis Concordata noſtra tum *antecedentibus*, tum *conſequentibus* ferme ineluctabilia argumenta depromi poſſunt. In quibus huc colligendis jam otium nobis fecit lauda-

ta Anonymi *Demonſtratio analytica*, exactius pleniusque ea omnia in ſpeciali *Sect. III.* eo deſtinata recenſens, ut proinde iisdem nonniſi in compendio hic referendis operam dare ſit neceſſe. Sane Concordata *Conſtantienſia Dignitates haſce majores* non reſervaſſe, ſed illorum inferiorum, ad quos alias pertinet, proviſioni reliquiſſe, res tam clara eſt, tum ex ipſa eorundem litera, tum ex aliis ſub idem tempus actitatis, ut nullum omnino prudens dubium ſupereſſe queat. Legantur tantum, & inſpiciantur ſingula eorundem verba huc pertinentia a nobis jam ſupra Num. XI. hujus *Cap.* relata, ſpecialique reflexione notentur finalia hujus ſenſus interjecti verba: *nec computentur in Turno, ſive vice eorum:* (videlicet Ordinariorum) & quis erit, qui rem in dubium adhuc vocare præſumat? Ipſemet MARTINUS V. Summus Pontifex in ſua generali Conſtitutione, quæ die XXI. Martii anno MCCCCXVIII. in Concilio generali recitata fuit, & in quo projectum quoddam futuræ concordiæ obtulit, haud plus prætendebat, quam ut binis tantum vicibus harum Dignitatum collatio ad Pontificem pertineret, tertia vero vice Ordinariis relinqueretur: hiſce verbis: *de cæteris Dignitatibus, Officiis &c. vid.* HARDUINUS *Tom. IX. Conc. pag.* 877. Et quis credat Nationem Germanicam tam ſimplicem, tam vecordem fuiſſe, ut quoad tanti momenti Dignitates Papæ dediſſet plus, quam ipſe prætenderet, nempe privativum jus conferendarum Dignitatum majorum & principalium, nequidem retenta ſibi, quam Papa obtulerat, vice tertia? Non multum ante Concordata *Aſchaffenburgenſia,* anno nimirum MCCCCXL., petierunt Germani a Concilio Baſileenſi in Aviſamentis Moguntinis, ut inprimis caſſet, annullet & irritet omnes, & ſingulas reſervationes tam generales, quam ſpeciales ſive particulares .... reſervationibus in Corpore Juris clauſis duntàxat exceptis. Et quamvis ab hac ſua intentione, ſicut jam ſupra præmonitum fuit, anno MCCCCXLVIII. generoſa quadam reverentia receſſerint, manſerunt tamen in ſuis Concordatis eodem anno erectis potiſſimum in placitis Concordatorum

rum

rum ſuorum Conſtantienſium, imo quoad hunc paſſum controverſum ipſamet eorundem verba fere omnia retinuere. Qua igitur veri ſimilitudine ex his vel conjecturari poterit, primas, & principales Dignitates hic Summo Pontifici reſervatas fuiſſe? *Poſt erecta Concordata* vix elapſum erat decennium, ubi *Cardinalis Senenſis* ÆNEAS SYLVIUS primarius antehac Concordatorum promotor commendari ſibi curaverat duas Præpoſituras unam in *Cathedrali Wormatienſi*, alteram *in Collegiata Xantenſi*; ſed quam non ingentem mox oppoſitionem perſenſit reſiſtentibus ſibi tribus Electoribus Archiepiſcopis Moguntino, Trevirenſi, & Colonienſi? Querelæ deſuper, *inſolitam* hancce, & *inauditam* eſſe reſervationem ad ipſummet FRIDERICUM Imperatorem, a quo & ad Summum Pontificem quoque CALIXTUM III., pervenere, quæ effecere, ut ad pacificam dictarum Præpoſiturarum poſſeſſionem pertingere ÆNEAS SYLVIUS haud potuerit. Et quis jam attentis hiſce, ut reliqua, quæ in citata analytica Demonſtratione latius referuntur, diſſimulemus, perſuaderi prudenter poterit, majores poſt Pontificalem in Cathedralibus, & principales in Collegiatis Dignitates vi textus & literæ Concordatorum Summo Pontifici reſervatas eſſe?

XXX. Verum hæc omnia incaſſum hodie ad genuinam quandam interjectæ hujus Parentheſeos interpretationem hauriendam coacervari, nonnemini videri poſſet, poſtquam per centenariam obſervantiam inducta fuit interpretatio & explicatio, juxta quam conſtat, Summum Pontificem in Concordatis ſibi voluiſſe præſervare collationem hujuſmodi Dignitatum, ſive, ut verbis RIGANTII *Comm. in Reg. IV. Cancell.* §. *I. num.* 34. rem efferamus, poſtquam *inveterata obſervantia*, *& ſtylus inconcuſſe ſervatus a die Concordatorum uſque ad præſens* demonſtrant, præfatas Dignitates Sedi Apoſtolicæ reſervatas, ab eaque ſemper proviſas fuiſſe. Ita revera eſt, ſi, quod ſupponit hic, & tam confidenter aſſerit RIGANTIUS, extra omnem ſemel controverſiam poſitum fuerit. Ipſimet quippe ſuperius in Præfatione faſſi ſumus, obſervantiam

eſſe optimam hujus pacti publici interpretem, fortiſſimumque ex illa tunc depromi argumentum, ſi requiſitas illas a nobis *num. XXIV.* dictæ præfationis qualitates comites individuas habeat. Utrum vero hæc a RIGANTIO prætenſa obſervantia easdem habeat, dubitamus multi. Nimis enim manifeſta ſunt inprimis, quæ elapſo vix poſt erecta Concordata decennio ÆNEÆ SYLVIO Cardinali Senenſi duas Præpoſituras Germanicas in vim reſervationis prætendenti contigere; ut adeo ſtylus inconcuſſe a die Concordatorum uſque ad præſens ſervatus vix ac ne vix quidem oſtendi queat. Nimis pariter manifeſta ſunt, quæ Germana Natio in ſuis ſæpe ſæpius poſt Concordata reiteratis gravaminibus toties quoties repetiit. *In Diæta Cleri Confluentina* propoſita fuere FRIDERICO III. gravamina, quorum §. V. dicebatur. *Dantur nonnullæ gratiæ Apoſtolicæ, ſive conſervationes* (forte reſervationes dici debuerat) *DDnis Cardinalibus, & aliis perſonis ad exceſſivum valorem quandoque multorum millium florenorum, cum quibus acceptantur Monaſteria, Præpoſituræ, Dignitates, Decanatus &c.* Repropoſita hæc fuere *in Comitiis Wormâtienſibus* A. MCCCCXCV. ſub MAXIMILIANO I. celebratis, & in gravaminibus eidem MAXIMILIANO anno MDX. oblatis, quorum §. III. in materia concernente noviter conquerebatur. Succeſſere anno MDXXII. ſub CAROLO V. Imperatore centum illa gravamina Norimbergenſia, quorum *decimum nonum* reſervationi majorum, & Principalium Dignitatum diſerte contradixit. Et quis eſt, qui in tanta, tamque multiplici contradictione auſit dicere, proſtare in contrarium *inveteratam obſervantiam*, non contradictam, ſine quavis oppoſitione unanimi utriusque partis intelligentia propagatam. Difficile eſt, fateri cogimur, in tanto conflictu indubiam quandam, & inconcuſſam obſervantiam comminiſci velle. Difficilius longe, tot querelas, tot gravamina certe non infundata, fruſtra tam ſæpe repetita, non audita, & ſine effectu uſque in hodiernum diem relicta eſſe. Difficillimum denique, rebus ita poſitis Judicem agere, remque definitorie dijudicare velle, ubi tamen pars utraque

eur-

eundem reſpuit, nullumque hac in materia ſupra ſe agnoſcit. Interim non ceſſant gravamina, & querelæ Nationis, ſed de die in diem magis accumulantur, & niſi mature, & tempeſtive ſuccurratur, novum inde & majus quotidie gliſcit periculum, ne ſuprema illa Concordatorum ratio, Concordia ſcilicet Sacerdotium inter & Imperium lædatur noviter, labefactetur, & concidat. Sed quodnam ſuccurrendi medium? non moramur tale, quod proficuum magis nobis viſum eſt, quodque utrique parti & Nationi, & Sedi Apoſtolicæ conſultum credimus, ſalvo quocunque meliori judicio, hic ſubjungere. Conſuevit hactenus Romana Curia compluribus Eccleſiis Cathedralibus, atque nonnullis etiam Collegiatis Indultum liberæ electionis in caſu hucuſque eveniente concedere, in quo concedendo eo ſe liberaliorem oſtendit, quo minus forte de bono jure ſuo certa erat, ſibique metuebat. Illud vero Indultum ſi impoſterum omnibus tam Cathedralibus, quam Collegiatis Eccleſiis concederetur, atque inſuper proviſio electionis ſubſequa Romæ in forma *commiſſoria*, ſeu ut vocant, in forma *dignum*, ad Ordinarios, ſive Epiſcopos, præſertim in hujusmodi Dignitatibus electivo-confirmativis, utpote confirmationis jure alias gaviſos dirigeretur; haud profecto multum eſſet, quod refragari deberent Eccleſiæ Germanicæ. Quanquam enimvero probe diſpiciamus, non omnimodam juris ex litera Concordatorum quæſiti reſarcitionem hiſce fieri; ea tamen, quæ ultra dictam literam relinquuntur, tantæ nobis conſiderationis non videntur, ut eapropter ibidem pax omnis reſpuatur, & totidem nova litigia excitentur, continuenturque. Porro ex altera parte & Romana Curia habet, ut multum ſibi favorabile hoc medium amplectatur, ceu in quo & ſuprema ſua Pontifici firmatur ſolidaturque authoritas, inſimulque hierarchica Epiſcoporum attenditur poteſtas, quatenus ita & petendi indulti, & exſpectandæ hujuſce proviſionis neceſſitas Eccleſiis Germanicis imponeretur. Atque hoc credimus medio utrique parti ſufficienter proſpectum iri. Quod tamen eum in finem propoſitum eſſe nolumus,

lumus, ut forte una vel altera Eccleſia, quæ majorem ſibi, magiſque ad literam Concordatorum accedentem libertatem mediis aliis comparare forte noverit, præjudicium inde ullum ſentiat, ſed quæ jam ſub initium hujus Diſſertationis proteſtati ſumus, proteſtamur hic noviter, animum nobis, mentemque eſſe, & fuiſſe hactenus, Jura Nationis Germanicæ Eccleſiarumque ad eandem pertinentium in Concordatis quæſita pro bono pacis, concordiæ, & jugis cum Sede Apoſtolica communionis ita ſtrenue defendere, ut tamen eadem Sedes Apoſtolica, ejusdemque Jura ibidem per Concordata ſibi aſſerta & ſtabilita damnum nullum inde paterentur.

XXXI. * Explicatæ hactenus Regulæ de alternativa per menſes beneficiorum collatione una cum ſua de Dignitatibus majoribus poſt Pontificalem in Cathedralibus, & principalibus in Collegiatis Eccleſiis exceptione, ſequentia in textu Concordatorum ſubjunguntur: *Item ad finem, ut hæc ordinatio collationis beneficiorum non reſervatorum per alternos menſes poſſit per Nationem publicari, & omnes, qui ipſa gaudere voluerint, tempus congruum habeant, eandem acceptandi, tum quoad Sedem Apoſtolicam in Kalendis Junii* (forte Julii dici debuiſſet) *proxime futuris ipſa currere incipiet &c.* Specialis hæc eſt clauſula ſpeciali huic Concordatorum articulo ſubjuncta, vi cujus Ordinariis Collatoribus tempus congruum a die decima ſeptima nimirum Februarii anni MCCCCXLVIII., qua die Concordata ſub forma pacti erecta fuere, uſque ad diem primam Julii ejusdem anni conceditur, factam hoc loco de beneficiis inferioribus alternative conferendis ordinationem acceptandi, qua demum acceptatione inſecuta, & non prius, dicta ordinatio in Kalendis Julii proxime futuris quoad Sedem Apoſtolicam currere incipiet. Unde ſcite ad hæc poſtrema verba Zypæus *Conſult. III. de Præb. n.* 30. reflectit: *non ante ordinatio vires habet, non ante currere incipit: validiſſimo argumento a contrario ſenſu, & contrariorum impoſſibilitate,*

ſiqui-

ſiquidem, quod incipit, non præexiſtit. Quamvis proinde pro generali Concordatorum obligatione inducenda ſuffeciſſe omnino debuerit generalis illa eorundem laudatio, approbatio, acceptatio a partibus compaciſcentibus hinc inde facta, ſiquidem particularis acceptationis, aut derogationis arbitrio locus nullus eſſe dignoſcitur, ubi publicæ utilitatis univerſalis obſervatio in præcepto eſt; aliter tamen prorſus ſentiendum erit, ubi clara & ſpecialis legis diſpoſitio, ac litera particularem quandam acceptationem non ſine peculiari ratione requirit, quemadmodum in ſubſtrata materia obtinet, ubi ex claro Concordatorum tenore ſpecialis Ordinariorum acceptatio exigitur, propterea quod hic, ubi de alternativa agebatur, non ſolum publica totius Germaniæ ſacræ & profanæ, ſed & privata & particularis particularium Eccleſiarum Germanicarum utilitas involvi Summis paciſcentibus videretur. Quam ob rem etiam omnino verum dixit JOANNES A CHOKIER *ad Reg. VIII. Cancell. Gloſſ. II. n.* 13. particularium acceptationem hic eſſe neceſſariam, adeo, ut ſine illa hæc Concordatorum circa collationem alternativam diſpoſitio vim atque effectum habere omnino nequeat. Atque inde cum teſte relato ZYPÆO *loc. ſup. cit. n.* 6. multi per Germaniam Concordata quoad dictam diſpoſitionem non acceptaverint, ut *Herbipolenſes*, *Bambergenſes*, *aliique*, qui vel ampliora privilegia, vel ſibi forte convenientiora obtinuerant, omnino factum fuit, ut apud eosdem inducta hic loci Concordatorum alternativa penitus ignoraretur, omniaque Beneficia in ſingulis menſibus ſive paribus, ſive imparibus vacantia a ſolis Ordinariis conferrentur, id quod præſertim in noſtra Eccleſia Herbipolenſi longiſſimo adeo uſu invaluit, ut vel is ſolus ſepoſita etiam illa, de qua hactenus, alternativæ non acceptatione ſufficiens cenſeri omnino debeat, quominus alterna per Pontificem & Ordinarios facienda collatio ibidem obtinere, & urgeri queat. Non enim longiſſimi tantum, ſed & longi adeo uſus is effectus eſt, ut in contrarium & ex altera parte non uſus adverſus Concordata in vim ejusdem prætendi & objici poſſit, quemadmodum pluribus deducit laudatus hactenus ZYPÆUS *loc. cit. n.* 31.

Quibus accedit, quod is ipſe non uſus Concordatorum in vim obſervantiæ immemorialis, cujus ſcilicet initii memoria haud extat, tuto hic allegari valeat, cujus juxta unanimem Doctorum mentem tanta vis eſt, ut præſumi faciat præſumptione juris, & de jure titulum quemcunque de mundo meliorem, ſi præſertim, quod in rebus & juribus difficilius, imo difficillime obtinibilibus Curialiſtæ deſiderant, oſtendi ſimul queat fama privilegii, qualis hic indubie ex eo conficietur, quod ad ſimile privilegium provocent non tantum Autores Germani, ſed & extranei de partialitate minime ſuſpecti, uti ZYPÆUS *loco & num. ſup. cit.* ESPENIUS *Jur. Eccleſ. univ. Part. I. Tit. XIII. Cap. II.* §. *VIII.* quin & Curialiſtæ ipſimet velut RIGANTIUS *Comm. in Reg. IX. Cancell.* §. *III. n.* 197. *& ſeqq.* ampliſſimam de eodem privilegio mentionem faciant.

XXXII. * Demum jam ſupra Cap. I. hujus Diſſertationis advertimus, hactenus explicatum de alternativa §. unum ex illis duobus eſſe, quibus ſub finem adjecta legitur clauſula: *durabitque deinceps* (hæc ordinatio) *niſi in futuro Concilio de conſenſu Nationis aliter fuerit ordinatum*; ibique ſpopondimus, ſpeciali quoquo loco ſpeciales hujus infertæ clauſulæ rationes ſubjungere: In quantum ergo ad præſentem Articulum attinet, res eſt ex deductis hactenus actis Hiſtoricis præcipue Concilii Conſtantienſis notiſſima, vix unquam Pontifices tempore illo, quo de abolendis reſervationum exceſſibus cogitabatur, induci eo potuiſſe, ut dimidiam Beneficiorum partem alternis vicibus conferendam Nationum querulantium Ordinariis Collatoribus relinquerent. Id demum diverſas Nationes obtinuiſſe, ut tertia pars Beneficiorum ſuis Ordinariis relinqueretur, conſtat inter alia Documenta ex jam ſupra indigitata Conſtitutione MARTINI V. adhucdum in Concilio Conſtantienſi anno MCCCCXVIII. menſe Martio edita, quam refert LABBEUS *in Collect. Concil. Tom. XVI. edit. Venet.* de anno MDCCXXXI. pag. 723. *& ſupra laud.* HARDUIN. *loc. cit.* Hac in Conſtitutione conceſſit laudatus Pontifex, ut „de cæteris

„digni-

„dignitatibus (locutus eſt antea de majoribus) officiis & Bene-„ficiis ſæcularibus & regularibus duæ partes ſint in diſpoſitione „Papæ, & tertia pars remaneat in diſpoſitione Ordinariorum, ita „quod duo prima cedunt Papæ, tertium Ordinario. Apud ipſos etiam Gallos, ubi non adeo liber reſervationum Apoſtolicarum curſus alias fuerat, exſpectativas ſaltem, & mandata de providendo, eo ipſo tempore, quo Decreta Baſileenſia amplecterentur, eaque ſanctione Regni pragmatica communirent, in octo menſibus a Pontifice data fuiſſe, non quidem eo ſenſu, quod generaliter VIII. menſes ſibi Pontifices reſervarent, ſed quod declararent potius, IV. menſes ab exſpectativis & Mandatis Apoſtolicis immunes eſſe, atque ita illos IV. menſes potius in favorem Epiſcoporum aliorumque Ordinariorum reſervarent, ex ipſa ſanctione pragmatica ſupra relata *tit. de Collat.* §. *Fruſtra enim* & §. *Quodſi quis*, iterpretante ſic ejusdem Sanctionis Gloſſographo Cosma Guimier, ſatis eluceſcit. Cum itaque Germana Natio in ſuis Concordatis id demum impetrarit, ut ejusdem Ordinarii dimidiam hanc Beneficiorum partem alternis cum Pontifice menſibus queant conferre; & quod plus eſt, tempus inſuper iisdem Ordinariis Germaniæ conceſſum fuerit, deliberandi, utrum factam ita in Concordatis diſpoſitionem acceptare, an vero libertatibus, privilegiis ſuis forte majoribus, antea habitis, & poſſeſſis, uti impoſterum & gaudere velint; Dignitates demum majores reſpective & principales in favorem Ordinariorum liberæ eorundem Collationi, ex deductis hactenus, ſint relictæ; mirum amplius eſſe haud poteſt, cur Natio hoc in puncto cautius ſibi proſpicere, adjectaque hac clauſula ſingulari plane & energica, omnem e medio ſollicitius removere occaſionem voluerit, qua forte nacta Romana Curia pactam hancce tam multo labore, & vi Concordatorum in perpetuum ſervandam, quoad medietatem ſaltem beneficiorum, libertatem in controverſiam noviter adducere futuris temporibus meditaretur. Viam autem hæc omnia amovendi non credidit tutiorem, & expeditiorem, quam ſi ſua Concordata tanta donaret firmitate, ut

nonniſi accedente duplici hac conditione, congregatione ſcilicet alicujus Concilii præhabita, & conſenſu totius Nationis ſuffragante immutari ea poſſent, atque alterari.

CAPUT V.

Annatarum determinationem, variamque earundem per Concordata modificationem enumerat.

SUMMARIA.

I. *Tertium Concordatorum objectum Annatæ conſtituunt.*
II. *Annatarum variæ ſpecies, Annatæ videlicet proprie dictæ, communia ſervitia, & minuta, ac denique quindennia enumerantur.*
III. *Origo Annatarum conſuetudini aſſeritur, in qua tamen indaganda Annatæ proprie dictæ a communibus ſervitiis, in utriſque vero pia conſuetudo facti, ſive ſpontanea oblatio a juris neceſſitate ſecernenda eſt.*
IV. *Communia ſervitia originem ſuam ſpontaneæ liberalitati exemptorum, & aliorum in diſcordia Romæ Confirmatorum debent.*
V. *Anteriora ejuſdem exempla Sæc. IX. X. & XI., etiam XIImo continuata allegantur.*
VI. *Etiam* JUSTINIANI *ævo, aut Sæc. VI. quædam ſervitiorum communium ſpecies non prorſus incognita, quid? quod ab eodem moderata ac determinata fuit.*
VII. *Annatarum quoque proprie dictarum ibidem præludia quædam deprehenduntur, collatione Beneficii poſthac ab ordinatione diſtingui cœpta, imo & poſt Concilium Lateran. III. ab Epiſcopis continuata.*
VIII. *Ab Epiſcopis ad Summos Pontifices Annatæ pervenerunt, a* CLEMENTE V. & JOANNE XXII. *particulari primum, dein univerſa-*

verſaliori, ſed temporaria ſaltem, a Succeſſoribus tamen Pontificibus itendidem reſuſcitata lege indictæ.

IX. *Inter hos* Bonifacius IX. *tam ſervitiorum communium, quam Annatarum proprie dictarum potiſſimus auctor aſſeritur, qui utraque & perpetuavit, & ad hodiernam formam reduxit.*

X. & XI. *Inde piam conſuetudinem vel ſpontaneam liberalitatem prius in Epiſcopatibus & Abbatiis viguiſſe, vel ſervitiis communibus præluſiſſe, legis autem neceſſitatem prius inferiora Beneficia affeciſſe, ac Annatas proprie dictas introduxiſſe, infertur.*

XII. *Quod ex querelis Regum & Principum, Gallorum præcipue, contra Annatas obmotis ulterius confirmatur.*

XIII. *Hæ ipſis Annatis & communibus ſervitiis coævæ, & quidem eæ, quæ ſubſtantiam earundem impugnabant, recenſentur.*

XIV. *Aliæ, quæ ad modum earundem pertinebant, ſubjunguntur.*

XV. *Quibuscum Germana Natio quoad utrumque querulandi caput conſpiravit.*

XVI. *In Concilio Piſano* Alexander V. *jus tantum ſpolii, retento jure* Annatarum, *abdicaſſe videtur.*

XVII. *In Concilio Conſtantienſi pariter Annatæ rejectæ, aut abolitæ non fuerunt.*

XVIII. *Poſt idem Concilium a Gallis, quamvis præſentatas ſibi Conſtitutiones, ex eodem ſubmiſſas, rejeciſſent, denuo tamen ſolutæ fuere.*

XIX. *Natio Germanica in eodem Concilio per concordiam ſpecialem in earundem ſolutionem & continuationem, ſub limitationibus fere iisdem per Concordata Aſchaffenburgenſia poſtea conventis, generoſius conſenſit.*

XX. *Quæ tamen Concordia ad quinquennium duntaxat, id eſt, ad Concilii eo elapſo celebrandi tempus uſque duratura erat.*

XXI. & XXII. *Concilium quoque Baſileenſe Seſſione tam XII., quam XXI., nonniſi ſub conditione aliter providendi Papæ ejusque Curiæ, Annatas abolere ſtatuit.*

XXIII. *Quam Conditionem etiam Natio Gallicana agnovit, atque exemplo ſaltem ſuo probavit.*

XXIV. *Major noſtræ Nationis Germanicæ in abnuendis Annatis aſperitas ex Aviſamentis Moguntinis, & Bulla* EUGENII IV. *Concordatis prævia oſtenditur.*

XXV. *Ad præſentem Concordatorum* §. *tranſitur, quo querelis Nationis tam ad ſubſtantiam, quam modum Annatarum pertinentibus ſatisfactum fuit.*

XXVI. * *Verbis* §. *præſentis initialibus titulus Annatarum, quales varii inſufficientes a Doctoribus, a Pontificibus ſerius alii aſſignabantur, determinatur.*

XXVII. * *Qui in proviſione, id eſt, in ſubventione neceſſaria Summo Pontifici debita collocatur, ſuffragantibus Concilio & Concordatis Conſtantienſibus, quin & Bulla* EUGENII IV. *præambula.*

XXVIII. *Eandem in Regula & quoad ſubſtantiam Summo Pontifici ex omni jure deberi, annuentibus Gerſonio, Alliacenſi, & Concilio ipſomet Baſileenſi, ejusque præſide Juliano Cardinale defenditur.*

XXIX. *Objectum tamen Concordiæ eſſe non deſinit, & conſenſum Nationum quoad modum, variasque ſui determinationes variis ex cauſis neceſſario requirit.*

XXX. *Qui conſenſus non conditionate, ſed abſolute præſtitus docetur.*

XXXI. *Non obſtante Statuum Imperii & Imperatoris Caroli V. prætenſione.*

XXXII. * *A ſubſtantia earundem quoque modus in Concordatis apte diſtinguitur, diſtinctione etiam inter communia ſervitia & Annatas proprie dictas huc pertinente.*

XXXIII. * *Eccleſiæ, ſive Dignitates, ex quibus ſervitia communia ſolvuntur, determinantur.*

XXXIV. * *Quantitas ſervitiorum communium ex taxa in libris Cameræ Apoſtolicæ determinata dimenſuranda eſt.*

XXXV. *In qua tamen non omnino confidebant ſemper Nationis Germanicæ Proceres teſtantibus eorundem querelis.*

XXXVI. *Quas non omnino vanas fuiſſe, experientia ſubſequa, & diverſæ argumentorum novorum, quæ prætexi ſolent, cauſæ edocent.*

XXXVII.

Digitized by Google

XXXVII. * *Remedium hiſce querelis oppoſitum in Concordatis retaxatio ſtatuitur hodiedum nullo adhuc termino perempta aut excluſa.*

XXXVIII. * *Temporarium prӕterea remedium, partialis videlicet vel totalis remiſſio, exigentibus temporum calamitatibus & Eccleſiarum neceſſitatibus ſpondetur ex juſtitia debitum.*

XXXIX. *Et jure quidem potiori prӕ privatis illis Vacabilia ita dicta in Curia obtinentibus.*

XL. *Quod tamen jus potius Eccleſiis particularibus, quam Imperio conceſſum noſcitur.*

XLI. *Cui ſaltem jus quoddam extraordinarium aſſerit* TEXTORIS *ſententia, quӕ mitigatur.*

XLII. *Hactenus dicta domeſtico hujatis Eccleſiӕ Cathedralis Herbipolenſis exemplo confirmantur & illuſtrantur.*

XLIII. * *Tam inquiſitio, quam retaxatio alterutro in caſu adpromiſſa per commiſſionem eſt facienda.*

XLIV. * *Tempus quoque ſolutionis ſtabilitur, quoad dimidiam nimirum partem primus, quoad alteram ſequens, ſive alter a die obtentӕ poſſeſſionis annus, obſervantia tamen hodierna repugnante.*

XLV.* *Nequaquam vero ſimilis obſervantia alterum favorem ſuſtulit, ut bis vacante intra eundem annum Eccleſia tantum ſemel ſervitia conſueta ſolvantur.*

XLVI. * *Ex quo Annatas onus quidem reale eſſe colligitur, non tamen in ſucceſſorem tranſitorium, expreſſa Concordatorum exceptione repugnante.*

XLVII. *Quid vero de altero caſu, ſi eodem vivente Prӕlato pluries vacet Eccleſia, ſit ſentiendum, paucis exponitur.*

XLVIII. *Sub ſervitiis communibus etiam minuta hic comprehenduntur, quorum diverſa ab Annatis repartitio enumeratur.*

XLIX. * *Annatarum proprie dictarum a ſervitiis communibus differentiӕ quӕdam in Concordatis notatӕ recenſentur.*

L. * *Exceptio ſpecialis Concordatorum in annuo valore XXIV. Ducatos auri de Camera non excedente fundata ex conſuetudine ad omnia Beneficia Germaniӕ inferiora non conſiſtorialia extenditur.*

Digitized by Google

LI. *Cujus conſuetudinis in Gallia etiam vigentis origo parodoxa ſatis refertur.*

LII. *Ejusdem origo pro Germania obſcurior quidem,*

LIII. *Probatio tamen vel inde efficacior eſt, & ipſiusmet Curiæ Romanæ præjudiciis, praxi, & Curialiſtarum ſententiis roborata.*

LIV. * *Clauſulæ finalis:* Niſi in futuro Concilio, *hic adjectæ rationes ſpeciales recenſentur.*

LV. *Ex quibus omnibus moderatas ac temperatas fuiſſe Annatas, colligitur.*

LVI. *Sed & juſtificari, atque a Simoniæ labe purgari vel ſolis Concordatis poſſunt.*

LVII. *Utpote quibus (a) juſtiſſimus ſubventionis iiſdem aſſeritur titulus.*

LVIII. *Indeque (b) ab incommodis, & abſurdis Simoniæ ſequelis immunes oſtenduntur.*

LIX. *Atque (c) onus mere reale ſunt ipſis reditibus impoſitum non pro collatione, ſed occaſione vacationis ſolvendum.*

LX. *Ex tempore quoque (d) ſolutionis per Concordata convento illuſtratur, non repugnante etiam bodierna obſervantia contraria.*

LXI. *Atque inſuper (e) ex caſu vacationis ejuſdem Eccleſiæ infra eundem annum bis contingentis ſpecialiter excepto.*

LXII. *In utilitate Concordatorum ac debita eorundem obſervantia cum brevi quadam anacephaleoſi concluditur.*

I. Quisquis ad funeſtos illos, atque diuturnos, qui Inclytam Nationem Germanicam, uti cæteras permultas, a Curia Romana diviſerant, motus animum oculosque reflectere penitius voluerit, eos profecto non ita ſoli Beneficiorum inferiorum reſervationi, aut Canonicarum ad Dignitates Electionum turbationi adſcribendos eſſe perſpiciet, quin & magnam illorum partem in earum, quæ Sedi Apoſtolicæ præſtari jam tum debuerant, ingentium taxarum pecuniariarum perſolutione reponendam eſſe, facile intelligat. Spectata enim utrarumque origine, comites hæ illarum deprehenduntur individuæ, aut ſaltem pediſſequæ. Et quam parum quispiam ſuæ authoritatis ac poteſta-

teſtatis detrimentum æquis ſpectare oculis patitur; tam moleſta & inviſa quoque burſalium emolumentorum imminutio, authoritate præſertim imperata, aut ex Jure quodam ac debito prætenſa, videtur. Integras præcipue Nationes offendi maxime paſſim videas, dum principalem rerum gerendarum nervum, quem in ſuas nonniſi neceſſitates, in communis tranquillitatis conſervationem, onerumque cuivis Nationi propriorum ſuſtentationem ſingula earum membra conferre amant, atque ſufficientem vix inveniunt, in exteras tranſire terras, evacuatis ærariis ſuis, conſpiciunt. Unde ſicut mirum non eſt, præſtationes ejusmodi pecuniarias Sedi Apoſtolicæ pendendas iisdem contradictionibus, atque querelis, quibus reſervationes, obnoxias fuiſſe; ita, ut integra eſſet pacis, unionis, atque concordiæ reſtauratio, tertium hæ Concordatorum inter Curiam Romanam & Nationem Germanicam objectum conſtituere debebant.

II. Diverſæ autem harum præſtationum ſpecies, atque appellationes inde variæ occurrunt, quas ex FAGNANO ad *Cap. Præterea I. Ne Prælati vices ſuas vel Eccleſias &c.* in Diſſertatione Præliminari *Cap. III. Sect. II.* jam mutuati fuimus, atque hoc rurſus loco prænotandas cenſemus. Nam licet communi ſæpe Annatarum nomine generatim ſumpto omnes venire ſoleant, quo quæcunque penſiones ſive præſtationes pecuniariæ, quæ de Epiſcopatuum, aliarumque Dignitatum & Beneficiorum Eccleſiaſticorum vacantium fructibus primi anni, vel ratione eorum Cameræ Apoſtolicæ ſolvuntur, comprehenduntur; quatuor tamen diverſas in ſpecies, ſive præſtationum & taxarum claſſes diſpeſcuntur: in *Annatas* nimirum proprie, & in rigore ac ſtrictiori ſignificatu acceptas, *communia Servitia*, *Minuta Servitia*, ac denique *Quindennia*, ſive *Quindenas*. *Annatæ* enim proprie acceptæ ſunt dimidia pars fructuum primi anni, quæ Cameræ Apoſtolicæ de inferioribus Dignitatibus, ac Beneficiis ſæcularibus æque ac Regularibus, ſolis nimirum Epiſcopatibus & Abbatiis Conſiſtorialibus exceptis, proviſioni immediatæ Papali obnoxiis, quorum

valor annuus ſecundum taxam Cameræ XXIV. florenos auri de Camera excederet, fuerat ſolvenda. Atque hæc integre ſoli Summo Pontifici aut Cameræ Apoſtolicæ relinquitur. Altera atque diſtincta ſpecies, licet vulgo Annatarum quoque nomine venire ſoleat, ſunt *Communia Servitia*, ita ab Italis paſſim, & ipſis quoque his Germaniæ noſtræ Concordatis nuncupata; atque hoc nomine ea fructuum primi anni pars, ſive ſumma certa pecuniæ intelligitur, quæ eorundem ratione poſt novi Prælati electionem prædictæ Cameræ, ſecundum ejus librorum taxam, de Epiſcopatibus & Abbatiis Conſiſtorialibus, ſive ex quibus juxta ſuperius dicta pro confirmatione ad Sedem Apoſtolicam recurrendi uſus viget, perſolvitur. Horum enim media pars Pontifici addicitur, media vero Cardinalibus, atque ideo *Servitiorum communium* appellationem ſortita fuere, Interpretante ita hanc appellationem Cardinale TUSCHO *Tom. I. Practic. Concluſ. CCCXXVIII.*: „Papa recipit unam Annatam integram ex Beneficiis, quæ dantur „*Conſiſtorialiter*, & hæc Annata appellatur *Servitium commune.* „Quia negotium in Conſiſtorio examinatur, & fit proviſio. Et „ſic tam Papa, quam Cardinales inſerviunt, & laborant, & propterea medietas iſtius Annatæ eſt Papæ, alia medietas eſt Cardi„nalium, licet hodie Papa ſuam medietatem Officialibus diverſis „vendiderit.„ Tertia ſunt *Servitia minuta*, ſive quædam minores portiones Annatarum, quæ, ſecundum proportionem taxæ fructuum Epiſcopalium, vel Abbatialium, inter quosdam minores Curiæ Romanæ Miniſtros ſeu Officiales diſtribuuntur, ideoque ſervitia minuta appellantur. *Quindenæ* ſeu *Quindennia*, aut quinta decima poſtremo illa dicitur dimidia pars fructuum unius anni, quæ eidem Cameræ Apoſtolicæ ſingulis quindecim annis de Beneficiis quibuscunque, vel unitis, quæ propterea poſthac vacare non amplius contingat, vel Indulto a reſervatione exemptis eſt perſolvenda, quæ a prædictis, teſte FAGNANO, nomine tantum, & accidentali temporis prædefinitione differt, quia de quindecim in quindecim annos juxta Conſtitutionem PAULI II., abolitis

tis aliis ſolutionum Annatarum terminis uſque ad ſua tempora obſervatis, ſolvitur ab iis, in quorum favorem talia Beneficia ſunt unita, aut a reſervatione exempta.

III. Harum omnium originem, & progreſſum eadem in *Diſſertatione Præliminari* ex probatis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Documentis eruere jam tum conati fuimus; eam vero præprimis incertam, & conſuetudine ſenſim illas invaluiſſe deprehendimus. Quemadmodum enim pluribus exemplis opus eſt ad conſuetudinem tum conſtituendam, tum comprobandam; ita grave definitu eſt, cui potiſſimum Pontifici primordia conſilii hujus ſint tribuenda. Ex indagatione tamen originis cum plurimum pendeat momenti, & Jura, quæ nulla nituntur Lege Divina, ſed vel pactis, vel longinquis tantum conſuetudinibus, melius intelligi nequeant, quam ex temporis, quo primordia ſumſerunt, ſucceſſusque ſollicita indagatione; omnino illa nec hoc loco omittenda, ſed breviter & hic recapitulanda videtur. Qua in re Servitia communia ex Epiſcopatibus, & Abbatiis Conſiſtorialibus ſolvi ſolita ab Annatis proprie ſic dictis, in utriſque vero pia conſuetudo facti, & ſpontanea oblatio a juris neceſſitate haud vane ſecerni poterit, atque diſtingui.

IV. Et quidem *Servitiis* illis *communibus*, ſive taxis illis, quæ ex Prælaturis majoribus, Epiſcopatibus ſcilicet & Abbatiis Conſiſtorialibus in Curiam Romanam dimanant, antiquiorem ſuffragari conſuetudinem, ſed ſpontanea privatorum devotione ac oblatione nixam, omnino certum videtur, atque expeditum. De his enim ſæpius etiam ante invectas, ſtabilitasque earum reſervationes, jam taxas quasdam pecuniarias perſolvi ſolitas fuiſſe, iidem ipſimet fatebantur, qui tempore Conſtantienſis Concilii tam acerbe invehebantur in Annatas, quas & ipſi ſuſpicabantur, oblationes primo voluntarias fuiſſe eorum, quorum Confirmatio & Ordinatio Romæ celebrabatur, Epiſcoporum, Abbatumque Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectorum, aut etiam eorum non exemptorum, quorum electiones lite quapiam intentata laceſſeban-

tur. Ex Petro de Alliaco ſcite idipſum obſervat Thomassinus *Vet. & Nov. Eccleſ. Diſcipl. P. III. Lib. II. Cap. LVIII. num.* 11. Ibi. *De vacantibus vero, & fructibus primi anni majorum Prælaturarum Abbatialium, Epiſcopalium &c. nullum aliud initium fuiſſe invenitur, quam voluntaria, & gratuita oblatio quorundam, qui in diſcordia electi ad Abbatialem vel Cathedralem Eccleſiam &c. & talis oblatio vel gratuita datio juxta vulgare Italicum dicta fuit Servitium, & ſecundum Alemannos propina dicitur. Et dicta fuerunt communia ſervitia, quia communiter inter eos dividebantur, eoquod ſingulis dare fuiſſet nimium oneroſum.* Ex quo a veroſimili haud diſtare, idem Thomassinus concludit, eos, quorum electiones impetebantur, ubi viciſſent, Romæque confirmarentur, perſæpe & conſecrarentur, ſpontanea oblatione aliqua Pontificem veneratos eſſe, & ex arbitraria primum aſſuetudine, ut ſolet, contigiſſe, ut vinculum legis longo temporum decurſu necteretur.

V. Quodque præterea jam Ludovici Germanici temporibus, Sæculo IX., Summi Pontifices aliquas ex Eccleſiis Germaniæ, Metropoliticis præcipue Pallii honore donatis, præſtationes receperint, ſed & has pia tantum, ac voluntaria liberalitate, aut gratitudine nixas, Annales Bertiniani ad annum DCCCLXV., & Concilia Galliæ a Sirmondo collecta *Tom. III. pag.* 341 teſtantur. Regnante autem Ludovico Infante indubitati has juris eſſe, Epiſcopos & Archi-Epiſcopos Germaniæ crediḋiſſe, ex Epiſtola Theotmari Archi-Epiſcopi Salisburgenſis ad Papam Joannem data, & a Wigelio Hundio *Metropoleos Salisburg. Tom. I. pag.* 46. relata luculenter pateſcit, qua & debitum agnoſcit, & moram contractam ex Paganorum invaſione purgat, atque diluit in verbis: *Pecuniam veſtro juri debitam propter infeſtam Paganorum ſævitiam nec per me poteram, nec per alios tranſmittere, ſed quia Dei gratia liberata eſt Italia, quando citius potero, vobis tranſmittam.* Similem conſuetudinem, non omnibus tamen probatam, Sæculo poſthac XI. continuatam fuiſſe in Romana Eccleſia, Ivonis Carnotensis Epiſtolæ docent; quippe reſpondens Richardo Le-

gato

gato Apoſtolico, qui Ivoni exprobaverat, eum connivere cuidam pravæ conſuetudini Eccleſiæ Carnotenſis, ubi Decanus & Canonici quandam pecuniæ ſummam in receptione novorum Canonicorum recipiebant, ait Capitulum ſe tueri conſuetudine Eccleſiæ Romanæ: *Romanæ Eccleſiæ*, inquiens, *conſuetudine ſe defendunt, in qua dicunt, Cubicularios & Miniſtros Sacri Palatii multa exigere a conſecratis Epiſcopis vel Abbatibus, quæ oblationis vel benedictionis nomine palliantur, cum nec calamus, nec charta gratis ibi, ut ajunt, habeatur.* De ejusdem continuatione in Sæculo XII. teſtatur itidem Rogerius de Hoveden rerum Anglicanarum ſcriptor, dum Epiſcopum Cenomanenſem jam anno circiter MCLXXXX. in ſua ordinatione, non quidem pro conſecrationis munere, ſed honorarii nomine, ſeptingentas Marcas argenti, ſummam pecuniæ certe non modicam, Pontifici & Cardinalibus dediſſe, refert, & aſſeverat.

VI. Quin & altius eandem conſuetudinem ex Sæculo adeo VI. repetere licet ſuffragantibus ipſismet Legibus Juſtinianeis, dum jam tum uſus obtinuit, ut Epiſcopi in Conſecratione ſua Archi-Presbytero, & Archi-Diacono Ordinatoris, *Inthroniſticorum* & *Emphaniſticorum* nomine, certam pecuniæ ſummam traderent, cujus pars Epiſcopis, qui ad conſecrationem ex diverſis Provinciæ locis convenerant, Honorarii Congiariique nomine conferretur; pars vero Clericis & Notariis, qui in Ordinatione miniſtraverant, cederet; quæ propterea communibus illis, minutisque ſervitiis in Ordinatione vel potius Confirmatione Epiſcoporum hodie præſtari ſolitis haud immerito æquiparaveris. Hanc vero conſuetudinem eatenus ſaltem Justinianus *Nov. CXXIII. Cap. III.* confirmavit, ut ejusdem poſthac limites ibidem præfixos egredi non liceret. Quin & adeo illud verum eſſe ibidem teſtatur, ut nec ipſe Romanus Pontifex hoc cenſu immunis, exemptusque iis Romæ Senioribus ſolvendo crederetur, qui in ejus conſecratione ſuam quoque operam impendere. Taxatio tamen ipſa modum revera non exceſſit. Quippe ea, quæ

ſolvenda incumbebat Epiſcopo Romano, & cæteris quatuor Patriarchis, quæ haud dubie omnium major erat, coercebatur ad XX. Libras auri, id eſt, ad mille quadringenta ſcuta, niſi conſuetudo obtinuerit, ut minor ab eis ſumma exigeretur; aliæ infra mediocritatem conſiſtebant, quarum nonnullæ ad bis vel ter centum ſcuta, quædam ad quinquaginta porrigebantur; Atque eo prætextu accipiebantur, quo ſumptibus itineris, quod ex diverſis provinciarum locis congregandi ſubire debuerant, tum etiam moræ, quæ pro examine electionum & confirmatione facienda fuerat, conſuleretur.

VII. Ex hoc vero poſteriori exemplo, ubi illius antiquæ conſuetudinis exordia repeti voluerint; non minus quoque antiquæ cenſendæ ſunt eæ, quæ ab inferioribus reliquis Eccleſiarum Miniſtris præſtantur, Annatæ, ut ex ejusdem Novellæ ſupra citatæ *Cap. XVI.* facile convincitur, quo & moris jam inveterati, in ordinatione quandam taxam perſolvendi, mentio fit, idque unum cavetur, ne præſtationes ejusmodi unius anni emolumenta excederent, atque ita intra veros Annatarum limites conſiſterent. Inde certe Annatarum hodiernarum originem repetendam eſſe, credidit Gothofredus. Conſpirat etiam *Novella LVI. Cap. I.*, unde Boehmerus in *Notis ad* Arnoldi Corvini *Jus Canonicum Tit. XXV. Lit.* (*b*) eandem derivat. Atque illud praterea diſcriminis inter antiquas illas, ſi ita loqui fas ſit, Annatas, ac poſteriores hodiernas, de quibus in præſentiarum ſermo nobis eſt, intercedit, quod antiquæ illæ ſingulis Epiſcopis a Clero ſuo Diœceſano perſolvi ſolitæ fuerint, hodiernæ vero ſoli & uni Summo Pontifici ſint pendendæ. Sed eodem tamen exemplo Epiſcopi uſi fuiſſe etiam poſthac videntur, ubi collatio Beneficiorum Eccleſiaſticorum a ſacra Ordinatione diſtingui cœpit, ut tanquam cuſtodes & adminiſtratores eorundem omnium in ſua ditione vacantium fructus primi anni longe ante, quam Summi Pontifices idem Juris vel affectare cogitarent, partim jure ſuo,

partim

partim ob impenſam operam, plerumque non in proprium privatumque commodum, ſed ad neceſſarias Eccleſiæ expenſas addicerent, eoquod beneficia illa minora, cum ſtipite, a quo divulſa fuerant, rurſus per vacationem coaluiſſe, aut veluti rivuli ad Matricem Eccleſiam tanquam fontem, ex quo effluxerant, rediiſſe, aut tanquam res decerptæ, & detruncatæ ex menſa communi, quæ in poteſtate Epiſcoporum fuerat, in eandem reſorberi denuo exiſtimarentur. Id quod ante tempora Concilii Lateranenſis III., ubi Beneficia ſuæ collationis retinere, & eorum fructus ad aliquas ſui miniſterii neceſſitates ſeponere, integrum illis fuerat, certum omnino eſt, quin & aliquamdiu poſt ejus Concilii tempora non parvam hujus poteſtatis ac Juris partem tam vacantium Beneficiorum fructus per ſex ſaltem menſes ab eodem Concilio collationi præfixos percipiendo, quam etiam, collato intra eosdem ſolo titulo, ſibi ad aliquod tempus adhucdum ſegregando, eosdem retinuiſſe, atque exercitaſſe, Raymundus de Pennafort *in Diſſert. Prælim. Cap. III. Sect. II. n. 1.* laudatus, teſtis ſane maxime idoneus probat.

VIII. Ab Epiſcopis porro in Summos modo Pontifices id juris dimanaſſe creditur, dum ii poſt Concilium Lateranenſe, ut Annatas Beneficiorum ſuæ Diœceſeos, majori cum libertate, & ſine impedimento, in proprios præſertim uſus convertendas exigere poſſent, Indultis Pontificiis muniri geſtiebant, quorum frequentiora *Diſſertatio Præliminaris loco ſupra citato* exempla recenſet. Eodem enim jure, quo inferioribus id Indultum exigendi Annatas concedebatur, easdem a ſe quoque ipſis exigi poſſe, Pontifices arguebant. Et Clementem quidem V. primum anno MCCCV. Annatas Beneficiorum, imo & Epiſcopatuum Abbatiarumque ad duos tresve annos ſibi vendicaſſe, fatigatum crebrioribus Epiſcoporum precibus eas ſibi depoſcentium, ex Mathæo Weſtmonaſterienſi & Walsinghamo ibidem probatum dedimus; ſed nec ultra id temporis, nec ultra fines Angliæ effuſas fuiſſe, & ad comprimendam tantum Epiſcoporum aviditatem ſpectaſſe, nec deinceps uſurpatas eſſe conſtat. Aſt magis Joannem XXII, uti aliarum complurium Cancel

lariæ

lariæ Apoſtolicæ Ordinationum Auctorem & novæ Praxeos Beneficiariæ promotorem præcipuum, ita quoque ejusdem conſilii de Annatis exigendis ducem & anteſignanum principem, ſuffragante etiam THEODORO AMYDENIO, venditare licet, quamvis nec ipſe univerſali ſtatim, nec perpetua poſthac lege illas indixerit. Anno enim MCCCXVII. teſte RAYNALDO *ad eundem annum, num. XLIX.* fructus Beneficiorum in Anglia, Hibernia, & Vallia duntaxat vacantium ad ſublevandas, quibus premebatur, graviſſimas Eccleſiæ Romanæ neceſſitates exegit. Sed magis mox diffuſam & propagatam latius, ſi non univerſalem redditam fuiſſe exactionem illam ſaltem temporariam, ejusdem Conſtitutio anno MCCCXIX. publicata, & Extravag. *Cum nonnullæ II. de Præbend. int. Comm.* relata teſtatur, qua ſignificabat, ſe reſervatis ad urgentiſſimas Eccleſiæ Romanæ neceſſitates fructibus Beneficiorum in diverſis orbis partibus uſque ad triennium proximum vacaturorum, ea lege Præbendas, Canonicatus, & Dignitates Capitulorum complexum eſſe, variasque alias ambiguitates inde ortas explanabat. Nec parum forſan mirandum videtur, quod eo ipſo tempore, quo LUDOVICUS BAVARUS Imperator de defendendis & vindicandis Imperii Juribus plurimum cogitabat, JOANNEM XXII. nihilominus, utpote Papam intrepidum, de amplificandis ex ære Germanico Cameræ Pontificiæ reditibus cogitare potuiſſe. Sed vel ipſum illud diſſidium majorem huic Pontifici etiamnum modeſtiam ac moderationem perſuaſiſſe, ut certo tantum tempori has exactiones ſuas adſtringeret, a veri ſimilitudine haud multum abludere videtur. Temporarium vero iſtud tributum, quod JOANNES XXII. imperaverat, ſequentes modo Pontifices, moderatiores partim ac propenſiores, partim tepidiores Imperatores nacti, excluſis prioribus triennii limitibus, perpetuum eſſe ſanciverunt, ut nimirum exactionibus omnibus, vel authoritate imperatis, vel etiam ſola devotione ſpontanea nixis, familiare eſſe ſolet, ut pedetentim creſcant, & ingraveſcant.

IX.

IX. Inter hos igitur auctorem hodiernarum Annatarum peæcipuum fuiſſe Bonifacium IX, communius credunt cum Hiſtoricis Canoniſtæ. Hic enim Pontifex Anno MCCCXCII. durante ſchiſmate, & ingraveſcentibus inde rei pecuniariæ difficultatibus ob continuos armorum fragores ſanxit, ut redigendorum ex omnibus Sacerdotiis, quæ a Sede Apoſtolica conferrentur, vectigalium, quæ primo labente anno obvenirent, dimidia pars in fiſcum Pontificium inferretur; uti Odoricus Raynaldus *ad Annum MCCCXCII. Num.* VIII., & inſuper *ad annum MCCCXCII. Num. XII.* verba Theodorici Niem refert, quibus teſtatur, hunc Pontificem primos fructus unius anni omnium Eccleſiarum Cathedralium & Abbatiarum vacantium ſuæ Cameræ primum reſervaſſe. Atque idipſum de eodem Ponticifice ſcribit Platina in ejusdem vita, qui addit, quod Annata ab ipſo impoſita tantum conficeret dimidiam partem proventuum primi anni. Ibi: *Annatarum uſum Beneficiis Eccleſiaſticis primus impoſuit, hac conditione, ut, qui Beneficium conſequeretur, dimidium annui proventus Fiſco Apoſtolico perſolveret.* Unde quidquid ſit de primo Auctore, ac primigenia Annatarum origine, certum tamen eſt, quod forma, quæ hodie in ſolutione & exactione Annatarum tenetur, primum inducta ſit a Bonifacio IX., quemadmodum notat Fagnanus loc. ſup. cit. Num. X. dicens: *Antea enim per Pontifices exigebantur mediantibus eorum Commiſſariis fructus integri unius anni per triennium, tertia pars quolibet anno, reliquis duabus tertiis partibus proviſo relictis. Sed* Bonifacius *ut conſuleret ipſis proviſis, & obviam iret extorſionibus, quæ per Commiſſarios committebantur, reduxit Annatæ ſolutionem ad medietatem valoris annui fructus, cum onere tamen, ut proviſus anticipate de propriis pecuniis in relaxatione ſuarum literarum eam ſolveret. Et propterea in relaxatione ſupplicationis fiebat obligatio in Camera de illam ſolvendo; & ſic literæ in totum expediebantur, quæ retentæ in Camera Apoſtolica relaxabantur, mediante quietantia Theſaurarii.* Ac deinde monet, hinc patere, non ideo vocari Anna-

tam, quod complectatur fructus omnes unius anni, ſed quia ſolvitur ratione fructuum primi anni, vel quia dicta Annata per Bonifacium IX. introducta ſucceſſit in locum reſervationis, quam Pontifices (ſupradictam nimirum Joannis XXII. Conſtitutionem temporariam identidem reſuſcitantes) facere conſueverant, pro ſuis & Romanæ Eccleſiæ neceſſitatibus, de omnibus fructibus & proventibus unius anni Beneficiorum ad tempus vacantium, quæ exinde usque ad triennium, aut quinquennium, vel aliud tempus in certis deſignatis provinciis vacarent: quos quidem fructus pro ſe & Camera Apoſtolica Romani Pontifices per ſuos Collectores percipiebant.

X. Illud præterea ſpeciale, atque ideo notatu dignum eſt, quod illis præſtationibus, quæ ex Epiſcopatibus & Abbatiis quibusdam in Curiam Romanam redundare conſueverant, antiquior equidem conſuetudo ſuffragata fuerit, Legis tamen & Juris neceſſitas, quæ reliquorum inferiorum Germaniæ Beneficiorum primos fructus velut Summo Pontifici tributarios, atque vectigales onerare coepit, Epiſcopatus & Abbatias ſerius affecerit. Solus Clemens V. lege ſua juxta Mathæum Westmonasteriensem triennali, aut juxta Walsinghamum biennali, atque ad ſolos Angliæ fines coarctata Epiſcopatus quoque & Abbatias complexus fuerat. Perpetuam hanc legem non fuiſſe haud difficulter ex Durandi Mimatenſis Epiſcopi, Auctoris Libri, qui Speculum Juris dicitur, ac inde Speculatoris dicti Opuſculo: *De modo Concilii generalis celebrandi* evincitur. Juſſus enim a Clemente V. id edidit, quo veluti præluceret omnibus Concilii Viennenſis Epiſcopis, oſtenderetque, quibus Diſciplinæ maculis eluendis, quibus expurgandis corruptelis incumbendum eſſet. Magna ſane animi fiducia de Curia Romana diſſerit, graviterque, quod aliquid ab Epiſcopis, qui ibidem ordinabantur, exigatur, expoſtulat. Opportunus ſane cum primis hic videri poterat de Annatis agendi locus. De his tamen literam facit nullam. Id unum *Part.*

II.

II Tit. XX. commemorat, ab iis ſolum Prælatis, qui Romæ promovebantur, coetum Dominorum Cardinalium cum Papa certam portionem communem recipere, in verbis: *Cum illa Decreta, in quibus agitur de Simonia in Novo & Veteri Teſtamento, in Conciliis a Ss. Patribus, & Romanis Pontificibus damnata, non ſerventur, & maxime in Curia Romana, in qua etiam cœtus Dominorum Cardinalium vult habere cum Domino Papa certam portionem a Prælatis, qui promoventur ibidem, videretur ſuper hoc maxime providendum.* Verum præterquam non præciſe fructus primi anni, ſed aliquid tantum acceptum eſſe, dicat DURANDUS, non omnes inſuper Epiſcopos, & Abbates, ſed eos tantum, qui Romæ ordinabantur, adeoque pauciſſimos CLEMENTIS V. ætate, qua Abbates ab Epiſcopis, Epiſcopi vero a Metropolitanis ſuis & confirmabantur, & ordinabantur, huic exactioni obnoxios fuiſſe, in ſæpius allegata *Diſſert. Prælim. Cap. III. Sect. I. Num. IV.* animadvertimus.

XI. Simile teſtimonium ejuſdem omnino temporis hic ſuppeditat *Libellus de Recuperatione Terræ ſanctæ* juxta editionem BONGARSII inſcriptus Regi Angliæ EDUARDO a Patrono cauſarum Eccleſiaſticarum Ducatus Aquitaniæ oblatus. Is autem monita præſcribens ad EDUARDUM, ut ea itidem monſtraret, quæ Rex emendari procurare debebat in futuro Viennenſi Concilio, ita habe. Cap. XVII. : „ Conſideret etiam, qualiter ubique terrarum Eccleſiæ Romanæ ſubjectarum clamatur, cum aliquis „ de Simonia arguitur. Nonne videtis, qualiter Dominus Papa & „ Cardinales munera recipiunt ab ipſis, quibus Beneficia conferuntur, „ præſertim ab illis, quibus *de prælationibus providetur?* qualiter „ illis per ſuos mercatores ſub gravibus uſuris faciunt pe unias, „ quas ab eis capiunt, mutuari, præſertim *ab exemptis?* Videtis, quod, cum *duo electi*, quorum etiam unus habet jus, venire ſolent ad Curiam, demum poſt factas ab ipſis magnas expenſas & munera recepta, laboribus & periculis viarum ac „ Curiæ ſuſtentatis, inducitur uterque, & aliquando compelli-

„ tur alter renuntiare juri ſuo, totum in manibus Domini Pa-
„ pæ ponere, & qualiter Papa conſueverit alii de Eccleſia vel
„ Monaſterio providere, & qualiter conſuetum eſt, quod ſic
„ proviſus ſerviat Curiæ de magna pecunia, aliquando ſeptem,
„ octo, vel decem millibus libris ſub gravibus uſuris perceptis
„ ab illis, qui publice vocantur Papæ mercatores. Magnam & hic pecuniæ Summam, non præciſe Annatis, ſive fructibus primi anni proportionatam, & rurſus ab iis duntaxat, qui vel ob exemptionem, vel ob interpoſitam appellationem Romæ conſecrandi fuerant, pendi debuiſſe fatetur. Reditum ut plurimum annuum ei rei deſtinatum fuiſſe, teſtatur jam Hostiensis, ejusdem Durandi ſupra laudati Magiſter, qui circa annum MCCLX. floruerat, in Cap. *Inter cætera* XV. *de Offic. Ordinar.* ſed nulla adhuc lege imperatum, aut taxa ſpeciali determinatum, ac ſpontanea potius oblatione etiamnum contributum. Inde vero & Legem Annatarum, aut communium ſervitiorum manaſſe, ſed ſerius, haud dubium eſt. Joannes XXII., qui primum anno MCCCXVII. particulari lege ſolam Angliam, Hiberniam & Valliam ſtringente, ac deinde Anno MCCCXIX. univerſaliori & ad diverſas Orbis Chriſtiani Eccleſias extenſa, ad triennium Annatas exegit, conceptis verbis Epiſcopatus & Abbatias ſe excepiſſe teſtatur *Extrav.* Cum nonnullæ *de Præbendis int. Comm.* ſuperius allegata in verbis: *Præſertim cum Archiepiſcopales, & Epiſcopales Eccleſiæ, ac Regulares Abbatiæ ab hujusmodi ſolutione fructuum in dictis libris eximantur.* Unde merito concluditur, Epiſcopatus & Abbatias Annatarum legi non prius ſubfuiſſe, quam ſub Bonifacio demum IX., qui cum Annatas reliquorum Beneficiorum perpetuas reddidiſſet, & in aliam quandam formam, ut videlicet loco integrorum fructuum dimidia tantum pars, ſed ſtatim, & ante literarum Apoſtolicarum relaxationem ſolveretur, redegiſſet, eadem lege etiam Prælaturas haſce majores ſub Annum MCCCXCII. comprehendit.

XII.

Digitized by Google

XII. Neque enim ante hunc annum, aut Pontificem, ſuper Annatarum Epiſcopalibus, aut Abbatialibus Dignitatibus impoſitarum onere Regum querelæ auditæ fuerunt ullæ. Schiſmatis Avenionenſis illas partum fuiſſe, non dubitatur, ubi Eccleſia inter duos Pontifices, alterum Romæ, alterum Avenione ſedentem, ita ſciſſa fuerat, ut uterque mox Pontifex ad moleſtiſſimæ inopiæ anguſtias detruſus eſſet. Ei malo remederi tentavit CLEMENS VII., adverſus URBANUM VI. in Petri Sedem intruſus, invecto ſpoliorum jure in Epiſcoporum & Abbatum relicta extenſo; BONIFACIUS IX. mox memoratus, qui URBANO VI. GREGORII XI. Succeſſori ſucceſſerat, Annatarum inſtitutione atque extenſione. CAROLUS VI. Rex Galliæ Anno MCCCLXXXV. fulmineo quodam edicto in ſpolia detonuit, quæ CLEMENTIS VII. Collectores ex Epiſcopatibus & Abbatiis vacantibus capere cœperant. De Annatis equidem aliqua ibidem mentio inſpergitur, ſed de iis tantum, quæ ex minoribus Beneficiis Juris Patronatus Laicalis, aut Regiæ nominationis legebantur in verbis: *Dicti inſuper Collectores fructus, reditus, proventus primi anni omnium & ſingulorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum in noſtro Regno, per reſignationem, vel permutationem, aut alias quovis modo vacantium defacto capiunt, dato, quod ſint Beneficia, quorum collatio in Regalia, vel alias Nobis vel alicui Domino temporali Nobis ſubjecto pleno jure, vel quorum præſentatio ad Nos, vel alium Patronum Laicum pertinet, & tamen in reparationes ædificiorum nihil impendere volunt.* Ubi vero idem Rex Anno MCCCCVI. ſimile edictum adverſus Spolia tum exigi rurſus cœpta edidit, Annatas pariter proſcribere cœpit, quæ jam cum Spolio exigebantur. *Eccleſiam,* inquit, *Regni & Delphinatus importabilibus ſervitutibus oppreſſerunt, potiſſime Bona Prælatorum, & Virorum Eccleſiaſticorum decedentium, tam Religioſorum, quam Sæcularium, quæ Spolia defunctorum interdum nuncupantur, reſervando, & uſurpando. Fructus Eccleſiæ tempore vacationis Praelaturarum, aut Beneficiorum obvenientes levando, & capiendo, a Beneficiatis quibuscunque primam Annatam expetendo, & extorquendo,*

 cujus

Digitized by Google

cujus Annatæ medietatem quoad majores Dignitates Collegio Cardinalium conſueverant aſſignare, & Annatam ejusmodi una cum quadam pecuniæ ſumma, quam vocant minuta Servitia, & quam pro familiaribus eſſe dicunt, cum exactione Juramenti hactenus exegerunt. Iisdem fere verbis Senatusconſultum Pariſienſe eodem anno Annatas ex Epiſcopatibus & Abbatiis a Benedicto XIII, alias Petro de Luna, Clementi VIII. Avenione a Gallis ſuffecto exactas perſequitur: *A nonnullis*, inquiens, *ſpolia auferendo, ab aliis Prælaturarum & Beneficiorum Eccleſiaſticorum vacantias extorquendo... Ceſſabunt* Benedictus *& officiarii ſui ab exactionibus Annatarum primarum, fructuum, & emolumentorum Prælaturarum, & aliorum Beneficiorum vacantium. Ceſſabunt Cardinales a perceptione illius partis, quam in vacationibus Prælaturarum pro primis Annatis vel alias ante præſens Arreſtum percipiebant.* Hæ igitur primæ de Annatis Epiſcopatuum & Abbatiarum querelæ cum perſonuerint, de Annatis vero aliorum Beneficiorum minorum, uti & de ſpoliis utraque afficientibus dudum frequentiores antehac auditæ fuerint; argumento profecto ſunt, ſub hæc modo tempora majores Prælaturas iisdem fatigari incepiſſe.

XIII. Si vero ex querelis mox memoratis originem tum Annatarum proprie dictarum, tum Servitiorum Communium atque minutorum deduximus; conſectaneum profecto eſt, querelas haſce de Annatis a Nationibus motas iisdem jure optimo coævas aſſeri. Atque hæ partim ipſam earundem *ſubſtantiam* improbabant, partim ſaltem earundem *modum* impugnabant. Ad *ſubſtantiam* illæ merito referuntur, quæ injuſtas, quæ nullo vero titulo nixas, quæ Simoniacas, adeoque penitus abolendas incuſabant. Hos inter vero adhucdum mitius ſentire, ac loqui modeſtius videbantur, qui ſupremum ac illimitatum in omnia Beneficia & Bona Eccleſiaſtica Dominium, quo Annatæ niti videbantur, Sedi Apoſtolicæ denegabant, atque ideo easdem impugnabant, quod facultas Papæ, aut Eccleſiæ Romanæ conceſſa non dignoſcatur, neque competat pro libitu voluntatis, exactiones, ſive

præ-

præſtationes aliquas imponendi Eccleſiis, aut perſonis Eccleſiaſticis, „cum earum non ſit Dominus, ſed tantummodo Chriſtus, „maxime per quas cauſetur ipſarum oppreſſio, vel inde oriatur „ſcandalum, deturque cauſa murmurandi, vel etiam reſultet detrimentum animarum, aut fruſtretur, aut fraudetur intentio „fundatorum. Prælatorum proinde, atque Cleri, imo & Principum ad tributa ejusmodi imponenda deſiderabant conſenſum, quæ in tam grave vergerent detrimentum Eccleſiarum, quas ipſi Principes, vel eorum Auguſti Prædeceſſores fundaſſent. Vehementius econtra in has excanduerant, qui adeo Simoniacam in iis pravitatem deprehendi exiſtimabant, nullo propterea privilegio, conſuetudine, præſcriptione, aut alio titulo induci poſſe, rati, quod propter collationem, aut conſenſum promotioni aut electioni alicujus Monaſterii vel Eccleſiæ Cathedralis præſtitum, aliquid poſſit, vel debeat exigi, eoquod ſecundum Apoſtolicas & Canonicas traditiones clariſſime, ex eorum quidem ſententia, foret Simoniacum. Præterea oblatione ejusmodi, datione, & obligatione Annatarum alienationem involvi bonorum Eccleſiæ, quam Electi, aut Promoti Sanctionibus Canonicis facere prohibeantur. In utramque hanc querelarum cauſam illuſtris eſt locus MARSILII PATAVINI in *Defenſore Pacis*, quem JOANNI XXII., Annatarum proprie dictarum, quas lege quidem mere temporaria, uti ſupra memoravimus, Beneficiis duntaxat inferioribus impoſuerat, Autori, in Diſſidiis cum Imperatore LUDOVICO BAVARO habitis oppoſuit, *Part. II. Cap. XXII. pag.* 347. ubi inquit: *His adjice novum germen jam dictæ radicis, quod Romanus Epiſcopus* ex hac plenitudine poteſtatis *Beneficium obtinentibus ubique locorum absque ſui licentia interdixit condere teſtamenta, & ſic ad ſuam Sedem immediate decrevit bona devolvi, & debere conferri. Et quod amplius a malo eſt, quoniam Simonia, quamvis poſt factum expleatur, ampliſſima eſt, quod* eadem poteſtate reditus & proventus Beneficiorum omnium

nium, & ubique, quo primum anno vacantia fuerint, ſibi reſervat; ſecundum hunc morem ſibi congregans omnes mundi theſauros, & eisdem omnia Regna ſpolians, atque provincias, in quibus diſtribui debent Miniſtris Evangelicis, & perſonis miſerabilibus, aut in Reipublicæ, de qua ſumuntur, ſubſidium, quoniam ad hoc ſtatuta, & ordinata eſt. Conf. etiam RANULPHUS CESTRENSIS *Hiſtor. Lib. VII. Cap. XLII.* BERNARDUS GUIDO Epiſcopus Londinenſis in vita JOANNIS *pag.* 156. *edit. Baluz.*

XIV. Ad *modum* dein Annatarum eæ pertinebant Nationum querelæ, quæ exactionis & ſolutionis tempus, quæ mordacem nimium in exigendo ſeveritatem, cum cenſuris etiam conjunctam, quæ intolerabilem in taxatione earundem rigorem, atque exceſſum redarguebant, ideoque nec modum, nec pondus, nec numerum, nec menſuram in iis obſervari accuſabant, atque vel inde priorem Simoniacæ pravitatis labem fortius illis impingebant, aut, qui inter Theologos mitius adhucdum ſentiebant, PETRUS DE ALLIACO, & JOANNES GERSONIUS præcipue, hujus ſaltem ſuſpicionem, atque mali ſpeciem augeri exiſtimabant. Harum aliquæ ante Concilium Conſtantienſe & Baſileenſe jam percrebuerant, aliquæ in iisdem Conciliis repetitæ conſpiciuntur. Modus iſte exigendarum Annatarum tam invidioſus, nonniſi calamitoſiſſimi Schiſmatis partus fuerat, ſiqua fides antiquo ſcriptori, cujus compendiariam narrationem intexuit SPONDANUS *Annalibus ſuis ad annum MCCCXCIX. num.* 21. Scriptor enim iſte Conſtantienſis Concilii ſuppar teſtatum facit, ante Schiſma uſitatiſſimum fuiſſe, ut non ante ſolverentur Annatæ, quam quis Beneficii poſſeſſionem iniiſſet, nec ſolverentur, niſi paulatim, & crebra interpoſita mora, maxime ſi Beneficiarii pauperiores eſſent, ita, ut GREGORII XI. tempore infinita quædam pecunia ex nondum ſolutis Annatis deberetur Cameræ Apoſtolicæ. Quod ipſum etiam ex MARSILII PATAVINI loco in *Numero antecedente* recitato haud obſcure colligitur. At Schiſmate graſſante maximam ante pecuniæ partem, quam Bullæ annuerentur, ſolvendam, de reliqua

vero

vero Summa ſolvenda, intentatis etiam cenſuris, imo excommunicatione latæ ſententiæ, cum obligatione & hypotheca omnium bonorum mobilium & immobilium Eccleſiæ Camerariis Papæ facta, fuiſſe cavendum. Ita enim eos agere neceſſitas præcipiebat, quod eis literæ alias retinerentur, nec ante tribuerentur, quam ſolutio facta eſſet, aut obligatio conceſſa. Magni porro momenti erat hæc Bullarum retentio, ob Conſtitutionem BONIFACII VIII, qui *Extrav. Injunctæ de Elect. inter comm.* conſtituerat, nequis Epiſcoporum, tametſi conſecratus, aut Abbatum, tametſi benedictus, ante Bullas acceptas ullam muneris ſui partem attingere auderet. Unde allegatus jam ſuperius Rex Galliæ CAROLUS VI. anno MCCCCVI. die XVIII. Februarii ſupplicationibus Cleri Gallicani Pariſiis congregati benevolas aures accommodans, nec non Regii Cognitoris querimoniis concitatus, in eodem Edicto ſuperius allegato, quod inter Probationes libertatum Eccleſiæ Gallicanæ Tit. XX. Cap. VIII. inſertum proſtat, hanc inter alias ſuæ prohibitionis rationem affert, quod *in Annatis exigendis ſicut nec modus, ſic nec miſericordia, nec æqualitas ſervatur aut menſura: Et cum Prælatis probibeatur adminiſtrare ſine Bullis, quidquid placet, ſolvere inde compelluntur; quoniam alias Bullæ nequaquam expedirentur, prout dicunt. Ex quo Beneficium Eccleſiaſticum obtineri videtur cum pretio vel mercede, quod pro bono communi potius deberetur ſcientiæ aut virtuti.* Addit dehinc paulo inferius: „Super quo plurimis „& repetitis intervenientibus diſcuſſionibus maturis, per Prælatos & alios Viros Eccleſiaſticos ſupra dictos deliberatum extitit „& concluſum, quod attentis illis, quæ ſupra præmiſſa ſunt, „& aliis attendendis talia gravamina, & uſurpationes ſecundum „Deum & conſcientiam non poterant commode, aut debebant „amplius tolerari.„ Et eadem ex ratione anno MCCCCXVIII. idem Rex Chriſtianiſſimus habito antea conventu Prælatorum Eccleſiæ Gallicanæ, Patrum conſcriptorum Senatus Pariſienſis, & Deputatorum Pariſienſis Academiæ prohibuit, ne pecuniæ extra Regnum efferrentur, quovis prætextu etiam Annatarum, cauſa-

Digitized by Google

„tus, „*perhorridam* Simoniacæ perfidiæ labem Eccleſias, perſo-
„naſque Eccleſiaſticas Regni ac Delphinatus pervaſiſſe.„

XV. In idem quoque Nationis Germanicæ querimonias recidiſſe, & utrumque querulandi argumentum, ſive cauſam, id eſt, tam *modum*, quam *ſubſtantiam* complexas fuiſſe, luce meridiana clarius eluceſcit ex oratione JOANNIS DE BACHENSTEIN Decretorum Doctoris *Tom. XII. Concil. in Appendice Conc. Baſileenſis pag.* 895. relata, qua is tanquam unus e Synodi Baſileenſis Legatis EUGENIUM IV. Pontificem Florentiæ hortatus fuit, ut Decretum de Annatis, tum quod juſto, aut ſaltem perpetuo titulo carerent, tum quod in modo excederent, abolendis executioni mandari curaret. *Quamvis autem*, inquit, *iſtæ Annatæ introductæ fuerint ex Cauſa paſſagii terræ ſanctæ, nunc autem ceſſante cauſa ceſſare poterit & effectus. Etiam dictæ Annatæ hactenus ſublevatæ non ſunt converſæ in eum finem, & uſum, propter quem adinventæ fuerunt.* En! impugnatam ipſam Annatarum ſubſtantiam. *Maxime autem quondam ſuperioribus temporibus in ſublevatione Annatarum tantus rigor, tantæque exorbitantiæ, & tot inſuper deſtructiones & orbationes inſignium Eccleſiarum provenerunt, adeo etiam, quod in multis Eccleſiis cultus divinus nedum diminutus, ſed etiam in totum in collapſum reductus exiſtit. Multi enim notabiles Prælati ob non ſolutionem Annatarum innodati cenſuris Eccleſiaſticis multis annis a divinis abſtinentes, & tandem plurimi in ipſis ſic mortui in terra profana inhumati ſunt. Alii vero coacti ſunt vendere libros, calices, capſas reliquiarum, & ornamenta Eccleſiarum. Alia autem innumerabilia mala, quæ exinde ſubſecuta ſunt, in longum enarrare de præſenti ſuperſedeo.* Quæ omnia poſteriori loco recenſita ad modum Annatarum, & immanem illarum exceſſum reſpiciunt.

XVI. Expeditior ſemper via Nationum querelis ſatisfaciendi, ex ſupra dictis in Præfatione, viſa fuit Conciliorum celebratio, quam unam quoque ad tollendas haſce exactiones exſpectabant, ardentiſſimiſque votis ad unam omnes expetebant.

Ha-

Digitized by Google

Habitum proinde fuit anno MCCCCIX. Concilium Piſanum, in quo ALEXANDER V. Seſſ. XXII. profeſſus eſt, certum ſibi eſſe, firmumque ſedere poſthac abſtinere velle a reſervatione fructuum vacantium Beneficiorum in verbis: *Quod non intendit reſervare fructus medii temporis Beneficiorum vacantium.* Vacantium Beneficiorum fructus proprie ſpolia alias dicuntur, aut tanquam annexum quoddam Juris ſpolii ſaltem conſiderabantur. Collectioni autem ſpoliorum jam antea introductorum, ſeu fructuum vacante Beneficio obvenientium, acceſſerant ex ſupra dictis Annatæ, & per ipſos eosdem Collectores a Sede Apoſtolica ſubmiſſos fructus tam vacationis, quam primi anni legi ſolebant. Ac ipſæ quoque Annatæ ſæpius, ſuffragante ipſomet PETRO DE ALLIACO *Tract. de Regim. Eccleſiaſtico Cap. I.* Vacantiæ appellari conſueverant. De utrisque proinde liberale hoc ALEXANDRI propoſitum intelligi poterat. Revera tamen illud non ſpectaſſe niſi ad proventus vacantium Beneficiorum, ſeu ad ſpolia, nec ad Annatas exporrectum fuiſſe, haud ægre conceditur, imo & ſatis firmis argumentis adſtruitur, & experientia ſubſequa roboratur. Ratio quoque ſuffragatur, quod facilius Pontifex iſte induci potuerit, ad fructus ſpoliorum, & vacantium Beneficiorum, quam ad fructus primi anni abdicandos, repudiandosque, quod jure Regaliæ Galliarum Reges, & forſan Principes quidam alii adhucdum ſibi vendicabant fructus vacantium Beneficiorum, maxime autem Epiſcopatuum, cui tamen ex ſupra dictis *Cap. III.* jam antea Imperatores Germani OTTO IV, FRIDERICUS II, & RUDOLPHUS I. ſive HABSBURGICUS ſolenniſſime renunciaverant; facilius proinde Pontifex hic renuntiare voluit ei juri, quo cum Regibus atque Principibus ſummis collidebatur, qui tamen in proventus primi anni cujuslibet Beneficiarii novi nihil ſibi juris arrogabant. Quin & ſperare poterat, ſopitis ex parte, hac ratione, Nationum aliarum querelis, facilius adducendos eſſe hos Reges, & Principes, ut Annatis poſthac promptius aſſentirentur, contra quas diviſis nunc ſtudiis juxta tritum illud: *divide & impera*, Natio quoque Germanica prævalere poſthac non poſſet.

Digitized by Google

XVII. Multo id luculentius ex Concilio Conſtantienſi colligitur, quod a Pisano nullatenus receſſit, nec Annatas rejecit, quamvis Martinus V. fructus vacantium Beneficiorum rejecerit. Caute enim hic Pontifex fructus temporis, quo vacat Beneficium, a fructibus primi anni, quo Beneficium jam collatum eſt, ſegregavit. Solos namque illos repudiavit; de his vero, ſive de Annatis altum tenuit ſilentium; quamvis ſimile Nationes etiam eæ, quibus jus ſpolii remiſſum fuerat, non tenuiſſent, quin & maxima animorum æſtuatione, inſtitutis eum in finem Nationum, & Cardinalium deputationibus, communibus, iisque admodum vehementibus conſultationibus, ac deliberationibus ad appellationem uſque a Joanne de Scribanis Procuratore Fiſcali Cameræ Apoſtolicæ, atque a Cardinalibus per Joannem Poncetum de hac Deputatorum deliberatione ad futurum Pontificem interpoſitam, quæſtionem de Annatis ventilaſſent, & penitus abolendas easdem judicaſſent. Quæ contentio quoque effecit, ut auditis doctiſſimorum & celeberrimorum Theologorum Petri Cardinalis de Alliaco, & Joannis Gersonii Pariſienſis Eccleſiæ, & Academiæ Cancellarii, quorum eruditioni plurimum tum tribuebatur, ſententiis, Annatarum, & Communium ac Minutorum Servitiorum exactionem ac ſolutionem a labe Simoniaca vindicantibus, & modum duntaxat illarum improbantibus, Concilium Conſtantienſe hac ſuper quæſtione nihil prorſus definiret. Sed cum *Seſſione XL.* ſub *Titulo:* Reformationum a Summo Pontifice mox eligendo una cum Sacra Synodo faciendarum, octodecim capita proponerentur, quorum tertium de *Annatis, Communibus ſervitiis & minutis*; XI. *de fructibus medii temporis*, XVI. *De Proviſione Papæ & Cardinalium*, XVIII. *De Decimis* conceptum fuerat; quoad aliqua tantum Martinus V. in Declaratione ſua Seſſ. XLIII. edita reſpondit, quoad XI. nimirum his verbis: *Fructus & proventus Eccleſiarum, Monaſteriorum, Beneficiorum vacationis tempore obvenientes, juris & conſuetudinis vel privilegii diſpoſitioni relinquimus, illosque Nobis, vel Apoſtolicæ Ca-*

meræ

Digitized by Google

meræ prohibemus applicari. Quoad XVIII. vero hunc in tenorem declaravit: *Præcipimus & mandamus jura, quæ prohibent inferioribus a Papa Decimas, & alia onera Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis imponi, diſtrictius obſervari, per Nos autem nullatenus imponantur generaliter ſuper totum Clerum, niſi ex magna & ardua cauſa, & utilitate univerſalem Eccleſiam concernente, & de conſilio & conſenſu & ſubſcriptione fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium & Prælatorum, quorum conſilium commode haberi poterit, nec ſpecialiter in aliquo Regno vel provincia inconſultis Prælatis ipſius Regni, vel Provinciæ, & ipſis non conſentientibus, vel eorum majori parte.* III. vero de *Annatis*, & XVI. *de proviſione Papæ, & Cardinalium* prorſus omiſit. Sub Decimarum nimirum exactione & iſta quoque contineri videri poterat, & cum Annatarum exactio ad ferenda quoque Eccleſiæ univerſalis onera, quæ certe graviſſima Romano Pontifici incumbunt, fieret, eodem modo & hanc juſtificari exiſtimabat Pontifex, dummodo earum ſolutioni conſenſus Nationum accederet, qui in ſpecialibus Concordatis fere â ſingulis Nationibus fuerat explanatus. Quam ob rem in fine Seſſionis ejusdem Decretum adjecit his verbis: *Decernimus, & declaramus Sacro approbante Concilio per decreta, ſtatuta, & ordinata tam lecta in præſenti ſeſſione, quam Concordata cum ſingulis Nationibus ejusdem Concilii ſuper Articulis contentis in Decreto ſuper reformatione fienda die Sabbathi XXX. Menſis Octobris proxime præteriti promulgato fuiſſe, & eſſe jam ſatisfactum.* Quo aliisque Decretis perlectis, ut ex eadem Seſſione compertum eſt, JOANNES Epiſcopus Oſtienſis S. R. E. Cardinalis de voluntate Nationum, ac ipſius Synodi, & earum nominibus reſpondit in hunc modum: *De Mandato Nationum reſpondeo, quod placent Nationibus Decreta recitata, & cuilibet Nationi placet concordia cum ipſa per Dominum Noſtrum facta, & per præmiſſa fatentur dicto Decreto jam eſſe ſatisfactum.* Paulo aliter vero, referente HARDUINO, dicta Declaratio MARTINI V. in MSS. Cardinalis CAPRANICÆ & Vindobonenſi exhibetur; ubi & de *Annatis* Rubricam numero quartam continet, indeque pro-

Digitized by Google

viſionem Papæ & Cardinalium pro illorum ſuſtentatione, rebus Romanæ Eccleſiæ, ut erant, ſtantibus, poſthac deſumendam eſſe, Titulo XIII. decernit.

XVIII. Ex hiſce porro certiſſime colligitur, Synodum Conſtantienſem non judicaſſe, aut ſenſiſſe, abolendas eſſe Annatas, aut earum exactionem ſimoniacam eſſe, vel inhoneſtam, atque tandem, cum inſuper concordiæ cum ſingulis Nationibus initæ mentio in Decreto finali adjiciatur, Nationes demum omnes, ut nulla deliberationis ſuæ tunc haberetur ratio, conſenſiſſe. Recenſentur equidem eadem in Seſſione certæ conſtitutiones, quæ in Curia Parlamenti Regii Pariſienſis per Martinum Epiſcopum Atrebatenſem Anno Domini MCCCCXVIII. die X. Menſis Junii præſentatæ, ſed, Rege Edicto ſuo eodem Anno edito, quo Annatæ auferebantur, firmius inſiſtente, acceptatæ non fuerant. Anno tamen proxime inſequente MCCCCXIX. Annatas ex omnibus Beneficiis Regularibus & Sæcularibus in Gallia, renitente quidem Clero, at conſentientibus, aut non diſſentientibus Regibus adhucdum exactas, & earum tandem uſum corroboratum fuiſſe, teſtatur Spondanus *ad Annum* MCCCCXX. Quin etiam Burgundiæ Ducem Edictum Anni MCCCCXVIII. mox memoratum retractaſſe, & poſt obitum Caroli VI., ubi Angli rerum potiti ſunt in Gallia, Bethfordium Ducem, Regni Rectorem, Annatas reſtituiſſe, a Curia Romana ingentem gratiam initurum, refert Thomassinus. *Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl. de Benef. Part. III. Lib. II. Cap.* LIX., *n*, 3.

XIX. Noſtra vero Natio Germanica pro ſuo, quo ferebatur ſemper, non obſequendi tantum, ſed & gratificandi Sedi Apoſtolicæ ſtudio, ac nativo pacis & æquitatis amore oblatam ſibi a Martino V. concordiam propenſius atque facilius amplexata fuit, cujus tertius *de Annatis* §. iisdem fere verbis, quibus declaratio Martini V. ex MS Cardinalis Capranicæ ſuperius relato concepta fuerat, imo & iisdem fere, quibus præſens modernorum Concor-

dato-

datorum §. conceptus exſtat, efferebatur, videlicet: *De Eccleſiis & Monaſteriis virorum duntaxat vacantibus & vacaturis, ſolventur pro fructibus primi anni a die vacationis Summæ pecuniarum, in Libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ, quæ communia ſervitia nuncupantur. Siquæ vero male taxatæ ſunt, juſte taxentur: Et provideatur ſpecialiter in gravatis regionibus, ſecundum qualitatem rerum temporum & Regionum, ne nimium prægraventur: ad quod dabuntur Commiſſarii, qui diligenter inquirant, & taxent; (alias retaxent) Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum a die habitæ poſſeſſionis ſolventur, & pro media parte alia infra ſequentem annum: Et ſi infra annum bis vacaverint, ſemel tantum ſolventur. Nec debitum hujusmodi in Succeſſorem in Eccleſia vel Monaſterio transeat. De cæteris autem Dignitatibus, Officiis, & Beneficiis ſæcularibus & regularibus quibuscunque, quæ authoritate Sedis Apoſtolicæ conferuntur, vel providebitur in eisdem, præterquam vigore gratiarum exſpectativarum, aut cauſa permutationis, ſolvetur valor fructuum primi anni pro media parte infra ſex menſes a die adeptæ poſſeſſionis: & infra alios ſex menſes pro alia media parte; & debitum hujusmodi in ſucceſſorem in Beneficio non tranſeat. De Beneficiis vero, quæ valorem XXIV. florenorum de Camera non excedunt, nihil ſolvatur; Debitis omnibus præteriti temporis usque ad aſſumptionem Domini Noſtri, communium ſervitiorum, & Annatarum, pro medietate relaxatis ſolventibus aliam medietatem infra ſex menſes a die publicationis.*

XX.

Digitized by Google

XX. Temporaria hæc duntaxat fuerat Concordia, & ultra quinquennium non duratura, quo exacto ſua cuilibet Eccleſiæ, ſeu perſonæ, eadem comprehenſæ priſtino jure ſuo utendi libertas redire denuo debuerat, ut diſertis verbis Titulus ejuſdem XI., ſive finalis ediſſerit, ibi: *Item Sanctiſſimus Dominus Noſter Papa, & inclyta Natio Germanica cenſuerunt, & proteſtati ſunt, quod omnia & ſingula ſupradicta durare & tolerari debeant* USQUE AD QUINQUENNIUM DUNTAXAT *a datis præſentium numerandum, Conſtitutionibus Apoſtolicis, Regulis Cancellariæ factis & faciendis, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunque. Quodque per obſervantiam illorum nullum jus novum Romano Pontifici, Romanæ, aut alicui alteri Eccleſiæ, vel perſonæ acquiratur, aut præjudicium generetur. Sed lapſo dicto quinquennio quælibet Eccleſia & perſona ex prædictis liberam facultatem habeant utendi quolibet jure ſuo, non obſtantibus omnibus ſupradictis.* Quod ſane quinquennium eo duntaxat pertinuiſſe videtur, quod ſperaret Natio Germanica hoc elapſo, juxta Decretum: *Frequens*, ejuſdem Concilii Seſſ. XXXIX., novum convocatum iri Concilium, quo vel prorogatio Annatarum a Curia Romana, vel aptior, & opportunior tum ſuſtentationi Pontificis & Cardinalium providendi, tum Eccleſiarum inferiorum querelis ſatisfaciendi via a Natione exſpectabatur.

XXI. Succeſſit denique poſt varias difficultates, & aliorum Conciliorum fruſtra tentatorum viciſſitudines in *Præfatione ſuperius* enarratas Concilium Baſileenſe. Atque in hoc demum duo *de Annatis* Decreta edita ſunt, unum *Seſſ. XII.*, alterum Seſſ. XXI. Hujus utriusque Summa in Diſſertatione Præliminari abbreviata extat. Tenor autem prioris hic eſt: *Summum Pontificem hæc Sancta Synodus exhortatur, ut, cum ſpeculum & norma omnis ſanctitatis & munditiæ eſſe debeat, pro confirmatione earum electionum, quas ad eum deferri contigerit, nihil penitus exigat aut recipiat: alioquin, ſi ſecus faciendo notorie & incorrigibiliter ex hoc Eccleſiam ſcandalizet, futuro Concilio deferatur. Pro oneribus autem, quæ ipſum pro regimine univerſalis Eccleſiæ ſubire oportet, proque ſuſtentatione S. R. E.*

Car-

Cardinalium, *& aliorum neceſſariorum Officialium hoc Sacrum Concilium ante ſui diſſolutionem omnino & congruenter provideat. Quodſi contingat, aliquam circa hæc proviſionem non facere, tunc illæ Eccleſiæ & Beneficia, quæ usque nunc ex novi Prælati aſſumptione certam taxam ſolverint, deinceps medietatem hujusmodi taxæ per annum poſt adeptam pacificam poſſeſſionem ſolvere in partibus teneantur, duratura ejusmodi proviſione, donec Papæ, & Cardinalium ſuſtentationi fuerit aliter proviſum. Per hæc eadem Sancta Synodus non intendit in aliquo præjudicare Sanctæ Romanæ & univerſali Eccleſiæ, nec alteri cuicunque.* Ex quo colligitur, Annatas quidem abrogandas eſſe ſtatui, ea tamen conditione, ut Concilium in ſe curam ſuſciperet providendi ſuſtentationi & oneribus Eccleſiæ Romanæ, & Cardinalium. Quod eodem tendit, ac ſi Annatæ a Concilio potius confirmatæ fuerint, cum alios fundos, reditus proventusque in locum Annatarum ſubrogandos, ad ſublevanda Eccleſiæ Romanæ onera non aſſignarit, conceptis Decreti hujus verbis potius Annatæ perſolvi usque præcipiuntur, duplici tantum illa, quam in eadem *Diſſert. Prælim.* diſcuſſimus, conditione hoc in caſu poſita, prima, ut ſola medietas taxæ antehac ſtatutæ exigeretur; ſecunda, ut ante conceſſionem Bullarum illam ſolvere Prælati non tenerentur, ſed unius anni inducias poſt adeptam pacificam poſſeſſionem ad ſolutionem haberent.

XXII. Poſteriori, *Seſſionis* videlicet *XXI.*, Decreto ſeverius Annatis exilium indici videtur nulla amplius conditione adjecta in verbis: *In Nomine Spiritus S. Paracliti ſtatuit hæc ſancta Synodus, quod tam in Curia Romana, quam alibi, pro ſeu in confirmatione electionum, admiſſione poſtulationum, præſentationum proviſione, collatione, diſpoſitione, electione, poſtulatione, præſentatione etiam a Laicis facienda, inſtitutione, inſtallatione & inveſtitura, de Eccleſiis etiam Cathedralibus, & Metropolitanis, Monaſteriis, Dignitatibus, Beneficiis, Officiisque Eccleſiaſticis quibuscunque, nec non ordinibus Sacris, & Benedictione ac Pallio, de cætero nihil penitus ante vel poſt exigatur, ratione literarum, Bullæ, Sigilli, Annatarum, communium & minu-*

torum Servitiorum, primorum fructuum, deportuum, aut ſub quocunque alio titulo, colore, vel nomine, prætextu cujusvis conſuetudinis, Privilegii, vel Statuti, aut alia quavis cauſa vel occaſione, directe vel indirecte, ſolum Scriptoribus, Abbreviatoribusque & Regiſtratoribus literarum ſeu minutarum pro ipſorum labore competenti ſalario ſolvendo. Huic autem Sacro Canoni, ſiquis exigendo, dando, vel promittendo contraire præſumpſerit, pœnam incurrat adverſus Simoniacos inflictam, & in ipſis Dignitatibus ac Beneficiis taliter obtentis nullum jus aut titulum acquirat. Obligationes quoque, promiſſiones & cenſuræ & mandata, & quidquid in præjudicium decreti hujus ſaluberrimi fieri continget, nullas obtinere vires, atque irrita cenſeantur. Et ſi, quod abſit, Romanus Pontifex, qui præ cæteris Univerſalium Conciliorum exequi & cuſtodire Canones debet, adverſus hanc Sanctionem aliquid faciendo Eccleſiam ſcandalizet, generali Concilio deferatur. Cæteri vero pro modo culpæ juxta Canonicas Sanctiones per ſuos ſuperiores puniantur. Verum & hoc Decreto ſupponitur, vi Decreti *Seſſ. XII*, quocum omnino conciliari debet, aſſignatum jam fuiſſe, aut aſſignandum mox fore fundum alium, & uberem aut ſufficientem ſaltem proventum ad onera Curiæ Romanæ, & Cardinalium expenſas, Miniſtrorumque. Optatiſſimum enim ſemper fore crediderant congregati ibidem Patres, ut ſui Cardinalibus Eccleſiæ Romanæ proprii, certi, ac ſtabiles eſſent proventus annui; nec arduum id fore, ſi, reſtricto ad mediocritatem, juxta ejusdem Synodi Baſileenſis votum atque ſententiam, eorundem numero, aurea & ipſi mediocritate contenti eſſe vellent. Alias vero, & hac conditione excluſa, pugna foret fœdiſſima, & manifeſta conflictatio Decretorum Concilii. Quam maxime inſuper, & invictiſſime hujus conciliationis neceſſitas ex *Seſſ. XLIII.* ejusdem Concilii evincitur; ubi creato Papa, vel Anti-Papa Felice V., ad ejus & Cardinalium expenſas aſſignavit illi Concilium anno MCCCCXL. quintam partem proventuum ex omnibus Epiſcopatibus, Abbatiis, Dignitatibus, & quibuscunque demum Beneficiis per quinque proxime ſequentes annos. Authoritate propria

pria hanc reſervationem fecit Concilium, conſenſitque, ut hoc decreto nihil derogaretur Capitulis, vel Beneficiariis, quibus conſuetudo, vel privilegium, vel Statutum ſuffragaretur, ad Annatas ex iisdem ſuis beneficiis exigendas; integrum eis fore, ut eo jure ſuo uterentur, altero poſt Annatam Pontificiam anno. Ex omnibus his proinde colligitur, Annatas, ſepoſita tantiſper earum ſubſtantia, quoad exceſſum modumque exigendi, præſertim per retentionem Bullarum, & cenſurarum inflictionem, velut Ss. Canonibus contrarium, a Concilio Baſileenſi damnatas maxime fuiſſe, ac improbatas, de cœtero vero non penitus ſublatas atque damnatas.

XXIII. Inde porro eſt, quod ne Gallicana quidem Eccleſia, etſi tantopere aliena tunc ab Annatarum ſolutione, ei Decreto *Seſſ. XXI.* illimitate aſſenſa fuerit. Sed, cum anno MCCCCXXXVI. pro Eugenio IV. adverſus Baſileenſe Concilium libelli per orbem complures ſpargerentur, itaque uſus Annatarum authoritate Concilii Viennenſis, & Conſtantienſis, exemplo Orientalis ipſiusmet Eccleſiæ defenderetur, atque confirmaretur, illegalitas Decreti *Seſſ. II.* adverſus Pontificem & Cardinales abſentes concinnati, hujusque a tot undique hoſtibus laceſſiti anguſtiæ triſtiſſimæ, atque neceſſitas proponerentur: Congregatio generalis Eccleſiæ Gallicanæ anno MCCCCXXXVIII. Decreto *Seſſ. XXI.* ſupradicto Concilii Baſileenſis de Annatis acquievit. Et, ut voluntati tamen ejusdem Concilii obſequeretur, ſpectatis anguſtiis Pontificis, & Sacri Collegii voluit, ut Eugenius IV. quoad ſuperſtes eſſet, ad ſuas & Cardinalium ac Miniſtrorum neceſſitates quintam partem taxæ Cathedralium, Abbatiarum, & aliorum Beneficiorum perciperet, quamvis donum hoc eſſe gratuitum, quo nihil de Gallicanis decerperetur libertatibus, & quod ultra Pontificis vitam non pateret, caute ſolliciteque adjicerent.

XXIV. Major econtra fuerat Noſtræ Nationis Germanicæ durities, renitentia aſperior, qua jam inde a ſuſcepta ſtatim anno MCCCCXXXVIII. neutralitate nimio Decreti Baſileenſis po-

ſterioris illimitate accepti rigori tenaciſſime inſiſtens, uti nullas Beneficiorum reſervationes, aut Pontificias collationes ac proviſiones admiſit, ita nullas poſthac Annatas Cameræ Apoſtolicæ ſubmittere ſtatuit. Vehementiſſimam hanc renitentiam Aviſamenta Moguntina anno MCCCCXL. concepta, quæ ſub nomine Projecti Concordatorum, vulgo Concordaten = Vorſchlag, apud SENCKENBERG extant, verbis ſane rigidiſſimis teſtantur. Non tantum enim §. VI, ubi de electionibus Canonicis reſtituendis, & per immediatos Superiores confirmandis agitur, generatim omnes confirmatores ratione confirmationis aliquid exigere, aut etiam ſponte oblatum recipere ratione confirmationis ſub nomine ſubventionis, ſubſidii, gratitudinis, aut alio quovis exquiſito colore, prætextu conſuetudinis, privilegii, ſuperioritatis aut reverentiæ, ſeu quavis alia ratione præſumat, ſeveriſſime ſub pœna nullitatis & privationis poteſtatis ea vice confirmandi prohibet; ſed etiam poſtea §. X. ſpecialem & expreſſam ipſiusmet Summi Pontificis mentionem addit, & provocando ad Decretum Concilii Baſileenſis poſterius, ejusque verba diſerta referendo, Annatas detrectat, quin & ſubventionis nomine nihil poſthac a Pontifice a ſe recognoſcendo imponi, absque expreſſo conſenſu Nationis in alio generali Concilio, poſſe, §. ſequenti XI. adjicit, ſibique præſervat, ibi: *Item: Ne Romanus Pontifex, aut quivis alius Beneficiarius Eccleſiaſticus vel ſæcularis, pro confirmatione, Electione, admiſſione, poſtulatione, aut Collatione, proviſione, præſentatione, ſeu qualibet alia diſpoſitione circa Eccleſiaſtica Beneficia, Sæcularia, vel Regularia, & pertinentia ad ea, nec non ordinibus, ſacra Benedictione, ac Pallio, de cætero quidquam ante vel poſt exigat; ratione literarum pro ipſorum labore, competenti ſalario ſolvendo. Siquis autem exigendo, dando, vel promittendo contraire præſumpſerit, Simoniacorum pœnam ipſo facto incurrat, & in Beneficio taliter obtento nullum jus ac titulum acquirat, obligationes quoque, promiſſiones, cenſuræ & mandata & quidquid contra judicium hujusmodi ſtatuti quacunque etiam Apoſtolica authoritate contigerit attentari, nullius ſit*

robo-

roboris vel momenti: caveatur, ne illa, quæ tempore receptionis Beneficiandorum pro fabrica, ornamentis Eccleſiæ, vel divini cultus decore dare conſueverunt in principio receptionis, per hoc aboleantur, dum tamen non ad perſonarum, ſed Eccleſiarum utilitatem convertantur. Item: quod is, cui fiet adhæſio, nullam impoſitionem, vel exactionem faciat in Natione noſtra, occaſione proviſionis ſibi olim in Concilio Baſileenſi promiſſæ, niſi in alio generali Concilio de expreſſo conſenſu Nationis. Atque id modo multo luculentius ex Bulla Eugenii IV. Papæ Concordatorum prævia ſuper diverſis Indultis, diſpenſationibus, ac conceſſionibus datis Friderico Regi Romanorum, & Principibus Germaniæ, qui receſſerant a neutralitate & obedientiam ei præſtiterant, anno MCCCCXLVII. edita evincitur, ubi interea, quæ dictæ neutralitatis, & ſuſpenſionis animorum tempore plurima in Natione acta, geſta, & facta confirmationem, indulgentiam & diſpoſitionem Apoſtolicæ Authoritatis requirere ipſi videbantur, Annatarum quoque detrectationem recenſet, atque propterea §. VII. eaſdem pro tempore iſto præterito debitas remittit, atque relaxat in verbis: „Inſuper quaſcunque obliga„tiones ſuper Annatis, ſeu communibus & minutis ſervitiis, cæteris„que juribus Nobis & Cameræ Apoſtolicæ, ſeu Collegio Vene„rabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, cæteriſque „Officialibus debitis, ſeu quæ deberi dicerentur occaſione qua„rumlibet Metropolitanarum & Cathedralium Eccleſiarum, Mo„naſteriorum, Dignitatum, Officiorum & Beneficiorum quorum„cunque, uſque in præſentem diem remittimus, de noſtra libe„ralitate relaxamus, pariter & donamus, eoſque, qui in hujus„modi debitis obligati eſſent, ab omni eorum ſolutione abſolvi„mus, & etiam liberamus.„ Quid? quod & eadem libertas atque Concilii Baſileenſis favor ulterius quoque ad ipſam uſque plenariam Unionis & Concordiæ per Concordata reſtitutionem, & futuram in iis Decretorum Baſileenſium modificationem expreſſe Nationi Germanicæ ab eodem Eugenio in Bulla Nonis Februarii MCCCCXLVII. edita extenſus fuit, atque prorogatus,

ut nec tum, ſive tempore illo intermedio, Annatas ſolvere invita Natio compelleretur.

XXV. His igitur, qui prolixius hactenus, ut pro integra, ac pleniore rei hiſtoricæ ſerie debuerant, recenſiti fuere, paſſibus ad præſentem demum, qui diſcutiendus nunc nobis eſt, Concordatorum Germaniæ §. IV. *de Annatis*, tanquam tertio eorundem objecto, conceptum pedetentim progreſſum fuit. Atque uti querelæ Nationis Germanicæ partim *ſubſtantiam*, partim *modum* Annatarum attigerant, atque incuſaverant; ita hæc publica, & ſolennis transactio tam *ſubſtantiam* Annatarum, id eſt, juſtum, verum, ac legitimum easdem exigendi, ſolvendi & recipiendi titulum ab omni injuſtitia, aut Simoniacæ pravitatis labe immunem adinvenit, atque præſtituit, quam *modum* quoque illarum variis limitationibus determinavit, exceſſumque Nationibus præprimis gravem ſuſtulit.

XXVI. * Ad *Subſtantiam* proinde Annatarum generatim ſumptarum, id eſt, tam proprie acceptarum, quam communium Servitiorum ita nuncupatorum initialia hujus §. verba: *Placet ſimiliter nobis, quod circa proviſionem dictæ Sedis ordinandam modus Annatarum hoc modo currat*, pertinent. His quippe *finis*, propter quem ſolvuntur, aut juſta exigendi illas *cauſa*, ſive *titulus* determinatur. Super hoc enim *titulo* acerrime dudum diſputatum fuiſſe, atque in defectu ejusdem plerosque, qui Annatarum abolitionem urgebant, ſeſe fundaſſe, ac eapropter, cum alium ipſi aſſignare neſcirent, pro confirmatione aut proviſione ipſa illas exigi & ſolvi arbitrantes, Simoniacam in illis pravitatem incuſaſſe, ex recenſita ſuperius ſerie hiſtorica colligitur. Alii modeſtius aliquanto ſentientes diverſos, non tamen ſolidos, ſtabiles ac perpetuos, ſed magna ex parte temporarios duntaxat aſſignarunt, indeque, ceſſante cauſa & titulo, effectum quoque & exactionem ceſſare debere intulerunt. Horum e numero JOANNES DE BACHENSTEIN Decretorum Doctor, in laudata ſuperius oratione ad EUGENIUM IV. FLO-

RENTIÆ

RENTIÆ nomine Nationis de Decreto Concilii Baſileenſis ſuper Annatis executioni mandando habita, in promotione Expeditionum Cruciatarum, ſive Paſſagii in terram ſanctam finem ſive Cauſam introductionis Annatarum inveniſſe ſibi videbatur. Doctorum autem privatorum hæc tantum inveſtigandi induſtria fuerat; Authoritate econtra publica aut Pontificia in ipſa Annatarum inſtitutione, & origine nullus ſpecialis proditus fuerat. Conſtat enim, quod ſæpe etiam aliis in rebus jus publicum reſpicientibus is ordo ab iis, penes quos ſumma rerum reſidet poteſtas, atque authoritas, teneri ſoleat, ut primo poſſeſſionem meditentur, poſtea modo cauſam: occupata vero prius poſſeſſione, poſt faciles eſſe ſolent tituli, ac formæ, tegumenta æquitatis. Et quamvis nihil tam difficile eſſe debeat ex Doctorum Sententia, & ſana etiam ratione, quam Superioris contra inferiorem & ſubditum præſcriptio, aut acquiſitiva novorum Jurium conſuetudo, ejusque legitima juſtificatio; nihil tamen econverſo æque facile atque frequens eſſe ſolet, quam eandem prætendere, & prætenſam, atque aſſertam inventis undecunque novis titulis colorare. Ita Summi quoque Pontifices, quoad Annatas, eodem proceſſiſſe ordine fere dicendi ſunt. In ipſa Beneficiorum reſervatione tam arcte cum Annatarum ſolutione conjuncta, non alium etiam ſuperius ordinem deprehendimus, niſi quod expeditis quibusdam proviſionibus & ab Ordinariis acceptatis, deinde inſuper habitis poſterioribus Nationum oppoſitionibus, atque querelis omnis conſuetudinis & præſcriptionis impeditivis conſuetudinem enatam ac jus ſibi acquiſitum eſſe, cauſarentur Pontifices, ac tum modo varios & ſæpe ſpecioſiſſimos titulos antehac prorſus incognitos, E: C. in Dominio omnium Beneficiorum Eccleſiaſticorum adinvenirent, uti ex *Cap.* Licet. II. *de Præbend. in VI.* exemplo CLEMENTIS IV. facile oſtenditur. Ita etiam quoad Annatas & communia ſervitia ſpontanea querundam oblatio aliorum plurium exemplis roboraa conſuetudini locum dedit, & ad extremum prætextu hujus conſuetudinis, quod una & altera Eccleſia quandoque ſpeciali Summi Pon-

Pontificis exactione gravata conſenſit, aliis non exempli loco, ſed Legis antiqua jam conſuetudine firmatæ adinſtar obtrudi cœpit, ac Jus exinde per præſcriptionem enatum fuiſſe exiſtimabatur, uti reapſe PETRUS DE ALLIACO ipſemet ex antiqua præſcriptione Sedi Papali id Juris attribuit in Tractatu de Regimine Eccleſiaſtico *Parte II.* Cap. I. apud HERMANNUM VAN DER HARDT *Tom. V. Actor. Concilii Conſtant.* Poſtremo & ipſi Pontifices ſua authoritate titulum huic exactioni dudum continuatæ ſuperſtruxerunt, atque canonizarunt; & plerique in eadem ſupradicta proprietate bonorum omnium Eccleſiaſticorum, ac ſupremo eorundem Dominio Sedi Apoſtolicæ competente eundem repoſuerunt; quæ quidem opinio jam ævo BONIFACII VIII. auctoribus quibusdam adulatoribus, ut ait PETRUS DE MARCA *de Concord. Sacerd. & Imp. Lib. VI. Cap. XII. num. XI.* exorta, ſerius autem ab iisdem ad Annatarum juſtificationem translata fuit, ut teſtatur Conſtitutio PII V. *Cap. VII.* de Annatis *in VII.* relata, ubi ſtatuit, quod Annatarum, Servitiorum communium, & aliorum jurium exactio in recognitionem univerſalis Dominii introducta ſit antiquiſſima. A Doctoribus vero, & Nationibus integris hoc Dominium ſemper a primis jam incunabilis fuiſſe exploſum, ſuperius monſtravimus. Doctorum igitur ſeverior in Annatas criſis, & vehementior Nationum in illas invectiva poſtremo effecit, ut de juſto, legitimo, non contradicto, Canonico, firmo ac ſtabili demum titulo conſtituendo penſoſius cogitaretur.

XXVII. Conſtituitur proinde ille in *proviſione* Sedis Apoſtolicæ, videlicet in neceſſaria Summo Pontifici, ad publicas Eccleſiæ univerſalis neceſſitates ſublevandas, ac Miniſtrorum ſuſtentationem ſuppeditandam ſubventione. Hanc enim *proviſionis* nomine hic denotari, ex omnibus anteactis Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis geſtis, atque decretis, ventilatis ibidem Doctorum Diſputationibus, ex ipſis Nationum querelis, atque Aviſamentis, aut tractatibus præviis haud difficulter intelligitur. Ita enim inter Articulos octodecim reformationum per Papam una cum Conci-

lio

lio Conſtantienſi faciendarum a Nationibus oblatos, decimus ſextus *de proviſione* Papæ & Cardinalium conceptus fuerat, eique Decreti Seſſ. XLIII. juxta MS. CARDINALIS CAPRANICÆ & VINDOBONENSE jam ſuperius allegati Titulus XIII. *De Proviſione Papæ & Cardinalium* correſpondet, ac ſuſtentationem Pontificis & Cardinalium proviſionis iſtius nomine determinat, qui iisdem etiam verbis Concordatis Nationis Germanicæ cum MARTINO V. *Tit.* IX inſertus fuit; ad quod etiam ex Rubrica ejusdem IV. *De Annatis* inſcripta, & rurſus per eadem Concordata MARTINI V. quoad tenorem ſuum hodiernis Concordatis per omnia ſimilem confirmata oſtenditur, ubi loco verborum: *Circa proviſionem dictæ Sedis ordinandam*, hoc ponitur exordium: *Pro ſuſtentatione Summi Pontificis & Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium &c.* Et ipſe quoque EUGENIUS, in Bulla ſuperius *num. XXIV.* allegata, *ſub proviſionis* Sedi Apoſtolicæ faciendæ, ac per Concordata modificandæ appellatione aliud nihil, niſi neceſſariam ejusdem ſubventionem comprehendit.

XXVIII. Eandem proviſionem Summo Pontifici Univerſalis Eccleſiæ curam gerenti omni jure deberi aſſeruerunt, in Concilio Conſtantienſi duo illa Eccleſiæ & Univerſitatis Pariſienſis, imo & dictæ Synodi Oecumenicæ Lumina, PETRUS de ALLIACO, & JOANNES GERSONIUS, atque inde Naturali & Divino Jure niti eam legem, qua Annatæ debeantur, intulerunt, quamdiu Eccleſiæ illi ſubditæ aliunde non ſuppeditarent, unde Dignitas ejus pro ſua amplitudine ſuſtentaretur, ſive donec præſidia & adminicula alia opportuna Pontifici & Cardinalibus aſſignarentur, uſuque confirmarentur, vel approbarentur a Concilio generali. Eadem Concilio Baſileenſi ſederat quoque opinio, hinc, quamvis Annatas in confirmatione Electionum ſolvi ægre ferret, ipſum tamen Curam providendi ſuſtentationi & oneribus Eccleſiæ Romanæ & Cardinalium in ſe ſuſcepit, & ſi ante, quam ei rei proviſum eſſet, Concilium diſſolveretur, quæ hactenus Bene-

ſicia illis obnoxia fuerant, ea dimidium ejus Summæ poſt hac ſolvere, lege proviſoria decrevit. Idque multo magis confirmat Reſponſio Synodalis a JULIANO Cardinale, Sedis Apoſtolicæ Legato, ejusdemque Concilii Baſileenſis Præſide facta ad EUGENII IV. Oratores, qua eorum querimonias contra Decretum de Annatis Synodi nomine diluit; Cujus propterea, elegantiſſime profecto concinnatæ, tranſcriptio Lectori benevolo perjucunda erit: „ Secundo vero, *inquit* ab omni calumnia noſtrum Decretum defenditur. Per ipſum enim non interdicitur, quin pro vitæ ſuſtentatione, aliisque vitæ neceſſitatibus Summus Pontifex, aliarumque Eccleſiarum Epiſcopi Charitativum Subſidium indicere, Decimam, ſeu aliam quotam imponere, fructusque aliorum beneficiorum ad tempus reſervare, vel alias ſubventionum ſpecies petere poſſint. . . . quanquam autem ſic decretum ſit, & bene decretum, non tamen adhuc auditum eſt, quod hæc Sancta Synodus nolit Sedi Apoſtolicæ dignam & competentem facere proviſionem; imo hoc per ſuos Oratores jam pridem nuntiavit, & pollicita eſt, ſi tamen obſervantiæ Decretorum Synodalium, ut dignum eſt, rationem habuerit; & veluti in Corpore naturali reliqua membra ſuo Capiti neceſſaria provident, ut vitæ & ſuſtentationis influxus ab illo in ipſum deſcendat: ſic quidem æquum eſt, & rationi conſonum, ut Eccleſiæ per orbem diffuſæ Summo Pontifici, ſuisque Paſtoribus indigentibus, ut ab his ſalubriter regantur, & gubernentur, neceſſariam ſubventionem porrigant. Nihil autem ad bene regendam conſervandamque Eccleſiam æque utile & neceſſarium eſt, quam ut Synodales Canones, quos a Sancto Spiritu dictatos credimus, non negligantur, aut contemnantur. Illud autem ſilentio prætereundum non eſt, quod nec B. ATHANASIO, nec B. JOANNI CHRYSOSTOMO, nec B. THOMÆ Cantuarienſi per Romanos Pontifices, nec pauperibus Hieroſolymitanis per B. GREGORIUM de his Annatis ſubventum eſt. Neque enim adhuc hæc vocabula in Eccleſia Dei audiebantur,

neque

Digitized by Google

„ etiam alii Sancti Epiſcopi præclara charitatis & pietatis opera
„ de emolumentis Sigillorum explere conſueverant. Ex his facile
„ cile reſponſum patet ad ea, quæ primo loco Vos, Domine
„ Antoni? explicaſtis. Quoniam etſi pro vitæ ſuſtentatione, &
„ aliis juſtis neceſſitatibus Paſtoribus Eccleſiæ Jus commune,
„ Naturale, Divinum & humanum proviſionem facere jubeant,
„ *modum* tamen *juſtum*, nec *illum ſaltem pro ſemper præcipiunt.* Il-
„ lud autem conſtat, quod quanto exactio aliqua plus habet abu-
„ ſus, ſeu oneris, aut ſcandali, vel majorem ſpeciem mali; tan-
„ to amplius a jure Naturali & Divino diſcrepat, quæ huic die-
„ bus noſtris uſitato modo exigendi Annatas admixta eſſe, nec
„ Vos, nec quiſquam Amicus veritatis inficiari poterit. Quan-
„ quam autem *modus exigendi* uſitatus ſit in Eccleſia, ſi tamen
„ oneroſus aut abuſivus eſſe incipiat, nulli negare fas eſt, quin
„ *modum illum* Eccleſia poſſit in alium leviorem vel honeſtiorem
„ convertere; ea autem, quæ pertinent ad vitæ ſuſtentationem
„ ſeu utilitatem, vel neceſſitatem Eccleſiæ, quæ quidem de Jure
„ Naturali & Divino eſſe fatemur, neque abſtulimus, neque au-
„ ferre licitum videtur. Imo, ut plus dicam, etiam per nonnul-
„ los *ſuſtentandi modos*, qui in Jure ſtatuti ſunt, hæc Sancta Synodus,
„ ut prædictum eſt, Summo Pontifici proviſionem facere obtu-
„ lit, ſi & ipſe circa Synodalium Decretorum obſervantiam ani-
„ mum, ut decet, inclinaverit.

XXIX. Quamvis itaque ex laudata hac præclariſſima Juli-ani Cardinalis ſententia Jure Naturali, Divino, humanoque proviſio, ſive ſubventio Pontifici, tanquam Univerſalis Eccleſiæ Paſtori indigenti, nec aliunde proviſo, ab omnibus Eccleſiis inferioribus debeatur; Jus tamen Divinum, & Naturale, uti penuriam & indigentiam, aut aliorum mediorum defectum ſupponit, nec tamen determinat; ita etiam altera ex parte nec tempus, nec modum aſſignat, quo ſubventio illa ſit ſuppeditanda. Non æqualis eſt extra caſum neceſſitatis hujus ſubventionis Romano Pontifici præſtandæ obligatio, ac illius Levitarum contributio-

nis, de ſuorum redituum decima Summo Sacerdoti Aaronico pendendæ, ex Lege veteri Moſaica fuerat. Hæc enim ipſa modum quoque ſubventionis, absque ulla ad penuriam qualemcunque coarctatione, Divino præcepto, ſpecialibus tamen ejusdem Synagogæ rationibus, & Politiæ Judaicæ conditionibus attemperato, determinaverat. Prorſus autem alia nunc eſt Eccleſiæ Chriſtianæ Politia, ab illa Synagogæ quam longiſſime diverſa. Uti enim Levitis prater Decimas a populo præſtandas in diſtributione funiculi hæreditatis, id eſt, terræ Chanaan diviſione nulla quoque alia redituum pars præter Decimas Decimarum a Levitis ſolvendas Summo Sacerdoti divinitus aſſignata fuerat, imo nec aliunde obtingere, ſalvo legis illius ſyſtemate, facile poterat. Nullo alio proinde Pontifices Hebræi proventuum genere fruebantur. Aſt diſciplina Eccleſiæ Chriſtianæ alio modo ſuſtentationi Cleri ſui providit, diſtributis videlicet Eccleſiis in Diæceſes, quibus ſingulis ſua quoque bonorum Eccleſiaſticorum portio diſtincta fuerat, ac ſeparata, ſub adminiſtratione Epiſcopi conſtituta, & in ſuas ſuorumque Miniſtrorum neceſſitates diſpenſanda. Et in hac generali inſtitutione Romanis Pontificibus ſua quoque portio in Diœceſi Romana tributa fuit, qua & ſibi ſatisfactum dudum putarunt, nullum præterea ſubſidium implorantes, etiam tum, quando ſolis fidelium oblationibus potiebantur. Multo magis proinde Juris præciſe Naturalis & Divini neceſſitas ceſſare poterat, cum ad eam portionem prædia, & latifundia, aliaque ingentia patrimonia ab Imperatore CONSTANTINO, & Romanis Senatoribus, nec non PIPINO, CAROLO M., LUDOVICO PIO, Imperatoribus & Regibus aliis, nec non MATHILDE Comitiſſa, aliisque, Eccleſiæ Romanæ, vel maxime in authoritatis ejusdem reverentiam, & univerſalis ſollicitudinis compenſationem, in diverſis provinciis collata & adaucta acceſſere. Et quamvis, aucta Sedis Apoſtolicæ temporali Majeſtate, novas quoque ipſi præbitas fuiſſe ingentium ſumptuum occaſiones, aucta inſuper fuiſſe cum opibus onera, auctum denique cum oneribus & munerum, Officialium ac Miniſtrorum numerum, diffitendum haud

qua-

Digitized by Google

quaquam ſit; Cum tamen de his ipſis ſæpius dubitatio eſſe poſſit, quin & a Conciliis quandoque, præſertim Conſtantienſi, & Baſileenſi, obmota fuerit, an, quid, & quantum utilitatis aut emolumenti in Eccleſiam univerſam vel ex ſingulis aut certis quibusdam officiis, vel ex multiplicato nimium perſonarum quoque numero redundaret, aut quanta qualisve ſit illorum ad veram Eccleſiæ univerſalis ſalutem, ejusque conſervationem neceſſitas; in piaculum certe JULIANO Cardinali vertendum non eſt, quod absque conſenſu Nationum, aut pacto accedente hunc ſubventionis per Annatas præſtandæ modum non æque neceſſarium judicaverit, ſicut ipſa Oecumenica Synodus Conſtantienſis ſuo quoque exemplo quoad indictionem Decimarum *Seſſ. XLIV.* comprobavit, dum illarum quoque non alium quidem ſcopum, niſi ſolius ſubventionis ad onera & neceſſitates publicas Eccleſiæ univerſalis levandas, agnovit, easdem tamen, niſi accedente conſenſu tum Cardinalium & Prælatorum in Curia exiſtentium, tum Prælatorum etiam ipſius Regni, Nationis, vel provinciæ, in qua exigendæ eſſent, imponi poſthac non poſſe declaravit. Conſenſus autem hic Nationis Germanicæ nullibi antehac nec requiſitus, nec præſtitus fuit; & ſolennius certe, quam in his ipſis Concordatis publicis factum ſit, exprimi non poterat.

XXX. Conſenſus porro iſtius a Natione expreſſi ille eſt effectus maxime profecto notabilis, ut nunc ſubventio iſta non indubitate duntaxat atque certiſſime, ſed etiam ex juſtitia ſtricte dicta, atque commutativa Sedi Apoſtolicæ debeatur, eo ipſo, quod jure pactitio eadem obligatio nitatur. Quemadmodum vero pacta vel pura ſunt, vel conditionata, ita dubium quibusdam eſt, ad quodnam pacti genus Annatæ queant, aut debeant referri. Qui inter conditionata pacta, admiſſo etiam ſubventionis titulo hic ſtatuto, Annatas habent, ad egeſtatem præciſam Curiæ Romanæ ſublevandam illas reſtringunt. In tantis autem divitiis, quibus illa nunc aucta ſit, hac largitione neque opus eſſe, neque eandem porro deberi. Ad aliam cauſam, & eandem quidem a

Jonne de Bachenstein jam prætenſam, ac mere temporariam, dilabuntur alii, ſcilicet Pontifici conceſſas eſſe Annatas ea ſaltem conditione, ſcribunt, ut pro terræ ſanctæ recuperatione Turcica præprimis bella foveret. Quibus magno numero ſuffragantur Annales etiam Concordatis poſteriores; ac inter hos Wilhelmus Heda *de Vita Davidis Epiſcopi Ultrajectini ad annum MCCCCLV. pag.* 391. ubi Annatam tributum a Chriſtianis Principibus admiſſum *pro tuitione Fidei*, & jam in longe deteriores uſus converſum nominat. *Conf.* Hordlederus *de Conſ. Bell. Germ. num.* 25. Joannes Sleidanus *Lib. IV. Vol. I. Cap. I. Comment.* ad annum MDXXIII. *pag.* 53. Succinunt his etiam Doctores quidam Theologi, & Juriſconſulti, plerique tamen, haud diffitemur, Proteſtantes, ac inter hos præcipue Joannes Strauchius Univerſitatis Gieſſenſis quondam Procancellarius, qui Opuſculorum ſuorum *pag.* 516. & 517. in eo totus eſt, ut Annatas ſoli Bello Sacro unice deſtinatas eſſe oſtendat. Conditione igitur deficiente, & ipſam nunc Annatarum, etiam poſt Concordata, obligationem ſublatam cenſeri, inferunt; ne, quod ajunt, illud Taciti ſentiant Germani, „ut quæ „intoleranda, ſed neceſſitate armorum excuſata, illa etiam mane„ant in pace. Hiſce tamen omnibus refellendis vel ſola Concordatorum litera ſufficit : *Placet ſimiliter nobis circa proviſionem &c.* Pactum ſane hæc puriſſimum & omnino abſolutum denotat : nulla hic conditio, vel egeſtatis limitatio, nihil de bellis ſacris, nihil de impenſis in res alias. Idem Eccleſiæ Romanæ jam tempore Concordatorum ſtatus fuit, qui nunc eſt, & inſuper habita Ditionum temporalium acceſſione jam tum, & longe antea illi facta, Annatæ in proviſionem illi poſthac ordinandam promiſſæ fuerunt, & per has ipſa illa proviſio, aut ſubventio ordinari, id eſt, determinari voluit, ut omnis controverſia tolleretur, & huic ſoli exactioni Curia Romana acquieſcere deberet. Ditior certe hactenus effectus non fuit Summus Pontifex, quin potius cauſæ certiſſimæ ſuppetunt, ut pluri num ex

illo

illo ævo Pontificiis redditibus æque, ac authoritati deceſſiſſe affirmemus. Alteram conditionem paſſagii terræ ſanctæ quamvis ipſa Natio ante concluſam concordiam prætenderet, ab ea tamen in ipſis pactis poſtea confectis receſſit.

XXXI. At vero conditionatam duntaxat, imo & mere temporariam, ſtabilitam per Concordata, Annatarum obligationem eſſe ipſimet cum Imperatore Status Imperii, longe poſt eadem Concordata jam condita, concluſa, & ratificata, anno nimirum MDX. crediciſſe videntur, quin & anno MDXXII. ita de hujus ſuæ opinionis juſtitia ſe confiſos oſtenderunt, ut Legato Pontificio eandem exponere, in eaque ſuam Annatarum retentionis intentionem, prætenſionemque fundare non dubitarent. Anno præſertim ultimo memorato, videlicet MDXXII., Adrianum VI. commonebat Carolus V. Imperator, Annatas olim Sedi Apoſtolicæ conceſſas fuiſſe ad amoliendos Turcas & ad ſumptum belli Infidelibus inferendi ſuppeditandum, eaque ipſa de cauſa æquum eſſe, easdem in Germania nunc retineri, cum in ejus maxime finibus bella Turcica conflagrarent. Legatum Pontificium Ordines, Principesque Imperii teſte Goldasto *Conſtit. Imperial, Tom. I. pag.* 457. eadem de cauſa interpellarunt: „ Cum Ordines Sacri Imperii nihil dubitent, Beatitudinem Pontificis pro comperto habere, Principes Germaniæ in ſolutionem Annatarum *ad aliquos annos* Sedi Apoſtolicæ *ſolvendarum ea lege* conſenſiſſe, *ut illæ in oppugnationem perfidiſſimi Turcæ* & Defenſionem fidei Catholicæ converterentur, *ex quo autem numerus annorum, intra quos Annatæ illæ ſolvi debeant*, nunc longo intervallo *transactus ſit*, neque Annatæ illæ in hunc uſum, in quem decretæ ſunt, ſint converſæ, ob id, ſi modo neceſſitate exigente, communia auxilia in oppugnationem Turcæ per Germaniam eſſent decernenda, & colligenda, cauſatur inde populus Germanicus, quare Annatæ prius jam multis annis in hunc uſum reſervatæ ad hoc opus non applicentur, averſaturque alia in ſe ob hanc cauſam gravamina recipere. Ex quo Prælati Eccleſia-

„ cleſiaſtici, pro Annatis Sedi Apoſtolicæ ſolvendis, ut plurimum
„ ſuis ſubditis ſuperindicta & collectas imponere, & talia ab eisdem
„ recuperare cauſaverunt. Quare vehementer orant, ut Beatitudo
„ Sua illas Annatas, quæ poſt obitum Epiſcoporum, aliorumque
„ Prælatorum ad Curiam Romanam ſolvendæ fuerint, in futu-
„ rum non exigere, ſed illas Fiſco S. R. I. applicandas relin-
„ quere velit. Quod denuo in *Centum Gravaminibus* Legato Pontificio Norimbergæ Anno MDXXII. oblatis Cap. XIX. apud eundem GOLDASTUM *Tom. II. pag.* 463. repetitum invenitur. Militari hæc magis fiducia, quam accurata rerum peritia Proceres Imperii, & CAROLUM V. Imperatorem peroraſſe, & armis, quam chartis inſtructiores ſeſe monſtraſſe, ait THOMASSINUS, quod Concordatorum ne mentionem quidem feciſſent, quibus Annatæ Summo Pontifici pure & abſolute ad proviſionem, ſive ſubventionem Sedis Apoſtolicæ concordentur, ad bellum vero Turcicum, aut ad certum duntaxat annorum lapſum adeo non arctentur, ut potius colligendæ pronuncientur, donec ea Conſtitutio in Concilio generali, conſenſione Gentis Germanicæ, commutaretur. Alterum in eo errorem redarguit, aut erroris potius fontem hunc ipſum aſſignat, quod Annatas a Decimis Sedi Apoſtolicæ quoque præſtari ſolitis non caute ſatis ſejungerent, quæ revera ad tempus modo & ad Infideles debellandos exigebantur. Cui tamen THOMASSINO inſignem profecto CAROLI V. moderationem ex ipſa ejusdem Epiſtola jam antea ad Summum Pontificem ADRIANUM VI. data, reverentiæ & obſervantiæ tam in perſonam ejusdem, quam in Sedem Apoſtolicam perraræ illo Sæculo, ac prorſus ſingularis pleniſſima, opponimus. Ex hac etiam illud Statuum in Comitiis Norimbergenſibus petitum paulo acerbius ſuam capit interpretationem, & CAROLUS V. certe ab objecta ſibi per THOMASSINUM plus petitione purgatur. Ita enim ait: „ Inter cæte-
„ ra cum meminiſſent (S. R. I. Status) Annatas, quas novi
„ Antiſtites Romano Pontifici ſolvere conſueverunt, *ab origine*,
„ ea *maxime* ratione, conceſſas eſſe, *ut hujusmodi pecuniis Chriſti*

fidei

„ *fidei hoſtes arcerentur*: Nunc autem ipſi Turcæ, magna parte „ inferioris Pannoniæ occupata, Germaniæ inhient; æquum eſſe, „ ut hujusmodi Annatæ in Germania retineri, & illic in hunc „ uſum converti debeant. Propterea *cuperent*, *noſtraque interceſſione* a Sanctitate Veſtra *obtinere poſſe ſperant*, inprimis, ut „ penſiones, quæ ex Sacerdotiis Germanicis Curiæ Sanctitatis Veſtræ, & Romanæ Urbis hominibus perſolvuntur, poſthac in „ Germania detineantur. Interjecta dein decimarum ab Eccleſiarum, vel majorum, vel minorum, Collegiis, nec non Monaſteriis, atque ſingulis etiam Sacerdotibus perſolvendarum petitione, concluſionem & reverentiæ, & moderationis pleniſſimam ſubjungit: „ Quapropter Beatitudinem Veſtram *ſummopere rogamus*, ut „ divina illa ſua mente, & mitiſſimis oculis, quibus Chriſtianum „ orbem irradiaſſe vident, hæc omnia clementius intueatur, ponatque ante oculos Turcarum infeſta ſigna, aciesque jam pene invictas, pernicioſi Lutherani Dogmatis incendium, quod „ peſſimi cujusque mentem obſedit, præterea noſtram a Germania abſentiam, quodque tantorum malorum imminentes flammæ nullo alio, quam Beatitudinis Veſtræ æterno illo *benignitatis & munificentiæ fonte* reſtingui poterunt, & hæc Nobis, deinde S. R. Imperio, & Nationi Germanicæ alioqui de „ de Sancta Apoſtolica Sede optime meritæ pro tot tantisque „ malis coercendis *clementer* ad *quadriennium concedere & indulgere dignetur*. In qua profecto Epiſtola non unice propter ſumptus belli ſacri conditas & ſolvendas eſſe Annatas, ſed *maxime* duntaxat, non ſolummodo & unice, ſed præcipue, primævam illarum originem ex dicto bello ſacro repetendam eſſe aſſerit. Deinde nec illas ad certum tempus coarctat, ſed potius relaxationem illarum ad certum duntaxat tempus, quadriennium videlicet, efflagitat; ſed ita efflagitat, ut remiſſæ non ipſis Eccleſiis pro temporum & regionum qualitate & calamitate preſſis relinquantur, ſed ipſi potius

tius Imperio, ejusque neceſſitatibus communibus, ac bellorum ſumptibus aſſignentur, quod neutiquam Concordatorum litera infert, ut propterea nequaquam eo provocare neceſſum, aut conveniens judicaret. Quod autem paulo acrius Status in Gravaminibus poſtea ſubmiſſis excanduerint, mirandum ſane non eſt, utpote qui, tenaciori Curiæ Romanæ ad preces adeo enixas ſurditate offenſi, calamitatum præſentiſſimarum remedium ardentius requirebant. Præterea plures inter eosdem jam tum reperiebantur, quos nova, ſparſis jamjam à Luthero per diverſas Germaniæ partes neotericis dogmatis, præjudicia præocupaverant, & a Pontificis ſtudio longius alienaverant; quibus propterea & facile fuerat, reliquos in has intemperias agere. Quid? quod ipſos etiam Status Imperii de firmitate hujus oppoſitionis Annatarum juri quandoque objectæ jam pridem deſperaſſe, facile agnoſcet, qui ſibi in animum revocat ſilentium motæ litis, & ejusdem per duo ſæcula derelictionem, Principum Eccleſiaſticorum in numerando Annatas promptitudinem, & quod eo tempore, quo tantopere in authoritatem Pontificis Proteſtantici Status inſurrexerant, non tantum nihil controverſiæ Papæ factum fuerit, ſed potius Annatæ eidem plenius in pace Weſtphalica ſint confirmatæ. Exceptio enim *Artic. V. §. XIX.* poſita non poteſt non confirmare regulam in caſibus non exceptis. Pure propterea, & abſolute, Annatas Summo Pontifici deberi, ex hiſce omnibus certiſſimo concluditur.

XXXII. A *ſubſtantia* Annatarum, ſive ſubventione Summo Pontifici debita, cujus illæ duntaxat certus quidam modus ſunt, & per pactum hoc publicum hodie conſtituta, earundem quoque *modus*, vel potius temperamentum diſtinguendum omnino venit, imo & iisdem Concordatorum verbis reapſe non inepte diſtinguitur, dum ajunt: *Circa proviſionem dictæ Sedis ordinandam modus Annatarum hoc modo currat;* quod idem eſt, ac ſi dicerent, ad ordinandam ve de-

determinandam Sanctæ Sedis & Summi Pontificis ſuſtentationem ac ſubventionem, inter varios ejusdem ſubminiſtrandæ modos, ille, qui in Annatis & Servitiorum communium præſtatione conſiſtit, poſthac obſervetur. Et ecce, determinatam & juſtificatam hiſce verbis Annatarum *ſubſtantiam*! Sequentibus vero verbis: *Hoc modo currat: modus* ipſarum Annatarum, ſive quo iſtæ perſolvendæ ſint, præſtituitur. Hunc enim modum frequentioribus etiam & gravioribus Nationum querelis obnoxium fuiſſe, & illos, qui juſtitiam earundem cum JOANNE GERSONIO & PETRO ALLIACENSI Cardinale Cameracenſi ipſi propugnaverant, conſueto tum temporis illarum modo offenſos fuiſſe, ex ſuperius dictis conſtat. Unde eodem Nationum accedente conſenſu modus iſte, ſub quo earundem extenſio, vel ad certa tantum Miniſteria Eccleſiaſtica coarctatio, quantitas & taxatio, tempus itidem ſolutionis, aut iteratio comprehenduntur, determinatus fuit. Atque hic ulterius *communia* quoque *Servitia*, in confirmatione electionum Epiſcopalium & Abbatialium pendi ſolita, ab *Annatis* proprie dictis, quæ in proviſione & collatione inferiorum Dignitatum & Beneficiorum locum habent, ſeparari & ſejungi haud inutile, &, ſpectato ipſo §. præſentis ordine, hanc ipſam diſtinctionem probe obſervante, haud erit injucundum, aut ſupervacaneum.

XXXIII. * Ac primum quidem, quod *Servitia communia*, & *minuta* attinet, Dignitates illæ, de quibus ſolvenda poſthac a Natione Germanica forent, determinantur in verbis: *De Eccleſiis Cathedralibus omnibus, & Monaſteriis Virorum duntaxat vacantibus & vacaturis, ſolvantur de fructibus primi anni a die vacationis ſummæ pecuniarum in libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ, quæ communia Servitia*

 nuncu-

nuncupantur. Et has inter Eccleſias Cathedrales omnes recenſeri, mox recitata diſerta Concordatorum litera teſtatur, nec praxis aut conſuetudo ulla facile refragabitur. Conſulto vero dictio univerſalis: *omnibus:* Eccleſiis Cathedralibus poſtpoſita, conjunctioni autem *Et* immediate præpoſita haud absque ratione fuit, ne ſcilicet ad omnes quoque Eccleſias Abbatiales ſimilis *Servitiorum communium* extenſio facta videretur. Ex ipſa enim ſervitiorum communium notione non aliæ Dignitates iis obnoxiæ eſſe dignoſcuntur, quam illæ, quarum confirmatio in Conſiſtorio Cardinalium, rogatis a Pontifice illorum ſententiis (unde & Conſiſtoriales dicuntur) expediri aſſolet. Jam ſuperiori vero *Cap. III*, ubi in interpretando Concordatorum §. II. *de Electionibus* verſati fuimus, ex ipſamet eorundem litera oſtenſum fuit, non omnium Monaſteriorum confirmationem, vel proviſionem in Curia Romana, aut potius Conſiſtorio fieri, ſed eorum tantum, ex quibus eo fine in dictam Curiam venire ſeu mittere conſueverint. Eadem proinde, quæ ſuperius Capite mox allegato de hac recurrendi Romam, & obtinendæ ibidem confirmationis neceſſitate prolixius dicta reperiuntur, hoc quoque loco repetita, atque præſertim quoad onus probationis ipſi Curiæ hac in re, tanquam affirmanti, atque in factis ſolutionum anteriorum ſeſe fundanti, incumbentis iterata cenſeantur. Monaſteria nihilominus Monialium, quamvis Conſiſtorialia probentur atque ſint, ingenti tamen eatenus & ſorte & prærogativa gloriantur, quod hac ſervitiorum communium, vel Annatarum lege per particulam: *duntaxat:* expreſſe eximantur; cujus ſane ſolius particulæ eadem debet eſſe vis, & efficacia, quæ integræ enuntiationi: *de Monaſteriis autem Monialium nihil penitus ſolvatur*, in Conſtitutionibus Martini V. ex Concilio generali Conſtantienſi in Galliam ſubmiſſis, & a noſtris quoque Concordatis haud multum diſcrepantibus Titulo III. contentæ, inerat.

XXXIV.

XXXIV. * Quantitas porro Servitiorum communium ſubſequentibus mox verbis dimenſuratur: *Solvantur de fructibus primi anni a die vacationis ſummæ pecuniarum in libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ.* His certe non integri fructus primi anni harum Dignitatum comprehenduntur, in quibus alias Annatæ de Beneficiis inferioribus ſolvi ſolitæ ante BONIFACIUM IX. conſiſtebant, neque etiam dimidia illorum fructuum pars, ad quam partim *Annatas* jam antehac legibus ſaltem temporariis Anteceſſorum impoſitas reduxerat, partim *Servitia* quoque *Communia* a ſe primo inſtituta taxaverat idem BONIFACIUS IX., ſed tantum de iſtis fructibus, vel ratione iſtorum fructuum ea portio vel pecuniarum ſumma perſolvenda vi literæ Concordatorum ſtatuitur, quæ in libris Cameræ Apoſtolicæ taxata ac determinata reperitur. Iſta enim plerorumque Authorum in nova hac praxi Beneficiaria verſatorum teſtimonio, atque unanimi fere calculo a dimidia etiam fructuum parte quam longiſſime etiamnum diſtare dicitur, adeo benigna Sedis Apoſtolicæ indulgentia nunc moderata, ut quoad annuos proventus integros harum Dignitatum ſe habeat, ſicut unum ad quinque, adeoque ex Epiſcopatu, cujus redditus ad centum florenorum millia aſcenderent, vigeſies mille duntaxat florenorum taxa perſolvatur. Verbo: ut duplicem tantum Decimam, ſive quintam integrorum proventuum partem conſtituat. Ad hanc enim quantitatem acceptandam facilius induci Natio Germanica poterat, quod ab ipſo Concilio Baſileenſi hujus ad quintam partem reductionis æquitas agnita fuiſſe videretur, dum, uti ſupra memoravimus, creato Papa vel Anti-Papa FELICE V, ad ejus & Cardinalium ejusdem ſuſtentationem & ſumptus ſuppeditandos in *Seſſ. XLIII.* anno *MCCCCXL.* habita ex omnibus Epiſcopatibus, Abbatiis, Dignitatibus, & quibuscunque demum Beneficiis per annos ſaltem quinque quintam proventuum partem etiamnum aſſignavit, quamvis decimam tantum partem per quinque proxime ſequentes annos ſolvi vellet. Et ipſa quoque Natio Gallicana non ini-

Digitized by Google

quam certe hanc quintæ partis moderationem exiſtimaſſe videtur, dum in Congregatione generali Eccleſiæ Gallicanæ anno MCCCCXXXVIII. in ſubventionem Eugenii IV. & Sacri Collegii ad tempus vitæ ipſius quintam partem, tanquam taxam Cathedralium, Abbatiarum, & aliorum Beneficiorum, quibus taxa ſaltem X. librarum & amplius indicta fuiſſet, aſſignavit, taxa tamen ea admiſſa, cui regnum, regnique Eccleſiæ acquieverant, eo tempore, quo cœptum eſt Concilium Conſtantienſe, non ea, quæ Concilio Conſtantienſi accurante edita eſt, dum ejusmodi eſſet taxa, qua Beneficiariis dimidii ſaltem proventus dimitterentur; cætera vero beneficia, quæ tum taxata non fuiſſent, ea decimas duas Pontifici ſolverent, uti Pragmatica Sanctio *Tit. de Annatis* teſtatur, qua duas Annatarum taxas diſtinguit, illam nimirum, quæ ante Conſtantienſe Concilium in uſu erat, & illam, quæ per Concilium anterioris reductione facta eſt in verbis: *Dicta quinta pars taxæ non referatur ad illam taxam, ad quam fuit facta ultima reductio per Concilium Conſtantienſe, ſed ad illam, ex qua facta fuit reductio ab eodem Conſtantienſi Concilio.* In libris inſuper Cameræ Apoſtolicæ hæc taxa contineri dicitur. Modus enim per Quæſtores aut Collectores a Papa nominatos, ac in diverſis provinciis conſtitutos, fructus ipſos primi anni in natura colligendi, & capiendi odioſus non minus, quam inopportunus fuerat. Maluit eapropter Curia Romana certam ac definitam Summam pecuniariam ſingulis Dignitatibus Conſiſtorialibus pro modo redituum præſtituere, quæ perpetuitatis cauſa in ſcripturam, aut Libros Cameræ, tanquam harum taxarum matriculas, relata fuit. Hi ipſi etiam libri non ſemper tamen iidem fuere, ſed varie ſucceſſu temporum immutati, & inde veteris ac novæ taxæ mentio fit in *Extravag.* Ad univerſalis I. *de Treuga & Pace inter comm.* Quam ob cauſam nec vitio verti quibusdam Doctoribus, qui Matriculas aut Catalogos ejusmodi Annatarum in lucem dare conati ſunt, poterit, quod eorundem computi quam longiſſime inter ſe diſcrepent. In temporis enim diverſitate differentiæ hujus cau-

ſam

Digitized by Google

ſam veroſimiliter invenies, in qua & FELINUS SCARSIUS *de Annatis* eandem reponit. Diverſitatis hujus argumentum ſane non mediocre eæ ipſæ præbere poterunt duæ Annatarum Matriculæ Eccleſiarum & Monaſteriorum per Germaniam, quarum alteram ex GEORGIO COELESTINO Præpoſito Colonienſi & L. BANCK Norcopienſi Gotho, ex FRIDERICO HORTLEDERO alteram exhibet ESTOR. Aliam Nos ipſi quoque ex ipſis Cameræ Apoſtolicæ Libris depromptam manibus tenemus, quam vel inde ob nimiam omnium inter ſe diverſitatem inſerere omittimus.

XXXV. Non tamen ita plenam firmamque in taxarum libris Cameræ Apoſtolicæ deſcriptarum æquitate, aut de fideli earundem in perpetuum obſervantia fiduciam ipſimet Concordantes Imperii Status habuiſſe videntur; dum expreſſam conditionem retaxationis adjectam voluere, ſi quædam Eccleſiæ exceſſive taxatæ viderentur, quam & NICOLAUS V. in Bulla Concordatorum confirmatoria hiſce mox ſequentibus verbis acceptat: *Et ſi quæ exceſſive taxatæ ſint, retaxentur.* Vel ipſa illa ſuperius, *Num. immediate antecedente*, mox recenſita Catalogorum, quos diverſi recitant, diverſitas magnum inæqualis taxationis argumentum ſuppeditare forſan poſſet; dum aliqui multo inferiores Summas numerant, ut cum cenſibus hodiernis, qui quater & quinquies eos ſuperant, haud queant conferri, & rationes plane diverſas habeant ab illis, quarum nimietatem Antiſtites, & Imperii Status ſæpius conqueſti leguntur. Idem propterea cum his contingit, quod & in Imperii noſtri matriculis perſæpe contigit. In hiſce quoque deſideratum ſæpe fuit, quod iniqua ibi in reditibus Procerum æſtimandis proportio eſſet, quod fontem habeant liberalitatem ipſorummet Statuum in Imperium & Imperatorem, non impoſitionem, quæ facultatibus unquam reſpondiſſet; quod Statuum alii omiſſi, alii præter cauſam eidem illati ſint; quod variæ & ambiguæ omnes, quod optari magis, quam ſperari poſſit earum emendatio. Easdem quoque de Albo Annatarum in Eccleſiis querelas reperimus. Principio enim, ut ſupra diximus, pietatis erat Annatas Pontifici occaſione confirmationis Electionum, præ-

Digitized by Google

ſertim dubiarum ſive litigioſarum, conceſſæ ſuppeditare. Ampliorem tum liberalitatem minus damnoſam, utpote nullo tractu ſucceſſivo Eccleſias facile gravare valentem, crediderunt. Neceſſitate tamen legis poſthac inducta facile gravis Prælatis evadere potuit. Neque ullum ſane veſtigium reperitur, ante taxarum confectionem, de fideli proventuum ſingularum Eccleſiarum relatione aut collatione multum ſolicitam fuiſſe Curiam Romanam. Neque etiam poſt Concordata hæc confecta retaxationis, quæ expreſſis hic verbis appromiſſa fuit, exemplum produci ullum poteſt. Sed mox eædem, quæ antehac de nimio Annatarum exceſſu fuerant, querelæ a Statibus innovatæ audiuntur in Gravaminibus Nationis Germanicæ, & S. R. I. de anno MDX. ſub MAXIMILIANO I. Imperatore apud GOLDASTUM *Conſtit. Imperial. Tom. II. pag.* 119, quorum *Numerus ſextus* duas de Annatis querulandi cauſas comprehendit: nimirum *primam*, quod Annatæ absque dilatione & ſine miſericordia, etiam Epiſcopis intra paucos annos mortuis, exigantur; & *alteram*, quod interdum plus, quam debeatur, extorqueatur propter nova officia & novos familiares. Exemplum dein Moguntienſis, & Argentinenſis Eccleſiarum adjicitur. Prior querulandi cauſa ad alium locum, *Numerum* videlicet *ſequentem*, pertinet. Altera vero huc præcipue pertinens pagina ſequenti ſub Rubrica: *Remedium contra Gravamina Nationis Germanicæ*, prolixioribus non minus, quam aſperioribus verbis, reverentia tamen in Sedem Apoſtolicam ſemper adhucdum temperatis, explicatior redditur: „Si Cæſareæ, *inquiunt*, Majeſta„ti conſultum viſum fuerit, proponatur Summo Pontifici & Sa„croſanctæ Eccleſiæ Romanæ, quod grave, imo intolerabile ſit „Nationi Germanicæ, amodo tantas expenſas, & moleſtias pa„ti, tantas pro confirmatione Archiepiſcoporum inferre Annatas, „præſertim quæ in quibusdam Epiſcopatibus ſucceſſu temporis „auctæ, in quibusdam duplicatæ eſſe dicuntur. Nam Sedes Mo„guntina, ut dicitur, olim ſolum dedit decem millia florenorum. „Quæ cum quidam illic Electus dare renueret, ſicque uſque ad mor-

„mortem ſuam perſiſteret, Electus poſt eum Confirmationis cu-
„pidus ſe opponere timuit Sedi Apoſtolicæ, offerens antiquam
„ſummam, puta, decem millium florenorum. Is nec confirma-
„tionem impetrare potuit, niſi & reliqua decem millia ſimul red-
„deret, quæ adhuc extabant a ſuo Prædeceſſore nondum perſo-
„luta; ſicque cogebatur dare viginti millia florenorum, quæ
„tunc indubie in Regiſtrum Cameræ ſignata ſunt, & ad noſtram
„ætatem in ſingulis Archiepiſcopis exacta: & nedum viginti
„millia, ſed & viginti quinque *propter nova officia, & novos Pon-*
„*tificum familiares*. Tandem excrevit Summa uſque ad viginti
„ſeptem millia, quæ Archiepiſcopus Jacobus cogebatur nuper
„perſolvere, ut retulit Vicarius in Spiritualibus Moguntinenſis.
„Sicque in vita unius hominis ſepties viginti quinque millia a ſo-
„lo Archiepiſcopatu Moguntinenſi pro confirmatione Archiepi-
„ſcopi Romam pervenerunt. Et cum Archiepiſcopus Jacobus
„vix quatuor annos sediſſet in Archiepiſcopatu, mox poſt eum
„Electus Dominus Uriel ad minus viginti quatuor millia coa-
„ctus eſt perſolvere, quorum partem mutuo forſan accepit a
„Mercatoribus, ſed ut illis ſatisfaciat, imponere coactus eſt ſub-
„ſidium, aut exactionem in ſuos populos, & pauperes agricolas,
„quorum aliqui nondum ſatisfecerunt tributo, aut exactioni pro
„Pallio a ſuo Prædeceſſore Jacobo impoſito. Sicque non ſolum
„eviſcerantur noſtrates, & ad extremam inopiam rediguntur, de
„qua Reverendiſſimo Domino Bernardino, Tituli Sanctæ Crucis
„Cardinali, & nuper Legato, conſtat; verum etiam incitantur ad
„rebellionem, & quærendam utcunque libertatem, & ubi poſ-
„ſunt, inter ſe ſuſurrant de ſævitia in Clerum." Et paulo in-
ferius *Num. VII.* de eodem Jacobo hæc addunt: „Non ſine
„cauſa Jacobus Archiepiſcopus Moguntinenſis jam fere moriens
„dixit, *Se de morte ſua non adeo dolere, quam ob id, quod ſub-*
„*diti ſui pauperes iterum pro Pallio gravem exactionem dare cogeren-*
„*tur.*" Ex quibus *Num. VIII.* ita concludunt: *Mitius ergo Sum-*
mus Pontifex, velut pius Pater, filiorum ſuorum amator, & fide-

Digitized by Google

lis ac prudens Paſtor cum filiis ſuis Germanicæ Nationis agat, ne propediem vel in univerſos Chriſti Sacerdotes perſecutio oriatur, vel inſtar Bohemorum plerique ab Eccleſia deficiant Romana.

XXXV. Atque has quidem Inclytæ Nationis Germanicæ querelas non inanes, nec levibus duntaxat ſuſpicionibus, ſed in rei veritate fundatas fuiſſe, tum ipſa illa duorum exemplorum domeſticorum, Argentinenſis nimirum, & Moguntini Archiepiſcoporum allegatio, tum maxime Gallicanæ, tanquam vicinioris nobis, Nationis conſpiratio, ſub eadem fere tempora, comprobat. Teſtantibus enim *Libertatibus Eccleſ. Gallic. Tit. XXII. num. XXX.* jam anno MDXXXII. Galli quam plurima Summo Pontifici expoſuerunt incommoda, quæ ex novis illis, & indebitis exactionibus proveniebant, quas Romæ, confectis etiam ipſorum Concordatis, pro expeditione Bullarum, præter antiquas & conventas Annatas, exigebant, atque in neceſſitatem vertebant; quarum rerum proponendarum cura Eminentiſſimis Cardinalibus Turnonio & Gramontio demandata fuerat: & quod plus eſt, in Inſtructionibus, quas vocant, ſive mandatis, quæ eis data ſunt, inſertum & illud fuit, Regem rogatum fuiſſe, ut Clerum Eccleſiæ Gallicanæ congregaret, quo finis imponeretur hiſce rebus, honeſto prorſus & decoro, ut putabant, adverſantibus; noluiſſe tamen Principem convocare coetum illum ad vitandas ulteriores ac pejores forte conſequentias; eoquod ſpem concepiſſet, fore, ut Summus Pontifex novas & indebitas illas exactiones toleraturus non eſſet. Anno tamen MDLXI. idem Mandati genus etiam Præſidi Ferrerio ad Pium IV. Summum Pontificem miſſo poſt Comitia Aurelianenſia a Rege Carolo IX. datum fuiſſe, eædem Libertates Eccleſiæ Gallicanæ *Num. XXXIV.* aſſerunt. Id quod denuo anno MDLXXXVII. Rex Henricus III. Cardinali a Loyosa Protectoris negotiorum Regiæ ſuæ Majeſtatis officium Romæ impleturo, teſte *Num. XXXVIII.*, in Mandatis dedit, ut nimirum novis pecuniarum exactionibus, quas Datariæ Miniſtri tum pro expeditione Beneficiorum prædicti Regni meditabantur,

denuo

Digitized by Google

denuo obniteretur, quo eodem anno juxta *Num. XXXIX.* Parlamentum quoque Pariſienſe edito Decreto vetuit, ne Banquarii & Sollicitatores majorem, quam eam, quæ ſolita fuerat, pecuniarum Summam pro expeditionibus Romanis exſolverent. Et ipſi quoque Romani ultro ſponteque confitentur, aut his etiam diffitentibus, ſchedulæ tamen Conſiſtoriales, & collati cum iisdem computi expenſarum in promotionibus ad Eccleſias Cathedrales, ſeu Abbatiales fieri ſolitarum affatim loquerentur, non amplius ſolam illam taxam in libris Cameræ deſcriptam, prout per Concordata tamen conventum fuerat, perſolvi, ſed eandem auctam, imo prope ad duplum usque aſcendentem nunc exigi. Exemplo ſit Epiſcopatus quiscunque, cujus fructus integri taxarentur in Camera ad duodecim circiter millia florenorum auri de Camera, taxa vero Annatarum juxta determinationem quintæ videlicet partis ſuperius dictam, ad bis mille florenos auri duntaxat juxta ſchedulam Conſiſtorialem aſcendit. In ipſis tamen expenſarum computis numerum multo majorem, & quidem, uti modo dictum eſt, fere duplicatum reperies, illis etiam demptis, quæ pro ſpecialibus adhucdum gratiis diſpenſationum, aut Indulti retentionis plurium aliorum beneficiorum, quæ in aliis ſæpe Eccleſiis promovendi tenent, deſignatæ invenientur. Cauſam eandem hujuſce augmenti Curialiſtæ aſſignare palam non dubitant, quæ ipſa tot querelarum, quas a Statibus Imperii, cum ipſo etiam Schiſmatis tum pertimeſcendi periculo, obmotas fuiſſe, *Num. antecedente* retulimus, præcipuum extiterat fomentum, ipſam nimirum Officiorum & Curialium necdum ſolitam tempore Concordatorum multiplicationem. Diſertis quippe verbis Archiepiſcopatus Moguntini taxam ad eum, quem incuſant, exceſſum viginti quinque & tandem viginti ſeptem millium aſcendiſſe conqueruntur *propter nova Officia & novos Pontificum familiares.* Nihil prorſus ut de clandeſtinis aut ſaltem incognitis horum Sollicitatorum artibus commemoremus, quales duplicis generis in Curia Romana præter Officiales, qui

Digitized by Google

literas expediunt, reperiri conſtat. Horum enim aliqui publica authoritate recepti, ſunt Viri Inſignes, Sollicitatores literarum Apoſtolicarum dicti, & mercedem ex taxis Cameræ recipiunt. Alii vero privati, quos Sollicitatores expeditionum, ſive Agentes vocant, a Principibus, Magnatibus, aliisque tum Eccleſiaſticis, tum Laicis pro expeditione cauſarum in Curia conſtituti. Atque hi, ut prodit VESTRIUS, „ non mediocres opes ſibi hac „arte congregant. Solent enim, ut idem teſtatur, Datarius, & alii „taxarum receptores certum quid de ſua taxa remittere, non in „ſupplicantis, ſed Agentis gratiam, qui ſupplicantibus id expen„ſum ferre deberent, ſed plerumque plus exigunt. „ Nemini proinde mirum videri merito poterit, Inclytam Nationem Germanicam juſtas conquerendi cauſas nactam ſibi viſam fuiſſe, ubi primum Curia Romana coactam ſeſe credere cœpit, auctis tanto cum exceſſu antiquitati prorſus impari, Officiorum aut Officialium ſaltem expenſis ipſa quoque Eccleſiarum onera ultra ſolitum & conventum augeri demum faceret, & ſucceſſu temporis e votis ſuis obtineret. Non enim per hoc Natio Germanica Aulæ Pontificiæ negotiis incompetenter ſeſe ingerere, & quoad illorum moderationem Summo Pontifici legem dictare præſumpſit, aut Pontificias in favendo aliis ſibi bene viſis manus conſtringere, & liberalitatem coarctare, unquam intendit. Quid? quod ob hanc ipſam quoque rationem in præſenti Concordatorum §. *de Annatis* certum ac determinatum Officialium numerum (uti ſupra in Reſervatione Extravagantis: *Ad Regimen*, per adjectionem quorundam adjectivorum Numeralium feciſſe legitur) nullatenus expreſſit, ſed ipſa potius Annatarum in determinata jam quantitate conſiſtentium taxatione affatim ſecuram ſeſe credidit. Hac autem ob auctum Officialium numerum deinde aucta, imo multiplicata, non ita male certe illi vertendum erit, quod ſuam ſaltem querulando ac proteſtando indemnitatem ſervare voluerit, quamvis, ob minus cohærens ſibi Syſtema, & diverſorum Capitum diverſis plerumque ſtudiis agi ſolitorum multiplicitatem, etiam ad noſtra uſque tempora recuperare nondum potuerit.

XXXVII.

Digitized by Google

XXXVII. * Hiſce autem querelis, quæ inæqualitatem taxarum, & Annatarum nimietatem cauſam veluti perpetuam habent, remedium retaxationis, perpetua poſthac lege valiturum, fuit præſervatum, in verbis jam ſuperius allegatis: *Et ſiquæ* (Eccleſiæ) *exceſſive taxatæ ſint, retaxentur*, ut nimirum, proportione hac ad computus proventuum fideliter & accurate ſemel exacta, ad eam tantum Annatarum poſthac ſolutio perpetuo componeretur. Quam ob rem ſiquæ Eccleſiæ vel Prælaturæ hodiedum exceſſive taxatæ viderentur, isque exceſſus ſatis notabilis appareret, aut oſtendi poſſet; certe nec nunc terminus moderationis, aut retaxationis ejusmodi petendæ cenſeri poterit præcluſus.

XXXVIII. * Temporaria porro etiam accedere quaſi ex accidenti poſſunt gravamina, quæ Annatis, utut ad juſtam proportionem redactis, aliunde, ſpectatis nimirum, rerum, Perſonarum, locorum & temporum circumſtantiis, aut calamitatibus, extrinſecus quodammodo ſuperveniunt, quibus propterea proviſorium, temporarium, particulare, & quaſi extraordinarium opponitur remedium, remiſſio videlicet, & partialis ad minimum pro certo tempore relaxatio, in verbis: *Et quod provideatur* (*ſpecialiter* addunt Concordata per modum pacti concepta) *in gravatis regionibus, ſecundum qualitatem rerum, temporum & Regionum, ne nimium prægraventur:* Hoc enim remedium mere particulare ac proviſorium eſſe, non perpetuum, nec omnibus etiam Eccleſiis pariter commune, ſed indigentibus duntaxat ſpeciali lege debitum atque conceſſum, ſola illa particula: *ſpecialiter*, Concordatis per modum pacti conceptis ſollicite adjecta, in Bulla vero Pontificia Nicolai V. Concordatorum confirmatoria, quo, neſcitur, errore, prætermiſſa abunde docet, affatimque convincit. Quæ tamen eo minus prætermittenda fuerat, quod eandem jam Concordata Martini V. Papæ & Germani-

manicæ Nationis in Concilio Conſtantienſi confecta, & cum modernis verbotenus fere conſpirantia, ac hiſce confirmata & explicata continuiſſent. Sed & tacite in Bulla Confirmatoria NICOLAI V. eandem ſubintelligi neceſſe eſt, & ſubſequentium verborum contextus exigit. Neque enim aliud, niſi proviſionale, temporarium ac particulare eſſe poteſt remedium, quod pro *rerum tantum*, & *temporum*, ac *Regionum* exigentiis eſt conſtitutum, atque impendendum. Quales autem ſint rerum, temporum & regionum qualitates, Status Germaniæ in gravaminibus numero antecedenti jam allegatis ſub MAXIMILIANO I. Imperatore recenſere pergunt. Bellorum enim injurias, & alias calamitates publicas, quibus Electoratus & Principatus Archi- & Epiſcoporum quandoque oppreſſi gemunt, ac depopulati ſunt, attendendas eſſe monent. Ajunt enim *Num. V. Admonendus etiam videtur Summus Pontifex, quod per varia bella terræ Germanorum paſſim deſolatæ ſunt, ac per crebras mortalitates numerus viventium diminutus, ſicque ob paucitatem cultorum agri pro magna parte inculti jacent, & ipſa telonia diverſis eventibus attenuata, & venæ minerales exhauſtæ ſunt, pereuntque indies proventus, ex quibus Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi aliis etiam honeſtis & neceſſariis impenſis gravati Sedi Apoſtolicæ Annatam perſolvere poſſint.* Et *Numero* dein *IX.* ſimilem compaſſionem & relaxationis veniam iis deberi Eccleſiis, quæ vacationibus nimium frequentibus & exiguo intervallo ſibi mutuo ſuccedentibus affligantur, indeque ſuadent, ut „ mitius ſaltem agat, quoties Archi-Epiſcopus aut „ Epiſcopus ad paucos annos rexerit, ſicut de Epiſcopis Bamber- „ genſibus accidit, quorum tres intra paucos annos mortui ſunt. Unius hæc equidem partis, Statuum nimirum, ac Principum Nationis, petita & allegata ſunt, & quidem poſt concordiam cum Curia Romana jam concluſam modo in medium producta, quæ jus efficere nequeunt; neque a nobis eum in finem allegantur, ſed exemplum tantum præbent earum *qualitatum, rerum, temporum & regionum*, quæ juſtam Sedis Apoſtolicæ remiſſionem reſpectu earum Eccleſiarum particularium, quæ hiſce calamitatibus hic & nunc

nunc oppreſſæ, atque inde ulteriori exactione nimium prægravandæ docentur, jure ſuo exigunt. Huc porro etiam omnes alii adverſæ fortunæ caſus, quocunque demum nomine cenſeantur, notabile tamen redituum Epiſcopalium detrimentum afferentes, reducuntur. Jus autem ipſum ex mutua partium, Germanicæ videlicet Nationis & Romanæ Curiæ, inter ſe Concordantium conventione oritur. Ipſa enim Sedes Apoſtolica remiſſionem ejusmodi ſecundum rerum, temporum, & regionum qualitatem ſancte appromiſit; Natio vero Germanica eandem prævio jam pacto, & oneroſo quidem, videlicet ſub conditionibus ſatis certe gravibus ſibi ſtipulatam acceptavit; nec aliter in ipſam Annatarum ſolutionem poſthac continuandam conſenſiſſe credenda eſt, niſi & Curia Romana in eas, quas Natio in ſui utilitatem adjunxit, limitationes, & in hanc præcipue remiſſionis afflictis nimium Eccleſiis ſperandæ conceſſionem conſenſiſſet.

XXXIX. Verificatis igitur iſtis, quæ per præmiſſa Concordatorum verba *Numero* mox antecedente expoſita requiruntur, rerum, temporum, ac regionum circumſtantiis non pure gratuitam ac meræ liberalitatis eſſe temporariam illam Annatarum relaxationem, ſed neceſſitatis & juris, atque ex juſtitia commutativa vere deberi, neceſſaria & ineluctabili concluſione conſequitur. Jus autem iſtud fide publica & pacto Curiam Romanam inter ac Nationem Germanicam, ob cauſas publicas, univerſalem Eccleſiæ Statum, & Sacerdotii cum Imperio concordiam reſpicientes, firmato innixum juri cuicunque privatorum ex Annatis hiſce, aut communibus Servitiis quocunque titulo, etiam oneroſo, participantium prævalere omnino debet. Conſtat enim pleraque Curiæ Romanæ officia jurisdictione non prædita (quæ *vacabilia* alias ex recepto ejusdem Curiæ more appellari aſſolent) pro determinatis quibusdam, & ſecundum diverſam dictorum officiorum fertilitatem, diverſis taxis venalia eſſe, ac in privatos pro anticipata pecuniæ numeratæ Summa a variis Summis Pontificibus in egeſtate ac neceſſitate conſtitutis per modum pacti cujusdam antichretici,

&

Digitized by Google

& ſub conditione, certam annuorum Cameræ Apoſtolicæ redituum portionem dictis officiis correſpondentem percipiendi translata fuiſſe, quin etiam contingente eorundem apertura aut vacantia hodiedum transferri ſolere. Horum utique emolumentis id omne decedit, quod de *Annatis*, aut *communibus ſervitiis* detrahitur, & in favorem Eccleſiarum calamitate nimia pro temporum, rerum, & regionum qualitatibus conflictantium remitti benignitate Sedis Apoſtolicæ aſſolet, aut ex conventa per Concordata fide debet. Sed hi omnes, niſi ſola lucri cupiditate excæcati penitus videri velint, ipſi haud diffiteri poterunt, ex juſta, imo debita ejusmodi Sedis Apoſtolicæ benignitate aut moderatione nullam juſte conquerendi cauſam ſibi ſuppeditari, aut jus ſibi quæſitum nullatenus tolli. Sibi potius imputare debent, quod ſpem emerint. Et vulgo notum eſt' perſpectumque, pacta anteriora poſterioribus, ac præſertim publica privatis quam longiſſime eſſe anteferenda. Ipſe demum Papa, ſuam Annatarum medietatem, ut CARDINALIS TUSCHUS *Tom. I. Practic. Concluſ. CCCXXVIII.* ſuperius *numero II.* hujus Capitis allegatus fatetur, diverſis hiſce Officialibus vendendo, non plus certe juris in ipſos transferre aut potuit, aut voluit, quam ex Concordato ipſo illi deberi, ac ipſemet in eodem ſibi præſervaſſe dignoſcatur.

XL. Neceſſitates præterea communes totius Imperii ac Nationis Germanicæ proprias, in ipſam quoque ſingularum Eccleſiarum Germanicarum perniciem demum certiſſime redundaturas, conſiderandas eſſe, iidem Status Imperii loco mox memorato adjungunt, *Numeris* ibidem XII. & XIII., in verbis: *Præterea opus habet Cæſarea Majeſtas pecuniis ad comprimendos in Imperio rebelles, & ad exterminandos Sicarios atque latrones, quorum nonnulli Eccleſiis nocere, earum bona diripere, imo in Clericorum perſonas ſævire atque graſſari non erubeſcunt.* Atque eatenus quidem recte, & menti concordantium, & literæ Concordatorum admodum conformiter hæc repræſentanda cenſuiſſe Summo Pontifici videntur, ſi ea duntaxat repræſentantium Statuum intentio fuerit, ut ipſismet Eccleſiis hoc

tem-

Digitized by Google

temporum injuria & calamitate preſſis Annatæ a Curia Romana in propriam ſui defenſionem, & nefariorum hominum, hoſtiumque, bonis Eccleſiarum inſidiantium, oppugnationem, ac propulſationem relinquerentur. Sed Anno MDXXII. ADRIANUM VI. a CAROLO V. Imperatore interpellatum fuiſſe, ut Annatas ob bella Turcica, Germaniam tunc infeſtantia, Fiſco Sacri Romani Imperii applicandas dimitteret, idque denuo in *Centum Gravaminibus* Legato Pontificio Norimbergæ eodem anno oblatis Cap. XIX., referente eodem GOLDASTO ſuperius jam allegato *Tom. II. Conſtit. Imperial. pag.* 463. repetitum inveniri, *Num. hujus Capitis* XXXI. jamjam aſſeruimus. Motiva itidem, & argumenta, quibus eadem Imperatoris & Statuum remonſtratio inniti videbatur, a nonnullis improbata ac rejecta loco ſuo proprio examinavimus, atque diſcuſſimus, ab obmota plus petitione, & Juris Concordatique Patrii ignorantia Imperatorem præcipue eliberantes. Similis fuerat Polonorum prætenſio in ſolenniſſimis Comitiis, non ſemel, ſed iterum iterumque decreta, Annatas nimirum Fiſco Reipublicæ inferendas eſſe. PAULUS SCZERBICZIUS in *Promptuario Statutorum Poloniæ Part. I. Cap. V.* ejus argumenti decreta diverſis temporibus condita adnotavit, utpote Cracovienſe MDXLIII.; Petricovienſe MDLXVII., Lublinenſe MDLXIX., & STEPHANO Rege MDLXXVI. Summa omnium erat, *Annatæ ne dentur amplius Romam; ſed in defenſionem Reipublicæ convertantur, Regni atque in theſaurum inferantur ſub pœna duplicis Annatæ.* Adaugeri hiſce omnibus poteſt locus THOMASSINI allegatus, qui unius tantum facit mentionem, quod in Statutis Poloniæ a Regni Senatore JOANNE HERBURTO a FULSTEIN promulgatis extat his verbis: *Poloniæ Rex* SIGISMUNDUS *de Annatis anno MDXLIII. decrevit: ſatisfaciendo poſtulationibus Dominorum Conſiliariorum noſtrorum ſæcularium & Nuntiorum terreſtrium, mittemus ad Papam, petitum Annatas; neque eas de Regno efferri permittemus, ſed ut remaneant pro defenſione Reipublicæ in Regno. Quodſi Annatis nuntium remittere recuſet Papa; jam ex tunc renuntiare illi debemus, eaſdem nos neque daturos*

eſſe; neque efferri easdem ulla ratione permiſſuros. Qualis pro hiſce Nationis Polonæ querelis, aut potius minis ſteterit juſtitia, noſtrum ſane non eſt, hoc loco ex induſtria dijudicare. Majori vero modeſtia, ac in Sedem Apoſtolicam reverentia & Germanorum Procerum, gravem licet ac vehementem, perorationem, & ipſiusmet præcipue Imperatoris CAROLI V. repræſentationem mitigatam fuiſſe, probatum affatim ſuperius dedimus, atque demiſſam adeo Imperatoris ſupplicationem neceſſariam omnino fuiſſe, exinde adſtruximus, quod non ipſis Eccleſiis calamitate conflictantibus, & fundatam in Concordatis intentionem habentibus, ſed ſibi potius, aut Imperio, litera Concordatorum certe non comprehenſo ejusque neceſſitatibus communibus impendendas peteret.

XLI. Nec tamen omni etiam juſtitia querulosæ ejuſmodi Imperatoris & Procerum Imperii Germanici preces deſtitutæ fuerant, nec ea ipſum adeo, quod commemorabant, retentionis remedium penitus caruiſſe exiſtimari poterit; cum particularium omnium Eccleſiarum bona in extrema Status Politici neceſſitate, qualem illorum certe temporum Hiſtoria, & Annales nobis exhibent, & gravis Statuum peroratio repræſentat, ad ejusdem quoque conſervationem obligata cenſeantur. Singulis autem certe Eccleſiis Jus quæſitum eſt, ut iis remitti debeant, atque remiſſio illa nequaquam meræ gratiæ ſit, ſed juxta §. Concordatorum præſentis verba antecedentia ex mutua Concordantium conventione, ſuppoſita quoque rei & circumſtantiarum veritate, earumque cognitione prævia, ſtricte debeatur. Unde neſcimus profecto, an de Jure ſaltem quodam extraordinario, & ſpectatis iis Imperii calamitatibus, iſta Statuum Germaniæ prætenſio, & huic aliquatenus conformis JOANNIS WOLFGANGI TEXTORIS ſententia quoad ſubſtantiam ſuam omnino improbanda ſit? Hic enim in *Jure Publico Cæſareo Tit. XI. pag.* 355. *num.* 164. *ad* 168. in eo totus eſt, ut in Imperio Germanico facultatem Imperatori afferat, extraordinario caſu Reipublicæ id exigente, Annatas a Pontifice Romano fruſtra petitas retinendi, & in Fiſcum ſuum redigendi. Verba ejus ſummatim hæc ſunt: *Ex Concordatis*

Anna-

Annatæ Pontifici debentur ordinaria via, ita tamen, ut, ſi Reipublicæ neceſſitas poſcat, ſuprema diſpoſitio de iis penes Imperatorem ſit, qui ad ſalutem publicam, ac defenſionem Imperii convertere æque eas poſſit, debeatque, ac alias res Eccleſiaſticas. Si enim Pontifici tribuunt jus derogandi Concordatis, quidni idem fas erit Imperatori? Ita enim Annatæ redeunt ad finem honeſtiſſimum, defenſionem Imperii, neque neceſſarium eſt rogare Pontificem, ut cedat Annatis ad tempus, niſi reverentiæ cauſa id facere velit Imperator. Cæterum ſervandus uſus Annatarum, tollendus abuſus; Pacta enim publica fulciunt Annatas, abſit ergo, ut quis contra eas diſputet. Fruſtra Simonia hic fingitur; quidni enim ut aliis Sacerdotibus, ita & ſupremo Sacerdoti vel lege vel pacto tribui poſſit certa Summa annuorum redituum in Monaſteriis. Verba hæc Proteſtantici Scriptoris ſunt, & poſteriora quidem ſatis moderata, anteriora vero, queis ſcilicet facultatem derogandi Concordatis Imperatori aſſerit, neceſſitatem vero precum ac præviæ repræſentationis prorſus excludere contendit, a Scriptore Catholico ſimul ac Germano, ſinceroque fidei publicæ defenſore haud approbanda, utpote qui vias amicabiles, Concordato ipſo publico in aliis caſibus eodem etiam determinatis ſtatutas, prævie tentandas omnino cenſebit. Argumento tamen haud iniquo ea ipſa ſunt, quorſum demum præconceptæ quædam Curialiſtarum Romanorum ſententiæ, ipſis Juris Naturalis Principiis haud conformes, cum ipſo adeo manifeſto Sedis Apoſtolicæ præjudicio, deducere poſſint, ac deſinere ſoleant.

XLII. Ad illuſtrandum ulterius utrumque aſſertum in numeris hiſce antecedentibus paulo latius deductum, tam illud, quod Annatarum remiſſionem ſingulis Eccleſiis ſpecialiter pro rerum, temporum, & regionum qualitate debitam, quam quod earundem etiam ad neceſſitates publicas totius Imperii applicationem, a Statibus & Imperatore quandoque petitam, reſpicit, domeſticum exemplum exhibet hujas Eccleſia Cathedralis revera non contemnendum, quod in confirmatione Electionis Reverendissimi ac Celsissimi Principis Joannis Godefridi a Guttenberg, immortalis memoriæ Epiſcopi, contigit. Exponi tum humilli-

me Summo Pontifici Innocentio XI, cujus etiamnum memoria apud Germanos in benedictione, apud bonos omnes in Gloria eſt, fecerat Illuſtriſſimum prædictæ Eccleſiæ Capitulum, menſæ Epiſcopalis reditus graviter imminutos eſſe præterita bellorum cauſa, & præſertim quatuor antehac annis ob irruptionem Turcarum, Viennæque obſidionem, qua occaſione Eccleſia Herbipolenſis copias cogere, atque etiam ad bellum Hungaricum adminiſtrandum ſtipendiis alere, omnique commeatu providere conſenſiſſet; ideoque pecuniarum anguſtia maxime laborare, cum aliis rebus, frumento, frugibus, omnique commeatu abundaret; facillimum proinde ſibi fore, ſi, quidquid in Romana Curia perſolvendum eſſet pro expeditione literarum proviſionis prædictæ Eccleſiæ, id totum Imperatori Leopoldo ad bellum contra Turcas adminiſtrandum in frumento, ſeu alio commeatu, perſolveret. Annuit idem Sanctiſſimus, & mandavit expediri literas Apoſtolicas per viam ſecretam cum hoc, quod omne & totum id, quod ratione expeditionis literarum hujusmodi perſolvendum eſſet, Imperatori in frumento & commeatu perſolveretur; quin & S. R. E. Cardinalibus, ac omnibus Officialibus quocunque nomine munitis, & ſpeciali alias expreſſione dignis in virtute ſanctæ obedientiæ ſtricte præcipiendo mandavit, ut gratis ubique absque aliqua cujusvis taxæ aut regalium ſolutione ... expedirent; omnia vero jura illa quocunque nomine nuncupata, pro ea tamen vice tantum, ad bellum Hungaricum contra Chriſtiani nominis hoſtem adminiſtrandum deſtinavit, & deſtinata eſſe voluit, ita tamen, ut eadem gratia etiam in ſimilibus caſibus non tranſiret in exemplum. Hoc proinde in exemplo duo ſunt, quæ hic ſeparanda veniunt, atque omnino ſecernenda: *Relaxatio* nimirum ob præſentiſſimas Eccleſiæ Herbipolenſis calamitates facta; quæ tamen calamitates tales, exponente ipſomet Capitulo, fuerant, ut præſentis tantum pecuniæ penuriam facerent, quam tamen aliorum omnium abundantia, & temporum ubertas absque notabili ſubditorum gravamine ſupplere poterat. Unde & plenariam

am ipſam & integram eliberationem nec ipſum petierat, nec illum Concordatorum caſum ſubeſſe, pro ſua æquitate ac moderatione, crediderat, in quo iſta tanquam jure debita in Concordatis ſtatuitur. *Alterum* eſt earundem Annatarum in Imperatorem, atque in ſumptus belli contra Turcas gerendi *tranſlatio*, quam revera, tanquam nulla Concordatorum litera vel eminus notatam, ſpeciali Sedis Apoſtolicæ gratiæ in acceptis referre Imperator ipſemet, ſalvo & illæſo Nationis Germanicæ jure, potuit, imo & debuit.

XLIII. * Via porro ac remedium, utrique antehac expreſſis Concordatorum verbis recenſito gravamini, tam illi nimirum perpetuo ob taxæ inæqualitatem, quam huic temporario ob particulares Eccleſiarum calamitates ſatisfaciendi æquiſſimum ſequentibus hiſce verbis mox conſtituitur: *Ad quod petentibus dabimus Commiſſarios in partibus, qui diligenter inquirant & retaxent.* Ubi per inquiſitionem hic promiſſam querelis particularium Eccleſiarum, in qualitate rerum, temporum, & regionum fundatis, per retaxationem vero iniquitatis taxæ accuſationibus remedium opponitur. Æquiſſimum utrumque ſuperius diximus; cum enim utriusque partis compaciſcentis tam Nationis, quam Curiæ Romanæ ibidem intereſſe verſetur; unius certe aſſertioni non prorſus deferendum eſt, ſed, ex principiis generalibus ſupra in *Præfatione* præmiſſis, alterius quoque cognitio neceſſario requirenda. Nihil enim tam ſolenne eſt debitoribus ad ſolvendum interpellatis, quam ſuam egeſtatem ac impotentiam, neceſſitates proprias atque domeſticas exaggerare, creditores vero vix unquam adduci poſſunt, ut fidem habeant, & potius in ſuggerendis ſatisfaciendi ſibi mediis, in inveniendis quoque titulis, quibus ipſam egeſtatis hujus culpam in debitores refundant, fœcundiſſimi æque ac facundiſſimi eſſe aſſolent. Exemplum jam præbuere MARTINUS MAJERUS Cancellarius Moguntinus, & ÆNEAS SYLVIUS. Summam Germaniæ egeſtatem ille in

quibusdam Eccleſiis exactioni Annatarum amarius imputabat. Hic vero certiſſimam hujus Germanicarum Eccleſiarum egeſtatis cauſam in Prælatos ipſos, in Nepotismum eorundem, ac immenſa dona in cognatos profuſa, in regificas dapes, equorumque & ſatellitii magnificentiam rejiciebat. *Amicis & neceſſitudine junctis*, inquiebat, *quam multa Prælati elargiuntur, quod niſi faciant, illi ſuopte ingenio Eccleſiaſtica bona compilant, omnes Principum more equos canesque alunt, & hiſtriones paraſitosque nutriunt, neque ſine magno comitatu eſſe volunt. Nec tu aliter, quam in Aulis Regalibus, apud Prælatos tuos inſtrui convivia videbis.* Verbo: mordacius hiſce concludebat idem ÆNEAS: *Luxuria & ambitio Germanicas Eccleſias, non Romana Curia, exhaurit.* Et quod totalem Annatarum abolitionem, quam exinde inferre prætendebat MAJERUS, attinet, non iniqua forſan videbatur ÆNEÆ exceptio: quoad temporalem vero & ſpecialem earundem remiſſionem, de qua hic ſermo eſt, quamvis non æque cauſa egeſtatis indaganda ſit, ne Anteceſſoris, dilapidatoris forſan prodigi odio, Succeſſor innocens, & multo minus ipſamet Eccleſia, contra omnem ſanæ æquitatis regulam, prægravetur, & penitus opprimatur; ipſius tamen neceſſitatis, & indigentiæ veritas aut exiſtentia quocunque in caſu, niſi notoria plane eſſet, ac manifeſta, inquiſitione indiget. Atque ideo, cum illa via, quæ per ſolas literas & communicationes mutuas inſtituitur, prolixa nimis, nec omni ſemper alterius partis ſuſpicione immunis ſit; ea, quæ per commiſſiones locales fit, tanquam commodior, opportunior atque ſecurior omnino præhabetur; dummodo & Commiſſarii iſti, uti ſupra de Electione dictum fuit, Nationales exiſtant, qui Dignitatis inſuper Principalis, & pendentium inde plurimorum onerum, & honeſtarum, imo neceſſariarum, ac inevitabilium expenſarum publicarum, rationem habendam eſſe ſciant atque exiſtiment.

XLI.*

Digitized by Google

XLI. * Tempus præterea ſolutionis, quod cum reliquis ingentem fuiſſe offenſionis lapidem ex recenſitis ſuperius Nationum querelis conſtat, determinatur. Cum enim jam inde a funeſto illo Schismate Avenionenſi introductum eſſet, ut integra Annatarum ſolutio ante literarum Apoſtolicarum relaxationem perficeretur; nunc vigore Concordatorum literas potius Apoſtolicas ſtatim expediendas, & modo poſtea infra annum ſolam taxæ medietatem perſolvendam eſſe decernitur, altera adhucdum medietate ad annum alterum inſequentem reſervata, in verbis: *Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum a die habitæ poſſeſſionis pacificæ, totius vel majoris partis ſolvantur, & pro alia media parte infra annum ſequentem.* Brevi equidem hæc ſolvendi & partiendi ratio, teſte experientia, evanuit, aut vix unquam in uſum deducta fuiſſe oſtenditur. Vix enim concluſis hiſce Germanorum Concordatis jam querimonias ſupra laudatus MARTINUS MAJERUS vir Juris conſultiſſimus ad ÆNEAM SYLVIUM ſatis acerbas detulit, invidioſam non mora, non procraſtinatione ulla conceſſa, exigendi Annatas rationem redarguebat, indeque maxime invidiam conflari Curiæ Romanæ cauſabatur. Quibus ea propter ÆNEAS reſpondit, a Beneficiatis ipſis Pontificem has in anguſtias denuo eſſe conjectum, & ob pertinacem nimium iſtorum renitentiam, atque præterea ad evitandam cenſurarum ob pecuniarias ejusmodi exactiones infligendarum neceſſitatem, & ob contumelioſum earundem contemptum, antiquum, utut ex Schismate ortum, rigorem repeti denuo debuiſſe, in verbis: „ Illud non ſinemus intactum, quod ad exigendos beneficiorum, „ quæ Romæ conferuntur, medios fructus, ſive, ut ajunt, Annatas, nullam permitti creditoribus moram accuſas, quod tamen conventa ipſa depoſcant; Verum eſt enim, quod ais: Verum hoc ab eorum ingratitudine ortum invenies, qui cum Eccleſias conſecuti eſſent, dilationemque ſolutionis faciendæ obtinuiſſent, poſtquam literas Apoſtolicas habuere, & domum

„re-

„ reverſi poſſeſſionem conſecuti ſunt, neque in præſtituta die, „ neque multis poſt annis Apoſtolicæ Cameræ ſatisfacere „ curaverunt, excommunicationis pœnam, cunctasque cenſuras „ levi animo penſitantes, quorum non fuit parvus numerus. „ Compulſa igitur Apoſtolica Sedes, nam inde Cardinalium vi„ ctus eſt, adverſum injuſtam rebellionem juſtum invenit reme„ dium, & ingratitudini obviam pergens, ſolvere ante tempus „ eos inſtituit, qui poſt tempus aliorum exemplo ſatisfacturi non „ videbantur. Quod autem ſuo jam tempore introductum, & uſitatum in recitata hactenus Epiſtola teſtatur Æneas Sylvius, idipſum ad noſtra usque tempora continuatum hodierna teſtatur experientia. Nec ſane eſt, cur Natio Germanica Concordatorum hac in parte obſervantiam ad apicem usque rigidius exigat, pluris enim valere utique debet mutua Sacerdotium inter & Imperium pax & concordia, quam ejusmodi emolumenta vel inde exigua, quod aut ocyus aut ſerius Eccleſiis illa ſubduci parum profecto interſit; & uſus quosdam abſolute in ſe non malos, ex omnium Sapientum ſententia, tolerare potius convenit, quam triſtibus ejusmodi ſequelis, quæ immaturam & violentam eorundem abolitionem ſubſequi fortaſſis poſſunt, portam aperire, aut earum ſaltem periculum ſubire, ſponteque accerſere.

XLV. * Alterum, quod ad tempus ſolutionis etiamnum pertinet, memorabile inſuper illud eſt, quod vacatione ejusdem Eccleſiæ infra annum bis vel pluries contingente, adeo, ut duobus ſucceſſive ſubjectis conferatur, Annatæ, & conſueta alias ſervitia communia ſemel tantum perſolvantur. Qua in re ſicut easdem pro confirmatione aut proviſione, tanquam temporale pro ſpirituali, non dari, Concordata abunde teſtantur, ita æquanimitatis Summorum Pontificum, Eccleſiarum neceſſitatibus condeſcendentis, aliquod ſaltem præbent argumentum ab antiquo rigore Nationibus admodum gravi oppido alienum. Idipſum pro Regno Francorum Conſtitutione Gregorii XII. ſancitum, & in Curia Romana hucusque rite obſervatum fuiſſe, teſtatur Natalis

Ale-

Alexander' *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sæc. XV. & XVI. Diſſert. IX. art. VI. n.* 16. Nec contrarium hactenus in Germania exemplum ullum docuit, aut ulla deſuper inter varias & quam plurimas de Concordatorum violatione querelas reperitur. Quæ vero de vacationibus pluribus, intra diverſos tamen annos, brevi temporis intervallo ſibi mutuo ſuccedentibus a Statibus Germaniæ ſub Maximiliano I. Imperatore Anno MDX. obmotæ fuerant, eæ non ad hunc §. Concordatorum præſentis locum pertinent, ſed ad ſuperiorem illum, in quo etiam a nobis fuerunt allegatæ.

XLVI. * Ex hiſce porro pronum eſt colligere, onus hoc non tam ſacri Antiſtitis, ſive perſonæ eſſe, quæ ad ſacrum munus promovetur, aut confirmatur, quam prædiorum, aut redituum, rerumque temporalium, ſacro ejus muneri annexarum, quarum etiam ratione ſolvuntur. Imo Annatarum hinc Etymologiam recte derivari Jo. Wolfg. Textor *Jur. Publ. Tit. XI. num.* 156. exiſtimat, quod ita reditibus ſacri patrimonii adhærere cenſeantur, ut eis quaſi agnatæ videantur. Quodſi enim ad ſacrum munus duntaxat, non ſimul ad reditus ex iſto munere, uti Titulares aſſolent, pervenit Prælatus, nunquam id tributi genus eundem ſtringit, & exigente ita litera Concordatorum nonniſi a die obtentæ poſſeſſionis terminus currere incipit. Præterea iis duntaxat Miniſteriis injungitur, quæ ad certam proventuum ſummam aſcendunt. In Beneficiis aut Dignitatibus unitis, quamvis idem Prælatus per XXX. aut XL. annos ſuperſtes degeret, ſingulis tamen XV. annis quindenniorum ſolutio recurrit, ut *Cap. IV. & VII. in Sept. Decretal. Tit. de Annatis* memoratur, & interpretatur Flamin. Paris. *Lib. IV. de Reſignat. Beneficiorum quæſt.* X. *num.* 4. ibi. „Hac ratione, quia Beneficia unita ſeu incorpo„rata Collegio, Capitulo, ſeu Conventui, aut in illorum favorem „ceſſat ſeu reſignata non vacant amplius; ne fraudetur Cancel„laria, introductus fuit Stylus in Cancellaria, quod lapſis XV. „annis a tempore unionis ſeu reſignationis hujusmodi factæ ſol„vatur denuo Annata talis Beneficii ſic uniti vel ceſſi, & appel-

Digitized by Google

„lantur quindennia, quia per decurſum XV. annorum nova ſolutio fieri debet. „ Et licet juxta *Numerum antecedentem* his vacans eodem anno Prælatura, duobus ſucceſſive Præſulibus conferatur, ſemel tamen duntaxat communia ſervitia penduntur. Ex quibus omnibus & huic facile concluſioni locus eſſe poterat, quod, cum Annatæ, aut communia ſervitia ita dicta onus reale ipſi Patrimonio Eccleſiaſtico adhærens ſint, ad Succeſſorem quoque Prælatum ejusdem poſſeſſorem illa tranſire oporteat, quæ ab anteceſſore Prælato forſan ſoluta non fuiſſent. Nec infundata ſane hæc illatio ipſis partibus compaciſcentibus viſa fuerat, ut vel ideo Natio Germanica aliquot exemplis jam edocta illam a ſe ſpecialiter amoliretur, & expreſſa ſibi cautione proſpiceret, in Succeſſorem poſthac onus illud cum reditibus atque patrimonio Eccleſiarum non eſſe tranſiturum. Id quod Nicolaus V. iisdem annuit in verbis : *Nec debitum hujusmodi in Succeſſorem Eccleſiæ, vel Monaſterii tranſeat.*

XLVII. Similis vero exceptio diſertis verbis expreſſa non habetur, de alio quodam caſu hodie certe multo frequentiori, ſi nimirum vivente eodem Epiſcopo aut Prælato eandem Eccleſiam ſive Dignitatem Conſiſtorialem ſæpius vacare forſan contingat. Id enim ſecundum ipſam Concordatorum literam, & confirmatam ibidem Extravagantis : *Ad Regimen*, Sanctionem tum fieri dignoſcitur, quando idem Prælatus ad aliam Dignitatem Conſiſtorialem, puta, Epiſcopatum, promovetur, atque inſimul ex indulgentia Apoſtolica retentionem prioris Eccleſiæ obtinet. Quæſtio eapropter non otioſa, nec inanis inde emergit : An hoc in caſu non tantum ratione Dignitatis, aut Eccleſiæ per proviſionem aut Confirmationem Pontificiam, ſive potius Poſtulationis admiſſionem, noviter obtentæ, (quod indubitatum eſt,) ſe & ratione illius, quæ antea jam poſſeſſa atque in promotione primæva ejusdem Prælati hoc tributo jam ſemel onerata, nunc ex diſpenſatione Apoſtolica ſimul retinetur, communia iſta Servitia

exigi

exigi a Curia Romana poſſint, atque neceſſario a Proviſis pendi debeant & exſolvi? Non prorſus omni fundamento deſtitutam hac in re apparere Curiæ Romanæ prætenſionem, ex his ipſis, quæ mox dicta fuere, conſequi poſſe videtur. Si enim onus reale Servitia iſta communia cenſeantur, non tam ad Perſonas Antiſtitum, eorumque viciſſitudinem ac mutationem, quam ad ipſos reditus Eccleſiæ, hujusque vacationem videtur eſſe reſpiciendum, ut illis Concordatorum verbis jam ſupra expoſitis: *De Eccleſiis Cathedralibus omnibus & Monaſteriis ... vacantibus, & vacaturis ſolvantur .... Summæ pecuniarum, ... quæ communia ſervitia nuncupantur*, firmius inſiſtatur. Porro per promotionem ad aliam Dignitatem Conſiſtorialem prioris jam antea poſſeſſæ vacationem, & quidem reſervationis Pontificiæ operativam induci, ſuperius *Capite II.* fuit demonſtratum. Atque ipſa demum exceptio *Num. antecedente* expoſita, quod in Succeſſorem Eccleſiæ vel Monaſterii debitum ejusmodi non tranſeat, regulam potius in caſibus non exceptis firmare cenſenda eſſet, in reliquis nempe omnibus Annatas, aut Communia Servitia indolem atque naturam oneris vere realis imitari. Ex quibus omnibus Curialiſtæ Romani ſuam, de Duplicibus Annatis ab Epiſcopo cum Indulto retentionis primi ad alterum Epiſcopatum promoto exigendis opinionem, aut ſuam vivente eodem Prælato, pluribus eandem Eccleſiam Servitiorum communium ſolutionibus onerandi praxin adjuvari, & colorari exiſtimant. Si vero non paucula duntaxat Concordatorum verba ſolitarie & ab integro tenore ſeparata atque abſtracta, ſed totum, qui ſequitur, contextum, ex quo integra Concordatorum litera componitur, penitius inſpiciamus, & conſideremus attentius; Si præterea literæ Concordatorum etiam alteram, æque, imo magis neceſſariam rectæ interpretationis regulam, ipſam nimirum paciſcentium mentem ac intentionem adjungamus; longe aliter procu dubio erit ſentiendum, atque non aliam vacationis ſpeciem ſupradictis initi-

fuerat intentio. Et Natio quidem Germanica ſuis a cervicibus amoliri illas penitus dudum optaverat, quin & variis, queis poterat, viis, unitisque ſtudiis, tum ante, tum poſt Concilium Baſileenſe, & durante neutralitate ſua, tentaverat. Curia vero Romana quamvis in totalem illarum abdicationem ut conſentiret, adduci nunquam potuerit; ita tamen temperare illas voluit, ut ab amplectenda Eugenii IV. ac poſtea Nicolai V. obedientia Nationem poſthac non deterreret, aut retardaret. Quid? quod diſerte proſpectum voluit, ne nimium graves Eccleſiis Germaniæ quacunque ratione evaderent. Plurima enim hunc in finem tendentia ſolicite expreſſit, & ad expreſſorum exemplum etiam reliqua non ſpecialiter expreſſa omnino ſunt dimetienda, adeo, ut illi regulæ ſupra poſitæ, quod *exceptio firmet regulam in caſibus non exceptis*, potius altera omnino hic præferenda videatur, quod nimirum in Concordatis hiſce (quæ utique ex ſupradictis tanquam verus contractus & quidem indubitate bonæ fidei conſideranda ſunt) judicium potius ex bona fide ferendum, id eſt, largior interpretatio ex æquo & bono præeligenda ſit, etiam ultra id, quod in Contractu nominatim fuit expreſſum, atque ob nimiam negotiorum tum controverſorum multitudinem exprimi facile non potuit, dummodo tale ſit, quod, ſi contrahentibus in mentem veniſſet, expreſſum utique fuiſſet. Accedit etiam juſtiſſima ratio, cur tempore Concordatorum vix in mentem venire partibus Concordantibus talia potuerint, cum exempla pluralitatis Epiſcopatuum aut nulla omnino, niſi ſolo quandoque facto attentata, & authoritate Eccleſiæ reprobata, aut perrara ſaltem, ſpecialemque mentionem haudquaquam promerentia tum fuerint, utpote quam poſterior modo temporum noſtrorum neceſſitas, ac Diſſidiorum Religionis in Germania ratio a Summis Pontificibus vel invitis ſerius extorſit. Atque vel ipſa illa Religionis ſumma ratio, & Eccleſiarum Germaniæ neceſſitas, quæ eam pluralitatem, Sacris Canonibus adeo alias inviſam, juſtificat atque purgat, juſtam quoque ab Annatis, ſeu communibus ſervitiis alioquin hic dubiis & ambiguis abſtinentiam omnino ſuadet, eo ipſo,

quod illa onus reale, & non tam Prælatis diſpenſatione aut retentionis indulto donari ſolitis, ſed Eccleſiis ipſis potius vacantibus imponi dicantur, ab eodem vero Prælato eandem Eccleſiam in vita ſua bis, imo quandoque pluries, gravari certe non convenit, poſtquam etiam ſub diverſis Prælatis, brevi nimium temporis intervallo ſibi mutuo ſuccedentibus, id contingere difficile ſatis ac oneroſum Inclytæ Nationi jam dudum viſum fuerat. Quæ quidem inconvenientia multo magis exinde augetur, quod ex ipſismet Curialiſtarum principiis Prælatus cum Indulto retentionis duas Eccleſias Cathedrales retinens alterius non verus ac titulatus Epiſcopus, ſed Adminiſtrator & quaſi Cuſtos aut nudus Detentor dicatur, adeoque Eccleſiæ vacatio jam tum inducta usque ad tempus obitus ſuſpendi, aut differri exiſtimetur; ex quo conſequitur, non tantum bis ab eodem Prælato in vita ſua, ſed etiam ob unam eandemque vacationem bis eandem Eccleſiam gravari. Adhæc retentio ejusmodi Prælatis indulta in utilitatem tantum Eccleſiæ alterius noviter obtentæ, non autem in ejus, quæ jam antea habita fuerat, commodum cedere, plerumque ſaltem, ex natura ſua aſſolet. Non alia enim ratione Epiſcopum jam alterius Eccleſiæ vinculo ligatum poſtulare Illuſtriſſima Capitula aſſolent, niſi quia ſuæ Eccleſiæ illum utiliorem, & alienis ſaltem viribus ad defendendam Religionem, & Eccleſiam ſuam potentiorem fore exiſtimant; Incongruum eapropter ſatis videri poſſet, ut alienis etiam expenſis, iisque ſat gravibus & multiplicatis, hæc utilitas comparetur. Denique mirandum idcirco neutiquam eſt, adeo inviſam ſemper Proteſtantibus fuiſſe eandem Epiſcopatuum pluralitatem, utpote ſuis potiſſimum votis contrariam, & molitionibus inimicam, ut ſuis ubique ſcriptis eandem traducant, & data quacunque occaſione inſectentur, eoque facilius, quod antiquam Patrum traditionem, & purioris Diſciplinæ Sanctionem adeo illis adverſatam fuiſſe noverint. Nihil profecto tam facile illis eſt, quam ex multiplicatis ejnsmodi tributis inferre non utilitatem Eccleſiarum, ſed privata Perſonarum & ipſiusmet Curiæ Ro-

manæ

Digitized by Google

manæ compendia per multiplicationem Dignitatum uni commiſſarum quæri, & inſuper habito Canonum vetito avaritiæ & cupiditati impune litari; diſpenſationem, uti alias, ita multo magis in re tanti momenti periculoſam eſſe, ac vulgari nimium, ubi tantopere lucroſa eſſe ſoleat, & effici hac acceptione munerum, aut ſpe duplicium Annatarum, ut minori cum integritate ac maturitate cauſæ, ob quas unum pluribus præfici Eccleſiis expediat, expendantur, juxta veriſſimum illud Sapientis effatum: *Munera excæcant oculos Sapientum, & mutant verba juſtorum.* Hæc enim eſt ſolenniſſima Boehmeri *in Jur. Eccleſ. Proteſt. Lib. I. Tit. VII. de Translatione Epiſcoporum* §. *IV.* Epicriſis paucis verbis comprehenſa: „Translationes hodie inter Pontificios rariſſime frequen„tantur, poſtquam invaluit plures Epiſcopatus uni committi aſſen„ſu Pontificis: hoc ipſo enim translationes ceſſant. Sunt Romæ „hodie omnia venalia, & ita pretio facillime obtineri poteſt, ut „utrumque Epiſcopatum transferendus retineat.„ Mathæi Paris: exinde querelas, aut potius invectivas jam dudum contra hanc Epiſcoporum Angliæ plures Dignitates, quandoque etiam Epiſcopatus ſimul retinentium conſuetudinem, Curiæ Romanæ indulgentia, ſed non gratuita, ſuffultam obmotas, atque a Thomassino *Diſcipl. Vet. & Nov. Part. II. Lib. IV. Cap. V. num. XI.* relatas recitat, atque renovat, quas tamen modeſtiæ ac reverentiæ cauſa prolixius recenſere ipſimet perhorreſcimus, id unum exinde concludentes, provide idcirco ſeduloque in id incumbendum eſſe, ut ora ſaltem illorum penitus obſtruantur, & occaſio ſubtrahatur, qua ſuas involvere adverſus Sanctam noſtram Religionem contradictiones, & invectivas Canonico quodam obtentu palliare poſſent.

XLVII. * Atque omnia iſta hactenus dicta ad *Servitia communia* ex Dignitatibus Conſiſtorialibus duntaxat, Epiſcopalibus nimirum & Abbatialibus Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectis, ſolvi ſolita pertinet. Sub his autem *minuta* quoque *Servitia*, ex iisdem Dignitatibus Conſiſtorialibus duntaxat pendenda, comprehenſa etiam volumus & cenſemus. Et ſupra quidem *Num. II.* horum noti-

notionem atque ab Annatis proprie dictis differentiam præſuppoſuimus; ipſam vero horum diſtributionem eruditionis cauſa huc breviter tranſcriptam pluribus enarrat THEODORUS AMYDENIUS *Tract. de Officio & Jurisdictione Datarii & de Stylo Datariæ Lib. I. Cap. XVIII.* §. *III. ſupra cit. n. XVIII.* ibi. Illa (*Servitia* nimirum *communia & minuta*) locum habent in proviſione Eccleſiarum, aut Monaſteriorum, ſive aliorum quorumcunque Beneficiorum Conſiſtorialium hoc modo: videlicet Beneficium Conſiſtoriale ſi taxatum reperitur in Libris Cameræ v. g. ad Ducatos CCC, Annata ad hanc Summam non ſolvitur Officialibus Cancellariæ, ſed tribus generibus perſonarum, nempe Sacro Collegio Cardinalium pro tertia parte, pro alia tertia Cameralibus, & pro reliqua tertia Officialibus in Cancellaria, qui Annatiſtæ dicuntur, adeo, ut taxa in ſingulis excedat tertiam partem, & hæc ſolutio Annatæ dicitur *Servitium commune*, ex eo exiſtimo, quod tota & integra Annata dividatur inter Cardinales, Camerales, & Annatiſtas communiter, hoc eſt, pro æquali portione. *Minutum* vero *Servitium* ſolvitur iisdem, ſed non pro æquali portione, & taxa illa non excedit tres cum dimidio pro centenario, quæ non cedunt in gravamen proviſi. Nam quando integra taxa dividitur in tres Partes, puta, ſi Eccleſia ſit taxata ad mille, & quingenta, taxa ſtatuitur ad quingenta tantum, de qua, ut diximus, Cardinales, Camerales, & Annatiſtæ æqualia percipiunt emolumenta, nunquam tamen ſolutio hujusmodi tripartita aſcendit ad eam ſummam, quæ ſolvitur pro integra Annata, ſi diviſio facta non eſſet, & ideo partes in ſolutione minuti Servitii in nihilo gravantur, imo neque cum hoc minuto Servitio perſolvunt integram mediam Annatam. Differentiam propterea iſtorum ab Annatis proprie dictis in eo conſtituit, quod illæ in Beneficiis non Conſiſtorialibus locum habeant, & Officialibus Cancellariæ tantum ſolvatur, ita quidem, ut Officiales omnes de Annata participantes ex VESTRII praxi *Lib. I. Cap. IV. num. IV.* enumeret, videlicet Solicitatores literarum Apoſtolicarum, vulgo Jannizeros nuncupatos, & iſti participant ad rationem duorum cum dimidio pro centenario; Scriptores Archivii,

vii, & iſti participant, ad rationem 6. pro centenario, Cubicularios & ſcutiferos, & iſti participant ad rationem 10. pro centenario; Milites Ss. PETRI & PAULI, & iſti participant ad rationem 15. pro centenario; Portionarios Ripales, & iſti participant ad rationem ſimiliter 15. pro Centenario. Atque hos omnes reſidere in Cancellaria Apoſtolica aſſerit, præter quos tamen extra Cancellariam participare ulterius de Annata Clericos Cameræ Apoſtolicæ ad rationem unius cum dimidio pro Centenario, quæ ſummæ invicem junctæ conſtituant Summam 50. Ducatorum, quæ ſolvantur pro Annata, videlicet Ducatorum 100. ſi totidem Beneficium fuerit taxatum, ſive expreſſi illius fructus. Quam tamen utramque, ſive Annatarum, ſive communium & minutorum ſervitiorum perceptionem, ac inter diverſos Curiæ Officiales partitionem, ſicut & ipſam veram utrorumque differentiam, in qua explicanda ANTONIUM GALESIUM *Tract. de Annata* idem AMYDENIUS erroris hoc eodem in loco arguit, Curialiſtis Romanis Nos Germani merito relinquimus, de ſola, illa ſolvendi ex Beneficiis Germaniæ, obligatione & neceſſitate per transactionem hancce publicam conventa & ſtabilita unice ſolliciti.

XLIX. De *Annatis* igitur *proprie dictis*, ſive iis, quæ ex Beneficiis, Perſonatibus, & Dignitatibus inferioribus ſolvuntur, ita ſtatuitur: *De cæteris vero Dignitatibus, perſonatibus, Officiis & Beneficiis ſæcularibus & regularibus quibuscunque, quæ authoritate dictæ Sedis conferentur, vel de quibus providebitur, præterquam vigore gratiarum exſpectativarum, aut cauſa permutationis, ſolvantur Annatæ, ſeu medii fructus juxta taxam ſolitam a tempore poſſeſſionis infra annum; & debitum hujusmodi ſimiliter in ſucceſſorem in Beneficio non tranſeat.* Pauca ſunt, quæ a ſuperius dictis diverſa hic continentur, unde & unico facile numero concludenda, quo id duntaxat adduxiſſe ſufficiat, quod (1.) Annatæ iſtæ non quintam tantum partem, ſed medietatem fructuum, juxta ta-

Digitized by Google

xam tamen ſolitam, complectantur. Deinde (2.) quod taxa iſthæc non æque fixa, aut in Matriculis Annatarum, ſive Libris Cameræ adnotata reperiatur; forſitan ne claſſes nimium excreſcerent, & quod operoſum nimis fuiſſet, reditus ſingulorum minoris ſortis Beneficiorum habere in numerato. Olim etenim fructus iſtorum exigebantur per Collectores a Sede Apoſtolica in ſingulis fere provinciis deputatos. His vero excluſis, dum in numerata pecunia & iſti medii fructus ſolvendi ſunt, ex ipſo vero valore in literis expreſſo, teſte FAGNANO *loc. cit. n.* 68., horum taxa deſumitur, quem, medio etiam jurejurando, ut definiant Beneficiarii ejusmodi, urgeri a Cameræ Apoſtolicæ Præfecto juxta *Cap. VII. de Annatis in VII.* poſſunt. Unde taxæ ſolitæ nomine hic ſolam naturalem fructuum per Collectores legendorum præſtationem excludi velle, multum veroſimile redditur. Præterea (3.) differunt, quod earum ſolutioni terminus non duorum, ſed unius anni, a tempore captæ poſſeſſionis ſimiliter computandi, præfigatur De reliquo, quod debitum hujusmodi in ſucceſſorem non tranſeat, ſervitiis communibus æquiparantur. Et ſicut illa omnes Dignitates Conſiſtoriales, ita hæ omnia omnino Beneficia ad immediatam Sedis Apoſtolicæ Collationem pertinentia (exceptis ſolis exſpectativis, quas utpote fructibus vacuas hoc onere, nonniſi fructibus inhærente, ipſa rerum natura abſolvit, & permutationibus, quas eodem onere, utique Beneficio permutando in vita eorundem Beneficiatorum jam ſemel impoſito gravari denuo humanitas non ſinit) ſpectata Concordatorum litera ſane ampliſſima, afficiunt. Cui tamen cum univerſalis & conſtans totius Germaniæ uſus, *Num. mox ſequenti*, indigitandus contradicat, diuturniori diſcuſſione non indiget.

L. * Multo enim favorabilior ea eſt diſpoſitio, quæ verbis mox ſequentibus effertur: *Sed de Beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera non excedunt, nihil ſolvatur.* Quæ quidem diſpoſitio ſtyli generalis eſt, & univerſali conſtitutione CLEMENTIS VII. *Cap. II.* Item PII V. *Cap. VII.*

VII. de Annatis in VII. Decretal. relata. In eo autem favorem ingentem pro Germanis continet, quod ex generali Germaniæ conſuetudine, ſuffragante ipſiusmet Curiæ Romanæ Stylo ſpeciali, ut tradit Chokier *ad Reg. Cancell. LXI.* Canonicatus & Dignitates inferiores Germaniæ omnes non æſtimentur, niſi ad valorem XXIV. Ducatorum, ſive florenorum auri de Camera, qualiscunque ſit verus valor, ut adeo Canonicatus, cujus valor verus aſcendit ad mille ducatos, non æſtimetur in Curia niſi XXIV. Ducatis, ad eum duntaxat effectum, ne Annatis ſubeſſe cogatur. Ex generali vero Germaniæ conſuetudine unice hic favor merito repetendus videtur, cum verba Concordatorum expreſſa diſtinctionem inter Beneficia Germaniæ in annuo valore XXIV. Ducatos auri de Camera excedente vel non excedente fundatam, & ipſa adoptare, &, ubi ſola Beneficia non excedentia illum valorem onere Annatarum eximunt, hoc ipſo reliqua omnia illum excedentia, uti *Numero mox antecedente* aſſeruimus, eidem ſubjicere dignoſcantur.

LI. Equidem Brandenius, ſeverus profecto nimium Jurium & Privilegiorum patriorum cenſor, de hoc valore, ſubdubitare videtur, dum ait, deſiderari hujus valoris aut conſuetudinis opportunam probationem. Sed multo hæc facilior Germanis ſane occurrit, & ſuffragatur probatio, quam Gallis, quamvis origo ejusdem conſuetudinis pro Gallia notior, ſed & paradoxa magis ſit, quam pro Germania. Galli enim ſuis in Corcordatis inter Leonem X. & Franciscum I. initis, *Tit. de Mandatis §. Statuimus*, expreſſe conceſſerant, quod in impetrationibus Beneficiorum illius Regni verus eorundem valor, ex quo Annatarum taxa regulanda foret, exprimi deberet; nihilominus Articulus iſte ſtatim ab ipſo publicationis Concordatorum factæ primordio in controverſiam revocari cœpit, adeo, ut in irritum ceſſerint, & Cancellarii de Prato declaratio, & conatus omnes, quos Leo X. ,de violato Concordato alte conqueſtus, pro ejusdem obſervantia adhibuit; & quamvis paulo poſt idem Leo Papa declarationem poſt ſuam Conſtitutionem: *Romanus Pontifex. Tom. I. Bullarii magni* impreſſam anno

 MDXVII.

Digitized by Google

MDXVII. Calendis Octobris emiſerit, qua, attenta frequentiſſima impoſſibilitate aut difficultate ſaltem permagna verum annuum Beneficiorum valorem, qui vigore Concordatorum in proviſione inferiorum Beneficiorum exprimendus fuerat, in talibus anguſtiis temporis, & avida celeris tantum Nuntii Romam expediendi ſolicitudine, reſciendi, & determinandi, indeque ſecutura ob non veram expreſſionem plurium gratiarum nullitate, id unum declaravit, quod de cætero impetrantes Beneficia Eccleſiaſtica in Regno, Delphinatu, & Comitatu Dienſi, & Valentinenſi per obitum duntaxat vacantia, ſi verum annuum valorem non expreſſerint, poſſint infra annum, a die datæ literarum computandum, valoris male expreſſi correctionem petere ab Officialibus, ad quos pertinet, ipſi tamen proviſi pro augmento valoris expreſſo Annatam Cameræ Apoſtolicæ ſupplere ac ſolvere adhucdum debeant, & teneantur; imo & impetrationes ratione non expreſſi veri valoris Beneficii infra dictum annum factas prorſus annullavit; exinde nihilominus & vigore hujus Conſtitutionis prætendunt Galli, & fatetur Fagnanus in *Capit. Præterea: num. 72. Ne Prælati vices ſuas*, conſuetudinem a Sede Apoſtolica indultam invaluiſſe, ut pro Beneficiis inferioribus Annatas non ſolvant, & ſub valore XXIV. Ducatorum auri de Camera eorundem Beneficiorum omnium fructus exprimere impune iisdem liceat. Quamvis contrarium prorſus expreſſa hujus conſtitutionis Leoninæ litera inferret; facilem tamen revera denegationis anſam eatenus dedit in Gallia, quod permiſſa & ſancita ſemel gratiæ aut proviſionis, etiam non expreſſo vero valore, impetratæ validitate & ſubſiſtentia correctiones illæ pro expreſſione veri valoris ad eum tantum effectum neceſſariæ viderentur, ut periculo ſecundæ impetrationis obviam iretur; hæ vero, modo nihil aliud peccatum eſſet, alioquin non tolerarentur in Gallia, & effectu, ſive executione fruſtrarentur, cum Articulum illum nunquam receptum fuiſſe in Regno, teſtetur Rebuffus *ad eund.*

LII.

LII. Pro Germanis, quæ hujus conſuetudinis origo ſit, incertum prorſus eſt; hoc unum conſtat, vi hujus Concordatorum loci Beneficia, quorum proventus non excedunt valorem XXIV. florenorum auri de Camera, a ſolutione declarari & pronunciari immunia. Veroſimile proinde eſt, Principes & Status Imperii cum, ex ſuperius memoratis, unitis ſæpe ſtudiis & querimoniis ſat acerbis apud Romanos Pontifices pro moderatione Annatarum inſtitiſſent, id tandem obtinuiſſe, ut Dignitates & Beneficia non Conſiſtorialia exprimerentur ſub expreſſione iſtius taxæ cameralis XXIV. Ducatorum auri de Camera, & ſub umbra talis taxæ Cameralis immunitas Annatarum, ſine aliorum conſequentia, & ſine majori Curiæ præjudicio, uti loquitur Zypæus *Conſult. V. de Reſcriptis num.* 2., iisdem conciliaretur.

LIII. Utut autem ſit de occaſione hujus inductæ conſuetudinis, certum tamen eſt, in Germania eandem invaluiſſe, atque vel inde ejusdem immemorialitatem, & conſequenter ampliorem favorem multo magis firmari, & roborari. Cui quam plurimorum Doctorum etiam extraneorum, ut Nationales taceam, uti Chokier ſupracitati, Zypæi, & Espenii, & Nicolarts *ad Concordata Germaniæ* authoritas ſuffragatur, quibus & Curialiſtæ ipſimet Romani, ut Rosa *de Executoribus Cap. V. num.* 247. *& Cap. VI. num.* 169. Cardinalis de Luca *de Beneficiis Diſc. XC. Num.* 15., ac demum Rigantius *Comment. in Regul. Cancell. LV.* accedunt, qui poſtremus hanc conſuetudinem & praxin Concordatis ipſis Germanicæ Nationis cum Sede Apoſtolica initis innixam eſſe fatetur. Quæ ipſa porro præjudiciis adeo firmata ab eodem Zypæo *Conſultat. Canon. Lib. I. Conſ. VI. Num.* 2. oſtenditur, ex quadam Deciſione Rotæ Romanæ data XX. Novembris MDCXXIV., cujus originale a ſe viſum fuiſſe aſſerit, & cum in paucorum manibus eſſet, verba eo ſpectantia ſuæ conſultationi ſupra citatæ inſeruit, atque ideo huc etiam merito tranſcripta. Ea ita ſe habent: „Nec „ſuffragatur, quod fructus Canonicatuum illarum partium ſoleant „exprimi per non exceſſum in Ducatis XXIV, ut de conſuetudine „totius Germaniæ dixit Rota *in Leodienſ. Canonicatus IX. Decem-*

„*bris MDLXXXIX*, & *in Colonienſ. Canonicatus XX. Maji MDCII.*
„*coram B. mem. Cardinale* Pamphilio, *in Leodien. Canonicatus & „Scholaſteriæ XXVII. Februarii MDCXII. Coram B. m. Cardinale* „Sacrato, *& in Paderbornen. Canonicatus XXIX. Maji MDCX.* „*Coram Reverendiſſimo D. meo Decano*, quoniam talis conſuetu„do obtinet quidem in proviſionibus, quæ fiunt in Curia ad ef„fectum juſtificationis narrativæ factæ in gratia conceſſa per Pa„pam, & in his terminis procedunt dictæ Deciſiones, & hoc in„troductum fuit *per Concordata*, ut evitetur ſolutio Annatæ in „Curia, non autem ad alios effectus, cum imo, ut valide fiant, „nominationes conceſſæ ex privilegio, verus valor, prout eſt, ve„niat omnino exprimendus, quemadmodum in his terminis pul„chre notat Rebuffus *in Prax. Benef. in III. part. ſignificatur verſ.* „*nec non verus valor. num. VII. in fin.* & latius in *Tr. ct. Nominat.* „*Quæſt. IX. num. XXXII. & XXXIII.* Alias enim fruſtra in præ„dictis indultis conceſſis Univerſitati fuiſſet limitata facultas no„minandi ad Beneficia valoris LX. vel C. Ducatorum, cum ſci„rent Summi Pontifices valorem cujuscunque etiam opulentiſſimi „Beneficii in illis partibus non exprimi, niſi in XXIV. Ducatis, „& alioquin etiam illuſum eſſet voluntati Romanorum Pontifi„cum, ſi, dum ipſi reſtrinxerunt indultum ad Beneficia valoris „C. Ducatorum duntaxat, ſub hac tamen poſtea cautela conſue„tudinis Germaniæ exprimendi in Ducatis tantum XXIV. Lova„nienſes invaderent Beneficia valoris trecentorum & quatercen„torum & ultra Ducatorum.„ Unde quoad Beneficia Germaniæ nunquam examen aut inquiſitio circa proventus Beneficiorum ad effectum Annatarum inſtituitur, in ordine ad veritatem hujus expreſſionis indagandam, ſed ſive exigui ſive magni & notabiles ſint, ſemper hæc formula ſervatur, neque unquam ob falſam valoris expreſſionem proviſio ut ſub- & obreptitia impugnatur, imo hæc clauſula expreſſionis valoris tantum mera Styli formula eſt, nec verum valorem Beneficiorum denotare, ſed vi conſuetudinis ſat notæ nihil aliud ſignificare intendit, quam hæc

Bene-

Digitized by Google

Beneficia ſolutioni Annatarum non eſſe ſubjecta, qua ſane fictione Juris & Styli in magnum Nationis noſtræ emolumentum redundantis mirifice nobis gratulamur Germani, & ſuam Curiæ Romanæ in retinendo Stylo ſuo tenacitatem, in noſtrum tamen favorem perquam liberalem & munificam adeo non invidemus, ut gratanter potius, utiliterque acceptemus.

LIV.* Clauſula denique finalis de Concordatorum, ac præſertim hujus circa Annatas tranſactæ obſervantiæ, duratione ſupra *Cap. I.* jam diſcuſſa adjungitur in verbis : *Duretque hæc obſervantia deinceps, niſi eam ſimiliter in futuro Concilio de ipſius Nationis conſenſu contingat immutari.* Et, cum ibidem ex rationibus generalibus, & quoad effectus ſuos ac ſequelas communes, affatim exhauſta reperiatur; otium eatenus jam factum nobis eſt; ſpecialem tamen & hoc loco adnotare ſupervacaneum haud judicamus in eo poſitam, quod novarum Annatarum impoſitio, aut antiquarum immutatio & augmentatio decimarum illarum Eccleſiaſticarum, & onerum ſuper Clerum & Eccleſiaſtica bona impoſitioni hic æquiparetur, & cum Curialiſtarum frequentior & communior fuerit ſententia, Papam poſſe collectare, ut loquuntur, Eccleſias totius orbis, & ſubſidia imponere adinſtar Principum Sæcularium etiam ſine cauſa; Natio Germanica eam facultatem per CONCILIUM olim LATERANENSE, ac poſtea multo magis per CONSTANTIENSE alioquin jam coarctatam, & ad authoritatem Concilii generalis, vel, exigente magna & ardua cauſa Eccleſiæ totius bonum ſpectante, ad Prælatorum ſaltem, quorum intereſt, conſenſum reſtrictam, pro majori ſui ſecuritate, etiam novo pacti vinculo magis ligare voluerit, adeo, ut, quemadmodum in Germania collectæ Politicæ argumentum Comitiale ſunt, & nonniſi accedente conſenſu Statuum ab Imperatore imponi poſſunt, ita quoque ad immutationem circa tributa ejusmodi Eccleſiaſtica introducendam nonniſi plurium Eccleſiæ Antiſtitum in Concilio generali congregatorum, ac noſtræ præ-

ſer-

ſertim Nationis, de cujus re ac Jure per pactum publicum determinato agitur, concentus ſit exaudiendus. A veri proinde ſimilitudine haud procul diſtare exiſtimamus, hujus adjungendæ Clauſulæ occaſionem ex ea, quæ MARTINUM V. Papam inter & Concilium Conſtantienſe ſuper impoſitione Decimarum, præſenti Annatarum argumento apprime affinium, intercеſſerat, contentione eſſe derivandam. Nam ex recenſita jam ſuperius hiſtoria obſervandum omnino venit, Decretum de Decimis poſt electionem MARTINI V. Summi Pontificis in prælaudato Concilio fuiſſe deliberatum. Propoſitis enim jam antea in *Seſſ. XL.* die XXX. Octobris MCCCCXVII. octodecim illis Articulis reformationis faciendæ, quorum poſtremus fuerat *de Decimis*, MARTINUS V. modo die XI. Novembris electus, & die XXI. ejusdem coronatus fuit, die dein XXI. Martii MDCXVIII. in *Seſſ. XLIII.* ea Decreta a Summo Pontifice, & Concilio ſtatuta circa quosdam Articulos ex octodecim illis propoſitis, & inter cæteros circa Articulum Decimarum Papalium ſunt publicata. Verum Decretum nomine MARTINI V. editum diſcrepat aliquantulum a Decreto Synodi, in eo ſcilicet, quod reſpicit authoritatem imponendi Decimas, & alia onera. Siquidem eandem ad ſe trahit Pontifex; Concilium vero in ſuo Decreto ſibi hanc ipſam attribuit. Verba Decreti Conciliaris hæc ſunt: *Cum paterna pietas filiis hominum providere debeat, licet in caſu neceſſitatis urgentis valeat viciſſitudo laudabilis, declarat Sancta Synodus, non licere Romano Pontifici indictiones, ſive exactiones quascunque ſuper Eccleſiam vel Eccleſiaſticas perſonas imponere per modum decimæ, vel alio quovis modo. Si vero, cum neceſſitas acciderit Papæ, qua eſſet eidem debite ſubveniendum, vocato generali Concilio, ſecundum quod expediens videbitur & utile, ſecundum Decretum Concilii provideatur eidem.* Verba vero Decreti Pontificii ſuperius *num. XVII.* recenſuimus; ſed ambigua illa ſatis deprehenduntur.

Nam

Nam præcipit, ne Decimæ & alia onera Clero imponantur, niſi de conſilio & conſenſu & ſubſcriptione Cardinalium & Prælatorum, quorum conſilium commode haberi poterit, atque ne ſpecialiter in aliquo Regno, vel Provincia leventur absque conſenſu Prælatorum, vel eorum majoris partis; vult deinde evitare celebrationem Concilii generalis, ſibique reſervare poteſtatem imponendi, & tamen prohibet, ne exactio fiat in Regnis, niſi cum conſenſu Prælatorum, ſperans videlicet, facilius ſingulos in partes ſuas transgreſſuros, quam ſi congregarentur. Quoad effectum utrumque Decretum in eo conſpirat, quod nimirum onera illa ſaltem imponi non poſſint absque conſenſu Prælatorum. Hac Decretorum diſcrepantia in eadem materia facile adducimur, ut credamus, diverſas fuiſſe ſententias Summi Pontificis & Concilii, tandemque inter eos ita conveniſſe, ut utrinque Decreta fierent, quibus ſua jura Pontifici ſervarentur, & ſua itidem Concilio. Id quod inprimis obſervandum erat, nec antea facile unquam acciderat. Sed nec prætermitti debet, Decretum Concilii valde periclitatum eſſe, ac parum abfuiſſe, quin periret. Deſcriptum enim non habetur in corpore Actorum Concilii, ſed in calce poſt confirmationem Conſtitutionum Friderici II. Imperatoris, & Carolinæ, loco ſatis inopportuno, adjicitur: pudore videlicet prohibente, ne Collectores illud omnino ſupprimerent. Atque inde eſt, quod ab aliis Nationibus appellationes frequentiores contra ejusmodi impoſitiones Decimarum Papalium, aut aliorum onerum interpoſitæ fuerint. Nam Academia Pariſienſis appellavit a Commiſſariis Executoribus Decimæ unius anni, Decreto Papæ Innocentii VIII. Beneficiatis Galliæ anno MDCXC. impoſitæ, cui prætexebatur bellum adverſus Turcas, cujusque tertia pars decidere debebat Cameræ Apoſtolicæ, reliquum vero Regi; ab iis inquam, Commiſſariis Academia Pariſienſis appellavit ad Papam, & ad futurum Concilium univerſale. Inter fundamenta vero appellationis commemorat duo Decreta Concilii Conſtantienſis ſupra laudata, id eſt, De-

cretum nomine Concilii editum, & illud item, quod nomine Pontificis MARTINI V. fuerat conceptum. Quæ integra in Actis Appellationis deſcripta extant. Similiter anno MDI. Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Pariſienſis ab impoſitione Decimæ ab ALEXANDRO VI. imperatæ appellans ad ipſum melius informatum, ad Concilium univerſale, ad Regem Chriſtianiſſimum, & ad Curiam Parlamenti, & ad illum, ſeu illos, ad quos pertinuerit, appellationis ſuæ caput acceſſit a libertate Eccleſiæ., & ex Decreto Concilii Conſtantienſis, quo decimæ impoſitio Concilio generali eſt reſervata. Clerus vero Hiſpaniæ anno MDXXIII. ab impoſitione quartæ partis redituum Beneficiorum Hiſpaniæ, quam Papa ADRIANUS VI. imperaverat, appellans, adducit Conſtitutionem Papæ MARTINI V. in Concilio Conſtantienſi editam, nulla prorſus mentione facta Decreti nomine & authoritate Concilii publicati. Hac omni vero ambiguitate & prudentiſſime & ſecuriſſime eliberari rurſus ſe credidit Germanica Natio, ſi, interpoſita ſaltem pacti fide, Pontificiam imponendi Annatas, aut veteres augendi, poteſtatem ad Concilii conſenſum adſtringeret, atque ita, ſaltem ſpeciali conventione mutua, quoad hoc Annatarum punctum, Decimis proxime affine, Concilii Conſtantienſis Sanctionem Conſtitutioni MARTINIANÆ præhabendam ſtabiliret, quin tamen (Curiam quippe Romanam fidei ſemel datæ ſemper poſthac tenacem, & æquitatis cultricem fore, ſancte confidens) mediis ejusmodi violentis appellationis ad futurum Concilium, aut recurſus adeo ad Poteſtatem Sæcularem plerumque periculoſis, & arctiori inferiorum Eccleſiarum cum Sede Romana communioni perquam inimicis. tam facile ſaltem opus haberet. Neque demum a vera Concordantis Inclytæ Nationis noſtræ mente abludere illi argui poterunt, qui eam huic clauſulæ vim ineſſe crediderint, atque eo illam interpretati fuerint, quod veram, illimitatam, & abſolutam perpetuitatem Annatis, quæ licet juſtæ, graves tamen oppido Eccleſiis Germaniæ,. Curiæ vero Romanæ non admodum honorificæ videbantur, tribuere noluerit. Ad tempus proinde, & rebus

Eccle-

Eccleſiæ Romanæ ſic ſtantibus, indulgendas illas eſſe, ex horum ſententia, concluſit. Atque ſicut jam Concilium Baſileenſe ſub ea tantum conditione in easdem conſenſerat, niſi in futuro Concilio melior & opportunior, Curiæ Romanæ ſubveniendi, modus adinveniretur; ita quoque mox laudata Inclyta Natio eandem conditionem, ipſimet Sedi Apoſtolicæ non improbatam, hic repetendam cenſuit, ſperans omnino, fore, ut, melioribus affulgentibus temporibus, provida Concilii cujusdam generalis conſultatione, ſuaque obſequioſa in Sedem Apoſtolicam induſtria, modus ille facilius poſſet ſtatuminari.

LV. Hiſce omnibus, qui hactenus relati fuere, limitibus per Concordata poſitis incluſæ ac determinatæ nunc Annatæ adeo ſunt, ut, ſpectata eorundem litera, & ſperata fideli eorundem exactaque obſervantia, obmotis de earum diſciplina & Oeconomia Nationis Germanicæ querelis ſatisfactum omnino crederetur, & pax atque unio, & cum Romana Eccleſia, tanquam reliquarum omnium Matre, ac unitatis Catholicæ centro, communio reſtitueretur, atque firmaretur. Ita enim, ſecundum mox dictam Concordatorum literam, moderatas illas quoad Epiſcopatus & Abbatias fuiſſe aſſeruimus, ut vel unius duntaxat anni fructus nequidem adæquent, imo nec dimidiam eorum partem attingant, ſed quinta ſolummodo pars, juxta ſuperius dictam moderatam Cameræ Apoſtolicæ taxam, perſolvatur, nihil memorando, quod vigore Concordatorum, ſi taxa hæc pro qualitate circumſtantiarum exceſſiva judicetur, retaxatio per Commiſſarios in partibus oblata & promiſſa ſit; & inſuper, quòd de reliquis inferioribus Dignitatibus, quæ Conſiſtoriales non ſunt, cæterisque itidem omnibus totius Germaniæ Canonicatibus & Beneficiis nullæ prorſus, ſuffragante ipſomet propitio Curiæ Romanæ ſtylo, ſolvantur Annatæ. Atque inde Natio ſane habet, cur ipſamet fateatur, plurimum antiquo ſaltem rigori ſuo Romanam Curiam decerpſiſſe, atque moderatiorem, quam unquam antea fuerit, nunc eſſe effectam.

LVI. Reliquum eſt, ut & juſtificari Annatas, atque ab impacta iisdem Simoniæ calumnia purgari oſtendamus. Hoc quidem a pluribus jam præſtitum fuiſſe, adeo conſtat, ut actum agere, & juſtos Diſſertationis, alioquin prolixæ ſatis, limites egredi videremur, ſi eadem argumenta jam fuſius ab aliis deducta hunc in locum congerere conaremur. Ea ſolum hic uno veluti globo agglomeramus, quæ ex ipſis Concordatorum verbis hactenus explanatis eruuntur, & adeo quidem efficacia, ut vel ſola Concordata reliquorum omnium argumentorum hanc in rem afferendorum neceſſitatem excludant, aut vim ſaltem exſuperent.

LVII. Juſtiſſimus enim præprimis titulus ſubventionis atque ſubſidii Sedi Apoſtolicæ debiti iisdem tribuitur, quo tota eas incuſandi ratio, qua Concilii Conſtantienſis, ac poſtea Academiæ Pariſienſis Doctores permulti, & Patres ipſi Baſileenſes nixi fuerant, illa nimirum prorſus evertitur, quod pro ipſa collatione Beneficiorum, aut Electionum confirmatione ſolvi exiſtimarentur. Tanquam ſubventionem ſolvi aliquid poſſe, imo, exigente Summi Pontificis, tanquam Capitis, indigentia, etiam debere, ipſimet crediderunt. Simile enim hæ Annatæ, ac idem prorſus cum Epiſcopalibus illis per Baculum & Annulum Inveſtituris fatum ſubierunt. Varium fuit de Inveſtituris judicium, quod ſub diverſis obtutibus ſpectarentur, & ſic Hæreſeos infamia modo notatæ, modo eliberatæ ac immunes exiſtimarentur. Non diſpari ratione (uti in *Diſſertatione Præliminari* explicatius deduximus) Annatæ variis obtutibus ſpectatæ Simonia laborare, & ab omni ejus adeo ſuſpicione vacare judicabantur. Damnabantur ut Simoniacæ, quouſque ſine Nationum & Prælatorum aſſenſu ob electionum ſacrarum, aut præſentationum confirmationem exigi videbantur; a vitio vero Simoniæ liberæ judicabantur, ſi exigerentur ac ſolverentur, uti exiguntur ſolvunturque modo, Concordatis ſuffragantibus, ex vero titulo ſubventionis, accedente

præ-

præſertim, & ab omni ſpecie Simoniæ liberante, Eccleſiæ, Imperatoris, Regum & Principum Imperii, tam Eccleſiaſticorum, quam Sæcularium iisdem expreſſo conſenſu. Cujus rei exemplum ſane propinquius Annatæ, tanquam ſubſidium Summo Pontifici, ſupremo Univerſalis Eccleſiæ Paſtori, præſtandum, in juribus Stolæ ita dictis inferioribus Paſtoribus & Eccleſiæ Miniſtris occaſione adminiſtrationis Sacramentorum præſtari ſolitis reperiunt. Ex illo enim Chriſti oraculo: *Gratis accepiſtis, gratis date*, in Cap. *Cum in Eccleſia IX. de Simonia* omnis utique venalitas, ſive mercatura Miniſteriorum ſacrorum & functionum inde pendentium Epiſcopis & Parochis jure quidem optimo tanquam horribilis & deteſtanda nimis inhibita reperitur; juxta alterum tamen S. Scripturæ effatum: *Qui ſervit Altari, vivat de Altari:* occaſione harum functionum ex vero ſuſtentationis vel ſubſidii titulo jura ejusmodi moderata exigere & recipere Capitulum: *Ad Apoſtolicam XLII. eod. Tit.* tanquam piam & laudabilem conſuetudinem approbat, imo & omnino ſervandam præcipit. Quidni idem etiam judicium conſuetudo, ſubventionem Summo Pontifici occaſione vacationis, & proviſionis Eccleſiarum præſtandi, Nationis conſenſu roborata mereatur? Quamobrem charitativo quoque ſubſidio, ſicut Epiſcopo, ita & Summo Pontifici, ſuos intra limites, debito haud inepte communia ſervitia atque Annatæ æquiparantur, cujus ſpeciem quandam illa eſſe, exiſtimat BALESTRINUS *de Charitativo Subſidio Quæſt. XVI.*

LVIII. Accedit, quod ab omnibus æqualiter promovendis, juxta taxationem antiquis jam Ordinationibus determinatam, ſine diſcrimine ullo perſonarum, perſolvendæ ſint, ut metui propterea non poſſit, indignos, rejectis dignioribus, exinde promoveri, aut ullas inter Candidatos turbas excitari, aut Dignitates ac Miniſteria Eccleſiaſtica indignæ, ac turpi cuidam licitationi exponi; adeoque cum crimine ambitus, in quo vitium Simoniæ,

Digitized by Google

ſuffragante ipſomet Jure Civili *L. I.* §. *I. ff. de Ambitu*, quam maxime reponendum judicatur, nihil prorſus commune habeant. Unde, ſicut Sacerdotibus juſtitiæ in tribunalibus hæc quidem venalis eſſe nequit, non tamen idcirco uſus ſportularum ſemper illicitus eſt, & prohibitus; ita quoque in Eccleſia, quamvis Summo ipſimet Antiſtiti venalitatem Miniſteriorum & Dignitatum Eccleſiaſticarum, veluti iniquam & Simoniacam, vetitam, & damnatam aſſeramus, nec minus Simoniæ, quam reliquis etiam peccatis infirmitatem voluntatis, qua & ipſe ex hominibus aſſumptus circumdatur, obnoxiam eſſe ſtatuamus; præſtationes tamen, quæ eidem, memorato ſæpius ſuſtentationis aut ſubventionis debitæ titulo, penduntur, idcirco eo minus iniquæ ſunt, quod per has ad Eccleſiaſtica Miniſteria via non præcludatur dignioribus, aperiatur minus dignis, uti nec per ſportulas judiciales Judicis indifferentia & impartialitas tollitur, ob cujus tollendæ periculum acceptio pretii & munerum potiſſime prohibetur. Neutiquam enim Simoniæ incuſandum eſt, juxta Regulam Juris Canonici Cap. *Etſi quæſtiones XVIII. de Simonia* traditam, quod animum recipientis non pervertit, aut allicit. Nequaquam enim in arbitrio eſt novi Antiſtitis earundem perſolutio, ſed debitum inſtar æris alieni per prævias jam reſervationes, conſenſu Nationis nunc acceptatas, detractum; cenſus eſt non voluntarius ex liberalitate ſpontanea promovendi, aut pactione privata profectus, ſed lege, pactove communi impoſitus, neceſſarius, certus, definitus, ac omnibus idem eſt, a quovis, ſine ulla perſonæ diſtinctione æqualiter perſolvendus.

LIX. Præterea ex ſuperius jam deductis, & explanata Concordatorum mente Annatæ onus ſunt impoſitum non tam ipſi, promotis, quam Beneficiis, & Eccleſiis, & cauſa exactionis nos eſt collatio vel confirmatio, nec Beneficium & Dignitas, ſed vacatio & fructus, ut ipſa Concordatorum verba innuunt: *de Ec-*

cle-

Digitized by Google

cleſiis Cathedralibus omnibus, & Monaſteriis virorum duntaxat vacantibus & vacaturis ſolvantur de fructibus primi anni a die vacationis &c. Indeque jam tempore Concilii Conſtantienſis communia ſervitia alio nomine Vacantias dicta fuiſſe, teſtatur PETRUS DE ALLIACO *Tract. ſup. cit. de Regimine Eccleſiaſtico Parte II. Cap. I.* in verbis: „Simili jure videtur, quod „Papa poſſit recipere ab Epiſcopis promotis *communia Servitia*, „quæ vocantur *Vacantiæ*, & de minoribus Beneficiis *primos fru„ctus*, ſeu alia hujusmodi ſubſidia, ex quibus Ipſe, & ſibi in Ec„cleſiæ ſervitio aſſiſtentes poſſint convenienter ſuſtentari.„ Species propterea cenſus cujusdam ſunt inde a die Vacationis Eccleſiæ vacantis reditibus inhærens. Neque enim Summus Pontifex Beneficia hæc Conſiſtorialia proprie & originarie confert, poſtquam Electionum libertatem Capitulis Canonicorum, penes quos eſt novi Præſulis Electio & Creatio, reſtituit; ſed jamjam per Electionem collata approbat, agnoſcitque, adeo quidem, ut nequaquam in libero, ac illimitato ejusdem arbitrio poſitum eſſe, cui favere velit, & confirmationem impertiri, aut denegare, *Capite III.* ſuperius luculentis argumentis demonſtraverimus. Et ſi vel maxime indignitas Electi, aut alia urgentiſſima & evidens cauſa neceſſitatis & utilitatis Eccleſiæ ſupremam ejusdem authoritatem interponi, & Electionem quandam rejici atque caſſari exigeret, emolumenti certe temporalis jactura nulla inde pertimeſcenda illi foret, qua a ſupremo hoc Superintendentiæ ſuæ univerſalis Officio deterreri poſſet. Siquidem & hoc in caſu præter Jus immediate proviſionis per Concordata Sedi Apoſtolicæ delatum & ipſæ quoque Annatæ ſalvæ eidem remanere debent, a ſolo Succeſſore utiliori, & digniori, uti ſupponitur, per Sedem Apoſtolicam immediate proviſo, neceſſario ſolvendæ.

LX. Ad hæc tempus ſolutionis, vi Concordatorum, Annatarum

rum ſolutioni præfixum ad evincendam illarum a labe Simoniaca immunitatem argumentum profectò illuſtre ſaltem, licet exceptione forſan non omni majus, ſi abſtractim.conſideretur, ſuppeditat, quod nimirum pro Collatione ipſa vel confirmatione non perſolvantur, ſiquidem nonniſi a die habitæ poſſeſſionis infra annum eas ſolvendas eſſe, ſupra aſſeruimus. Nec refert, quod ante Bullarum expeditionem hodie ſolvantur, ſive enim ante, ſive poſt, actualis fiat præſtatio, ſolum illas præſtandi ex titulo ſubventionis debitum juſtificandis iisdem ſufficit, ut Illuſtriſſimus Archi-Præſul PETRUS DE MARCA *Lib. VI. de Concordia Sacerdotii & Imperii Cap. XII. num. VI.* agnovit in verbis: „Modus quip„pe adigendi ad eorum ſolutionem, retentis videlicet Bullis, qui „erat lapis ſcandali tempore Conciliorum Conſtantienſis & Baſi„leenſis, in conſuetudinem verſus eſt, abſque ulla conqueſtione „Prælatorum aut Principum, qui ſolutioni huic conſenſerunt „ſub titulo ſubventionis. Ea videlicet ratione tollitur omnis ſuſ„picio Simoniæ, quandoquidem alio *titulo* reali legitimo ſolvun„tur, cujus natura mutari non poteſt ob *modum*, qui obſerva„tur in ſolutione.„ Et inſuper, ſtante etiam hodierno per retentionem Bullarum ſolutionem Annatarum aſſecurandi modo, nihilominus collatio & proviſio, antequam Annatæ pecunia numeretur, aut promittatur, libere & gratis per ſignaturam Papalem præcedit, ex qua ſola quoad ſubſtantiam ſuam gratia jam perfecta intelligitur, nec ob ſolutionis defectum hujus expeditio unquam impeditur. Sed cum Prælati literas Pontificias aut Bullarum Diploma, quod eorum confirmationem & proviſionem teſtatur & probat, obtinent, tum modo Annatas ex conſuetudine perſolvere jubentur; Si nunquam id ſibi conſcribi, ſigillari & dari curent, ut contingit illis, qui ante Bullarum conceſſionem in aliorum favorem cedunt, nihil ſolvunt, quamvis Dignitas ipſis collata fuerit. Bullarum conceſſio non requiritur ad gratiæ perfectionem, ſed tantummodo ad illius probationem. Unde

non

non eſt opus eas proferre, niſi ubi gratia, id eſt, Beneficii gratuita collatio promulganda eſt, ſive, ut loquuntur Cancellariæ more, canonizanda, ut ex multis Rotæ Deciſionibus, & Juris Canonici Conſultiſſimorum Interpretum Reſponſis FAGNANUS *loc. ſupra cit.* obſervat.

LXI. Poſtremo demum & illud ad juſtitiam Annatarum multum conducit, quod, ſi infra annum bis vel pluries vacaverint, & conſequenter collatæ etiam pluribus fuerint Eccleſiæ, ſemel tamen duntaxat ſolvantur. Non enim pro collatione & Proviſione Beneficii illas exigi inde arguitur, ſed ratione fructuum duntaxat, qui Sedi Apoſtolicæ non ex mutua privatorum ipſorumet providendorum pactione, ſed ex Lege generali Concordatorum reſervatoria, & ex conſuetudine ſingularum Eccleſiarum, & Principum conſenſu firmata ſolvi debent, pecuniam numerari, haud vane colligitur.

LXII. Quæ cum ita ſint; Concordata Inclytæ Nationis Germanicæ hactenus diſcuſſa, & pleniori, ut credimus, Commentario, pro materiæ dignitate illuſtrata ſalubria tam Eccleſiæ, quam Nationi prædictæ, pro eo maxime, quo condebantur, tempore, deprædicare omnino licet. Firmavit mediantibus hiſce Germania obedientiam paulo ante cum EUGENIO IV, poſt diuturnam neutralitatem, reſtauratam, continuavitque in NICOLAUM V.; quod profecto tam erat ſalubre, quam perniciosum fuerat Schiſma ſub neutralitatis larva deliteſcens; circumſcriptæ ſunt reſervationes, quæ ſine Concordatis fortaſſis amplius & in immenſum excreviſſent; Reſtitutæ ſunt Germanis electiones, in quibus tantum antiquæ & nativæ libertatis ſuæ, ac publicæ totius Imperii felicitatis vigorem nunquam non repoſuerunt. Moderatæ ſunt eæ, quæ in Curiam Romanam, cum detrimento ærariorum publicorum graviori, exportari alias debebant, ſubventiones pecuniariæ; tantum tamen ex reſervationibus etiamnum relictum fuit, quantum ad arctiorem mem-

Digitized by Google

brorum & inferiorum Eccleſiarum cum Romana, tanquam Capite, nexum benefactis & favoribus, queis poteſt, firmius continendum ſufficeret, quin & ſuperabundaret; tantum quoque ſubventionis appromiſſum fuit, quantum filialis in Matrem pietas jubere poterat, atque eo inſuper modo determinatum, qui antiquas vel injuſtitiæ vel Simoniæ criminationes refelleret, atque excluderet. Unde pro coronide illud ex Epiſtola ÆNEÆ SYLVII ad MARTINUM MAJERUM Cancellarium Moguntinum anno MCDXLVII: data adjungendum, atque tam Curiæ Romanæ, quam Inclytæ Nationi noſtræ Germanicæ in memoriam revocandum, ſeduloque inculcandum omnino putamus, *Dignum eſſe, ut Compactata cum noſtra Natione ſerventur, idque ſemper prædicamus, & in futurum prædicare non omittemus.*

FINIS.

YA 1
UNCED
1530815

Digitized by Google

Digitized by Google

166. E. 3A.

Digitized by Google